





Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

THEOLOGIA SCOTI

SCOTUS ACADEMICUS

SEU

UNIVERSA DOCTORIS SUBTILIS THEOLOGICA DOGMATA

QUÆ AD NITIDAM ET SOLIDAM
ACADEMIÆ PARISENSIS DOCENDI METHODUM CONCINNAVIT

R. P. CLAUDIUS FRASSEN

ORDINIS FRATRUM MINORUM PROVINCIÆ FRANCIÆ
S. FACULTATIS PARISENSIS DOCTOR.

Editio nova

*Juxta correctiones annotationesque ipsius Auctoris
in Nationali Bibliotheca Parisiensi asservatas*

Tomus duodecimus.

De Ordine et Matrimonio.



ROMÆ

EX TYPOGRAPHIA SALLUSTIANA

(MATER AMABILIS)

Via S. Nicola da Tolentino, 4

1902.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

SEP 22 1931

102

TRACTATUS TERTIUS

DE DUOBUS POSTREMIS SACRAMENTIS
ORDINE VIDELICET ET MATRIMONIO,
QUIBUS HOMINUM SANCTITAS PROPAGATUR.

PRÆFATIO.

TANTA est divinæ benignitatis et misericordiæ in humanum genus liberalitas et effusio, tantusque in hominem, cælestibus licet mandatis oblectantem, divinus amor, ut nedum peculiaribus cujusque morbis et spiritualibus indigentis Sacramentorum medicamine ac beneficio optulari voluerit, quibus homo privatus cælestem vitam et integram animæ sanitatem sibi restauraret; sed insuper Ordinem et Matrimonium ad Sacramenti dignitatem et efficacitatem voluit promovere, ut homines illam divinam ac cælestem vitam in aliis Sacramentis acceptam ad suos posteros propagare possent et derivare. Nemo enim fidelium est, qui nesciat hisce maxime duobus Sacramentis Christianam Religionem et pietatem vegetari et sobolescere; per Matrimonium enim formamur ad imaginem Dei, ut in Baptismate recidiva quasi Nativitate in Dei filios consignemur; per Ordines autem ad ipsius sanctitatis similitudinem non solum consecramur, sed et cælestis vitæ pignora per aliorum Sacramentorum administrationem in alios ubertim derivamus.— Porro quanta sit hujus utriusque Sacramenti dignitas et eminentia, facile deprehendet quisquis ad utriusque præcellentias mentis oculos tantillum admoverit; nemo namque nescit, plurima esse, et commendatione dignissima, quæ conjugium habet; maximum enim est naturæ bonum, et individua duorum societas, sine qua privata cujusque felicitas torpesceret, ut merito dixerit Deus in ipso mundi exordio: non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi: sed quod præcipuum est, ab eo pendet, velut a fonte, totius humani generis propagatio, unde Justinianus Imperator Novella 2. sapienter dixit, Matrimonium sic esse honestum, ut humano generi videatur immortalitatem artificiosam conciliare, et ex filiorum procreatione renovare genus humanum. Cui non minus eleganter concinit Justinus, Novella 2. dicens: Nihil in rebus mortalium perinde venerandum est atque Matrimonium, quippe ex quo liberi omnisque deinceps sobolis series existat, quod Regionibus, atque civitates frequentes reddat; inde denique optima Reipublicæ coagmentatio fiat. Hinc S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 2. In Joann., cap. 2. expendens motiva cur Christus Canæ nuptiis voluerit adesse, et ibi primum suæ divinæ potentiae signare miraculum, præclare ait, istud nemini mirum videri debere. Exigebat enim, inquit, ipsa carnis propagatione accepta infirmitas, eum,

qui totam naturam hominis in meliorem et feliciorum statum reparabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare, et aditum illorum ad hanc mortalem vitam, et auctoritate miraculi, et suæ præsentia Majestatis consecrare. — *Hæc proculdubio præstantissima est conjugii commendatio, etiamsi dumtaxat spectes præclaras ipsius dotes intra naturæ cancellos, quatenus videlicet mortalitatis est subsidium, rerum publicarum salus, civitatum frequentia, et totius humanitatis ad posteros derivatio. Verum aliud est in ipso majori commendatione dignum, et ingens laudum illius materies, quod videlicet symbolum sit fœderis ac mystici conjugii, quo Christus Dominus Ecclesiam, proprio sui Sanguinis lavacro repurgatam et mundatam, gloriosam sibi sponsam conjunxit; unde Apostolus Matrimonium dixit esse magnum Sacramentum in Christo et in Ecclesia. Habet equidem id sibi cum aliis novæ Legis Sacramentis commune commercium, ut signum sit practicum et efficax gratiæ sanctificantis; sed in eo cætera Sacramenta superat et antecedit, quod mystica sua significatione præclarum sit symbolum connubii Christi cum Ecclesia, virtute cujus in Dei filios adoptamur, et ad cælestem ac divinam hæreditatem destinamur.*

Nec minora certe sunt Sacramenti Ordinis encomia; enimvero si apud barbaras quasque gentes Sacerdotium in summo semper honore habitum fuerit, et eam dignitatem supra cæteros mortales ita extollerent, ut iisdem vestibus Sacerdotem induerent, quibus sua numina representabant, quatenus Sacerdotes diis quam simillimi, omnium sibi amorem et reverentiam conciliarent, quanto magis faciendum est Sacerdotium Christianæ Religionis, quo non inanibus diis ac ementitis Numinibus litatur, sed ipsemet Dei Filius incruento Sacrificio æterno Patri diebus singulis tamquam Agnus innocens immolatur? Unde merito Justinus Martyr Epist. ad Smyrnenses, Sacerdotium omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apicem dixit; quamquam enim regia dignitas et Majestas plurimi fiat ab hominibus, ipsam longe antecedit Sacerdotalis dignitas et reverentia, ut præclare docet Sanctus Chrysostomus, Hom. 5. in cap. 6. Isaia: Sacerdotium, inquit, principalius est, ipso etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas; si vis videre discrimen, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis Sacerdotem multo sublimius Rege sedentem; quamquam enim nobis admirandus videatur regius thronus, ob gemmas; tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est; verum Sacerdotis thronus in cælis collocatus est, et de cælestibus rebus judicandi habet potestatem. Quam utique veritatem luculenter explicat Antonius Abbas in Melissa, Serm. 3. De bonis Episcopis; tanto, inquit, est superius regno Sacerdotium, quantum est inter Spiritum et carnem intervallum. Nec Sacerdotis dignitas regiam tantum excellit, sed etiam Dei omnipotentiam æmulatur, nam, ut egregie ait Theophilactus, lib. De Sacerdotio, non erraverit quis, si Sacerdotium esse dixerit officialem Dei potentiam. Enimvero Sacerdotium substituit vicarias Dei vices dum perficit Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi Dei, dum remittit peccata quod solius Dei elogium est. Unde præclare scribit Petrus Damianus, Sem. 26. De Dignitate Sacerdotii: consummatus honor hominem in terris positum cælis imperitare; præ-

cedit Petri sententia sententiam Redemptoris; quia non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus; iudicat Petrus, et Petri iudicia confirmat Omnipotens, et est in manu Petri manus Altissimi.

Quamquam autem Apostolus dixerit, non prius quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale; quibus admoneri videmur prius de Matrimonii, quam de Ordinis Sacramento sermonem esse faciendum, nihilominus quoniam, ut recte notat Catechismus Romanus n. 10. alia Sacramenta ab Ordinis Sacramento ita pendent, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant; partim solemnium cæremonia, et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur, idcirco prius de Ordine, quam de Matrimonio hoc in Tractatu sumus acturi.

DISPUTATIO PRIMA.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

QUANTA sit Ordinis utilitas et excellentia, inter cæteros, præclarissime explicat S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 26. cum ait: *Ordo omnia constituit et colligavit, ordo cælestia et terrestria continet, ordo in his, quæ ratione, et animo intelliguntur, locum habet, ordo in anni partibus et temporibus apte et distincte, tum progredientibus, tum recedentibus, ordo in diei et noctis mensuris atque intervallis, ordo in elementis ex quibus corpora constant, ordo cælum in orbem duxit, aërem exporrexerat, terram supposuit, ex ordine florente ac dominante hoc universum, κόσμος sive mundus, et ornatus, et invicta quædam stabilisque pulchritudo.* — Quoniam autem multiplex est, et prorsus ambigua vocabuli Ordinis significatio et usurpatio; æquivoca autem prius distingui debeant, quam definiri; idcirco, ut plenior ac planior hujus vocabuli habeatur intelligentia, observandum est, illud interdum significare respectum omnem et habitudinem unius ad alterum, quo sensu Philosophi dicere solent, in relativis esse respectum, essentialem ordinem subjecti ad terminum, potentiæ ad objectum, et causæ ad effectum. — Plerumque etiam usurpatur *Ordo* pro methodo tradendæ doctrinæ, procedendo videlicet, vel analytice, seu a toto ad partes, seu synthetice, puta a partibus ad totum. Unde S. Augustinus, lib. 2. *De Ordine*, cap. 5. præclare ait: *Si quis temere, ac sine ordine in disciplinarum et rerum cognitionem audent irruere, pro studioso illum curiosum, pro docto credulum, pro cauto incredulum fieri.* Nonnumquam etiam *Ordo* sumitur pro more, et consuetudine; qua ratione Jurisperiti *extra ordinem* dicunt quidquid fit sine verbis et formulis solemnibus, præter morem et consuetudinem. — Verum omnes illæ et similes Ordinis acceptiones alienissimæ sunt a nostro instituto. Idcirco, ut propius in scopum collimemus, observandum est cum Subtili Doct.; in 4. dist. 24. nu. 3. Ordinis vocabulum trifariam accipi; primo quidem latissime, pro rei cujuslibet congrua dispositione, et ordinatione; quo sensu S. Augustinus, lib. 19. *De Civ. Dei*, c. 13. ostendens omnia pace conservari, pacem vero ordine, ait: *Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio.* Hinc lib. 6. *Contra Faustum*, cap. 8. *Omnia, inquit, quæ naturaliter sunt in or-*

BQ
6536

.F8

v. 17

dine suo, bona sunt, et nemo in eis peccat, nisi qui ordinem suum in Dei obedientia non custodiens, eorum quoque ordinem male utendo perturbat. Secundo, strictius sumitur ordo, pro eminenti gradu, quem quisque inter cæteros occupat. Quo sensu olim apud Romanos Senatus appellari consueverat antiquissimus Ordo; quippe Senatores cæteris populis regendis et moderandis præficiabantur. Porro, inquit Doctor, in Ecclesia, quæ est politia ordinata, congrue est ordo secundum istam duplicem acceptionem; nam secundum primam tota Ecclesia est ordinata illa congrua dispositione parium et imparium uniuscujusque in suo loco. Secundo modo persona habens gradum eminentem in Ecclesia dicitur habere ordinem. Et licet hæc duo signata ponant se mutuo, quia ubi est ordo primo modo in politia, ibi est gradus eminentis, et ita ordo secundo modo, tamen hoc signum, et illud non idem, ut satis patet. Sicut ergo loquimur de Ordine, hic accipitur pro secundo significato, non pro primo. Tertio denique Ordo strictissime, quantum ad propositum, usurpatur pro electione et consecratione Ministrorum Ecclesiæ ad actum aliquem exercendum circa Corpus Christi verum, aut mysticum, idque proxime vel remote. In qua utique acceptione Ordo tria complectitur: primo quidem, statum ipsum gradumque Clericorum supra cæteros in Ecclesia eminentem. Secundo, potestatem per quam illi constituuntur in statu expedito ad exercendos aliquos actus Ecclesiasticos, maxime circa administrationem Sacramentorum. Tertio denique, ipsam ordinationem, sive actionem sacram, per quam accipiant hujusmodi potestatem. Unde inquit Doctor: Ordo, de quo hic loquimur, dici potest gradus præeminens in Ecclesia, disponens aliquem actum Ecclesiasticum eminentem. Et quia, ut subdit, specialiter actus eminentes in Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta, ideo potest specialius dici, quod est gradus disponens ad aliquem actum Sacramentalem.

De Ordine itaque sic usurpato sermo erit tribus in sequentibus Articulis: quorum primus erit de ipso ordinis Sacramento secundum se: secundus, de singulis Ordinibus in particulari; tertius, de Ministro et Subjecto capaci ad conferendos et suscipiendos sacros Ordines.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS IN COMMUNI.

CUM recta et solita tradendæ doctrinæ methodus ac ratio postulet, ut ab unversalioribus ad particularia procedatur, convenientissimum est, ut priusquam de singulis Ordinibus in particulari moveatur quæstio, nonnulla de Sacramento Ordinis in communi præmittamus, quibus videlicet hujus Sacramenti existentia, essentia, ac distributio, et partitio innotescat. Unde tria potissimum hoc in Articulo occurrunt determinanda: primum, utrum in Ecclesia sit aliquis status et ordo, per quem Clerici a Laicis secernantur: secundum, utrum Sacramenti novæ Legis dignitatem et efficacitatem obtineat: tertium denique, quot, et quæ sint Ordinum species.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM IN ECCLESIA SIT ALIQUIS ORDO, VIRTUTE
ET RATIONE CUJUS CLERICI A LAICIS DISTINGUANTUR.

NOTANDUM 1. Ex Seraphico Doctore, in 4. dist. 24. art. 2. qu. 1. constantissimum esse, quod in Ecclesia sit Ordo, seu ipsius membrorum inter se subordinatio. « Idque necessarium est, *inquit*, duplici « ratione, scilicet *propter plenitudinem*, et *propter rectitudinem*. Cum « enim sit magna multitudo in Ecclesia, nisi esset Ordo, manifesta « appareret confusio, et hæc est multitudinis fœdatio. Unde omnis sa- « piens, qui eo ipso quod sapiens est, pulchritudinis est amator, non « producit multa sine ordine; et inter hæc maxime apparet sapientia « Dei, quæ inter omnia opera sua manifestatur in constitutione Ec- « clesie. Necessarius est etiã ordo propter rectitudinem. Nam mul- « titudo, cum in statu est in quo deviare potest, errat si non habet « ducem, nec rectorem, sicut dicitur: *Vidi cunctum Israël dispersum « in montibus, sicut oves non habentes Pastorem*. Quoniam ergo mul- « titudo Ecclesie est in statu, in quo potest deviare, indiget capite « et regimine, cum unus non possit omnibus sufficere, nec ad omnia, « ideo oportet secundum plus et minus Ecclesiastica officia et pote- « states distribuere, ut Ecclesia regatur et dirigatur sine errore ». *Ita Seraphicus Doctor*. Porro hic non est sermo de hujusmodi Ecclesie membrorum ordinatione inter se invicem, sed de Ordine Clericorum, eorumque a Laicis distinctione, utrum videlicet in Ecclesia sit aliquis Ordo graduum et ministeriorum, secundum quem Clerici Laicis sint superiores, habeantque jus et potestatem eis administrandi res divinas, præsertim Sacramenta, maxime vero Eucharistiam, quæ est Sacramentorum omnium præstantissimum et maximum.

NOTANDUM 2. Ex Gratiano, dist. 21. Can. 1., generaliter Clericos nuncupari omnes, qui in Ecclesia Christi ex officio deserviunt, et divino cultui mancipantur: Clerici autem appellantur, quasi Domini sors, et hæreditas, Κλήρος enim Græce, sors Latine, vel hæreditas dicitur. *Propterea ergo, inquit Rabanus, De Institutione Clericorum*, lib. 1. cap. 2. *Ecclesie Ministri dicti sunt Clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent*. Cui præluserat S. Hieronymus, Epistola ad Nepotianum, ubi scribit: *Igitur Clericus, qui Christi servit Ecclesie, interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur, si enim κλήρος Græce, sors Latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit: Pars mea Dominus; nihil extra Dominum habere potest; quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variã suppellectilem, cum istis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum; et funiculus hæreditatis ejus, nec accepto partem inter cæteras Tribus, sed, quasi Levita, et Sacerdos, vivo de decimis, et al-*

tari serviens, altaris oblatione sustentor; habens victum et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar. Huic non absimile argumentum ab eadem quoque nominis etymologia repetit sanctus Ambros., lib. *De fuga sæculi*, cap. 2. his verbis: *Cui Deus portio est, nihil debet curare, nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere; quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atque huic nostro officio decerpitur: hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, et quædam alienatio charissimorum, ut suis etiam abneget, qui servire Deo gestit.* In idem conspirat B. Ivo Carnotensis, *Serm. De excellentia sacrorum Ordinum*, ubi ait: « Nemo enim ad hoc debet fieri Clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, militet ambitioni; nec aliud quærat, nisi ut Deum hæreditate possideat, quem elegit, et a quo electus est, quando in Clericum assumptus est. Hoc enim in Græco nomen Clerici sonat, quod de sorte sit Domini, quia et Deus sortitus sit eum. Bene dicitur in Psalmo, in persona ipsius Clerici, cum stigmatate Clericatus insignitur; dicitur enim Deo: *Dominus pars hæreditatis mee*, et in alio Psalmo: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Quod vero Dominus sortitus sit ipsum Clericum, in ipsius Clerici tonsione dicitur ex superiori Psalmo in persona Domini: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Unde qui per Clericatus officium aliud quærit, quam Deum, nec a Deo electus est, nec Deum elegit; qui in sorte sua creaturam Creatori aut præposuit, aut æquiparavit ». Cur autem hæreditas, sive portio hæreditaria, sortis nomine appelletur, ratio inde peti potest, quod hæreditas in plures sortes dividi consueverit, juxta illud Psalm. 77. *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.* Quamvis autem Isidoro Hispalensi non displiceat præfata nominis Clerici etymologia, aliam tamen subministrat, lib. 7. *Originum, sive Etymologiarum*, cap. 12. ubi Ecclesiæ Ministros idcirco Clericos appellatos existimat, quod S. Matthias, qui primus ab Apostolis in Ecclesiasticum Ordinem adscitus est, sorte fuerit electus, ut refertur Actuum, cap. 1. Quam etiam interpretationem probat S. Augustinus, in Psalm. 62, ubi ait: *Clerus sors dicitur Græce; et sortes, ex promissione Dei, partes hæreditatis vocantur, quæ populo sunt distributæ: Unde Tribus Levi præcepta est non habere sortem inter fratres suos, quod ex eorum decimis sustentaretur: nam, et Cleros, et Clericos hic appellatos puto, qui sicut in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati: quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum.*

NOTANDUM 3. Quod etsi hujus sæculi Novatores, Lutherani videlicet et Calvinistæ, distincte affirmare non audeant, annunciationem Evangelii, et Sacramentorum administrationem ad omnes promiscue fideles ex æquo pertinere, quemadmodum diserte profitetur Kempitius in examine Concilii Tridentini, ad cap. 2. et Can. 2. Sess. 23. ubi ait: *Neque se, neque suos, nempe Lutheranos damnare distributionem illorum graduum Ecclesiasticorum, qualis fuit in Apostolica lege: suosque hujusmodi distributione uti pro ratione necessitatis et ædificationis admittere.* Quod pariter aperte docet Calvinus, lib. 4, *Institut.*, cap. 3. n. 2. ubi ostendit hominum ministerium, quo Deus

in gubernanda Ecclesia utitur, præcipuum esse nervum, quo fideles in uno corpore cohæreant: tum vero etiam indicat, non aliter incolumem servari Ecclesiam posse, quam si his præsiidiis fulciatur, in quibus salutem ejus reponere Domino placuit. Tandem colligit: *Ecclesiæ ergo diu passionem vel ruinam potius et exitium molitur quisquis ordinem hunc, de quo disputamus, et hoc genus regiminis, vel abolere studit, vel quasi minus necessarium elevat: neque enim vel Soli lumen ac calor, vel cibus ac potus tam sunt præsentis vitæ fovendæ ac sustinendæ necessaria, quam est conservandæ in terris Ecclesiæ Apostolicum ac Pastorale munus.* Tametsi, inquam, illi hæretici affirmare non audeant quibuslibet fidelibus licitum esse Sacramenta ministrare, et Dei verbum annuntiare; attamen quia eorum hæreses maxime ab odio Clericalis Ordinis, et nimia in Laicos, quorum favorem ambiebant, assentatione, exortæ sunt; hinc est, quod ita sibi temperare non potuerint, quin multa effutierint contra ejusmodi prærogativam et distinctionem Ecclesiæ Ministrorum a Laicis, quasi inter eos nihil esset discriminis; aut si quid sit, totum pendeat ab hominum nutu et arbitrio. Contendunt enim, omnes Christianos æqualiter Sacerdotes esse, vel certe potestatem Ordinis non aliter conferri, quam per legitimam ad tale ministerium et officium Ecclesiasticum deputationem, quæ per amotionem ab ejusmodi officio amittatur. Unde Lutherus, *de abroganda Missa privata*, expendens illud 1. Petri 5. *Non dominantes in Cleris*, significat, id non debere intelligi, sicut vertit vulgatus Scripturæ Interpres, de eis, quos, inquit, *nunc a Laicis diserevit impia hominum Traditio.* Et paulo post addit, Ecclesiasticam Hierarchiam (in qua constituuntur summus Sacerdos, deinde Episcopi, postmodum Sacerdotes, tandem inferiores Clerici) esse similem Gentilitiæ constitutioni de Sacerdotibus Jovis, Veneris et Saturni. Demum addit: *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla Secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus rasmus, nullus Monachus esse debeat, sed tantum prædicantes.* Similiter Calvinus, cap. 4. n. 9. cum dixisset, omnes eos, qui ad debite obeundum munus Ecclesiasticum formabantur, generali nomine appellatos fuisse Clericos, statim subdit: *Vellem equidem aliud nomen magis proprium inditum illis fuisse, hæc enim appellatio ex errore, vel certe prava affectione nata est; cum tota Ecclesia Clerus, idest, hæreditas Domini a Petro dicatur.* Itaque adversus hos omnes errores statuenda est et probanda sequens

Conclusio unica. — NECESSARIO ADMITTENDUS EST, ET REVERA EXISTIT IN ECCLESIA ORDO, SIVE ORDINATIO GRADUUM ET MINISTERIORUM ECCLESIASTICORUM, SECUNDUM QUOS CLERICI LAICIS SUNT SUPERIORES, EISQUE ADMINISTRARE POSSUNT AC DEBENT RES DIVINAS, PUTA DEI VERBUM ET SACRAMENTA. Hæc est de fide determinata in Concilio Trident., Sess. 23. cap. 4. his verbis: *Sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes, temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos iterum Laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exercent.* Hinc Can. 1. anathema dixit in eum, qui dixerit, *Non esse in*

novo Testamento Sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi, et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium: vel eos, qui non prædicant, non esse Sacerdotes. Et Can. 2. Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.

Probatur autem hæc Catholica veritas: primo quidem ex Scriptura sacra, quæ pluries meminit Ecclesiæ Ministrorum, quos Christi fidelibus regendis præfecit, et solemniter ritu ordinavit ac consecravit. Sic Joann. 20. refertur, qualiter Christus insufflans in Apostolos contulerit eis Spiritum sanctum cum potestate remittendi, et retinendi peccata. Similiter Act. 13. et 1. ad Timoth. 4. fit mentio impositionis manuum, qua tum Paulus et Barnabas ab Apostolis, tum etiam Timotheus ipse a Paulo ordinati sunt in Evangelii Præcones et in Ecclesiæ Pastores et Præfectos. Idipsum luculenter significat Apostolus Actor. 20. ubi majores natu Ecclesiæ apud Ephesum sic alloquitur: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* idest, Sacramentorum, ut explicat Concilium Tridentinum, Sess. 21. cap. 2. et 2. ad Corinth. 3. *idoneos nos fecit Ministros novi Testamenti.* Quæ omnia luculenter significant ordinationem, et divinam institutionem, qua quidam Christianæ Religionis Antistites et Ministri populo Dei præficiuntur, ut ejus salutem procurandæ sedulo invigilent. — Id etiam confirmat, quod ipsemet Apostolus de seipso refert Rom. 1. cum ait, se Apostolum *segregatum in Evangelium Christi:* his enim verbis alludit ad ea, quæ Actor. 13. referuntur, nempe quod Spiritus sanctus Ecclesiæ Ministris, qui erant Antiochiæ, dixit: *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos: tunc jejunantes et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Quibus utique verbis significatur, eos, qui solemniter per impositionem manuum ordinati sunt, non esse amplius inter Laicos computandos, sed ab eis segregatos; ut a civilibus et sæcularibus negotiis et officiis sepositi, divino cultui ac ministerio dumtaxat mancipentur, ut ipsemet Apostolus luculenter et diserte explicat, cum ait ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quid enim aliud est, Pontificem ab hominibus esse assumptum, nisi sejunctum a populi classe, ut videlicet cæteris de Christi grege fidelibus dignitate et officio præsit, eisque ad salutem necessariam conciliet? — Eandem veritatem rursus indicat et confirmat Apostolus iis omnibus in locis, in quibus Ecclesiam assimilat corpori variis membris constanti, in quibus optima apparet distinctio et subordinatio. Sic ad Rom. 12. *Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra.* Unde colligit: *Habentes autem donationes, secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes; sive Prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium*

in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine. Quibus significat, varia esse Ecclesiæ membrorum, sicut et corporis naturalis, munia, ita quod alia tamquam capita præsent, alia veluti linguæ doceant, alia tamquam manus ministrent. Quod egregie confirmat 1. ad Cor. 12. ubi cum dixisset: *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus: sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi;* statim subdit: *Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi est auditus? si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore, sicut voluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus.* Ex quibus infert: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? etc.* — Quibus consonat id, quod habet ad Eph. 4. ubi de Christo Domino sic loquitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, quosdam autem Pastores et Doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, etc.* Ubi nomine Pastoris, Sacerdotes intelligit, qui Sacramentorum administratione et Evangelii prædicatione, tamquam cælesti pabulo cætera Ecclesiæ membra, quibus veluti capita præficiuntur, pascant et enutrient. Quamobrem signanter non dicit Apostolus: *Alios Pastores, alios Doctores, sed alios Pastores et Doctores;* quippe iidem debent esse Pastores et Doctores; nam, ut ait S. Hieron. *Nemo, quantumvis sanctus sit, Pastoris nomen sibi assumere præsumat, nisi docere possit, quos pascit.* Ex quibus Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. legitime infert: *Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde, ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes sint Doctores.*

Probatur secundo eadem veritas ex receptissima apud quascumque nationes alicujus numinis cultrices constitutione ac consuetudine, apud quas vel ipso naturæ instinctu semper fuerunt aliqui a populo segreges, qui Sacerdotii munere fungerentur. Sic ante Legem Moysei consignatam in monte Sinai, ut communis fert Hebræorum sententia, quam approbat S. Hieronymus in *quæstionibus Hebraicis*, familiarum patres et capita Sacerdotum munere fungebantur; quamquam enim, ut notat Abulensis in cap. 13. Genes. q. 10, et in cap. 26. q. 6. quicumque ante Legem Mosaicam sacrificare posset, et Sacerdotium exercere; unde Abel, licet minor natu, sacrificasse legitur, sicut et Cain; nihilominus non omnes indiscriminatim hoc munere fungebantur, sed huic obeundo ministerio, vel majores natu destinabantur, vel si eo

propter scelera erant indigni, alii ex eadem familia ad id munus destinabantur; quemadmodum reprobato Caino, acceptum est et probatum Abelis Sacrificium. Unde etiam apud Ethnicos semper aliqui fuerunt à reliqua plebe secreti, qui Sacerdotii functionibus intenderent; quemadmodum observat Aristoteles, lib. 7. *Politicorum*, cap. 7. ubi Sacerdotes tamquam Reipublicæ membra a reliquis distincta et necessaria recenset. — Verum illa procurandæ et excolendæ Religionis avita sedulitas excrevit quam maxime per Legem Mosaicam, in qua Levitica Tribus ex omni Israëlitico populo destinata fuit a Deo, quæ sacris peragendis inserviret, ita ut nemo tunc temporis, nisi ex illa Tribu oriundus, idque per lineam paternam, inservire posset divinis ministeriis; imo nec incensum offerre Deo. Hinc, ut legimus 2. *Paralipomenon*, cap. 26. Rex Ozias repentina lepra percussus fuit, quod incensum adolere fuisset ausus, cum ex Tribu Levitica non esset oriundus. Qua ratione etiam Dathan et Abiron disrupta terra vivi sunt absorpti, ut refertur Num. 26. quod, cum non essent de Tribu Levitica, nihilominus ausu temerario incensum coram Domino adolere attentassent. Quæ cum ita sint, nemo est qui non videat potiori jure in Evangelica Lege, quæ omnium est præstantissima, admittendos esse sacros Ministros, a cæteris Ecclesiæ membris distinctos, qui divini cultui mancipentur. Nam, inquit Apost. 2. ad Cor. 3, *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* hoc est, si inferioris Legis Sacerdotes ac Ministri tantam in suo gradu ac dignitate stabilitatem sunt adepti, quanto magis qui melius ministerium sortiti sunt, potiori honoris privilegio sunt illustrandi, et a populi grege separandi, ut soli Deo famulentur. — Hinc est, quod Ecclesia semper statuerit Clericos a Laicis tum gradu, tum ordinatione et honore esse sejungendos, ut videre est tum in Canonibus Apostolorum, tum in Constitutionibus Apostolicis apud S. Clementem Romanum Pontificem, maxime lib. 2. necnon apud vetustissimos Ecclesiæ Patres, puta S. Dionysium, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, necnon et in Epistola ad Demophilum: sed præcipue apud Tertullianum, lib. *De Præscriptionibus*, cap. 41. ubi hæreticorum sui temporis mores referens, eos maxime culpatur, quod sacra ministeria indiscriminatim Laicis, imo et mulieribus concedant: *Ipsæ mulieres hæreticæ, inquit, quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc Neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est: itaque alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus; nam et Laicis Sacerdotalia munera injungunt.* Eodem pertinent illa, quæ habet, lib. *De Exhortatione ad castitatem*, cap. 7. ubi scribit: *Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, et honor per Ordinis consensum sanctificatus a Deo; ubi significat, Ordinem esse divinæ institutionis, et Cleri a plebe differentiam a Deo sancitam, et Ecclesiastica Lege firmatam.* — Ei præiverat S. Dionysius Areopagita, lib. *De Cælesti Hierarchia*, cap. 5. dicens: *Quinimo divinus ille ac primus Ordinis nostri collator (hoc enim*

munus sibi Jesus benignissimus in nostri gratiam assumpsit) non semetipsum clarificavit, ut eloquia testantur, sed qui locutus est ad eum; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quapropter ipse dum ad Ordinem Sacerdotis discipulos promovebat, tametsi ut Deus consecrationis auctor existeret, simul tamen ad sanctissimum suum Patrem, et Spiritum Dei principalem præcipuum sacrosanctæ consecrationis munus referebat, præcipientis discipulis, ut eloquia sacra testantur, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum, quia vos baptizabimini Spiritu sancto. Quin et Princeps Apostolorum, una cum coequali sibi ac Pontificali decade ad sacrum illum duodenarium Discipulorum numerum implendum congregatus, summæ divinitati electionis manus reverenter cessit, cum ait: Ostende quem elegeris; eumque quem divina sors designaverat sacro illi duodenario Hierarchico annumeravit, cum ait de divina illa sorte: quæ divinitus super Matthiam cecidit, alii ab aliis, meo quidem iudicio, non recte diversa senserint, meam ipse sententiam exponam. Mihi enim videtur Scriptura sortem appellare divinum illud munus, quo declarabatur choro Hierarchico, quisnam divino suffragio electus erat; siquidem divinus Pontifex nequaquam motu proprio sacros Ordines conferre debet, sed, ut decet Pontificem, eosdem instinctu Dei divinitus celebrare.

Constat tandem hæc veritas, ac firmatur ipsa ratione Theologica; convenientissimum enim fuit, imo aliqua ratione necessarium, Ordinem in Ecclesia stabiliri, quo quidam Ministri constituerentur et præficerentur cultui Deo debito rite exhibendo; si enim Principes quique summi aliquos sibi adsciscunt Ministros, qui variis modis ipsis inserviant, quanto magis conveniens fuit aliquos esse in Ecclesia Dei institutos Ministros, quibus ex officio uni Deo servire incumbat? Cum enim Deo debeantur omnia, nec tamen unusquisque, propter varia hujus vitæ negotia et impedimenta, debitam ei gratitudinem et venerationem possit rependere, convenientissimum fuit, imo summe necessarium; aliquos e populo seligi ac destinari, qui ad impendendum debitum Deo cultum, ex sui status obligatione et institutione intenderent. — Deinde, ea est divinæ providentiæ institutio, ut infirma per suprema gubernentur et administrentur, quamobrem in omni Republica seu Politia necesse est, ut sit caput aliquod; sint etiam membra quædam digniora, quorum sapientia, et prudentia populus regatur; nam, ut dicitur Proverb. 11. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Itaque conveniens erat, ut in Ecclesia quidam propter status dignitatem et sanctitatem Deo propinquiores et similiores, cæteris expurgandis, sanctificandis, ac ad Deum dirigendis invigilarent. Quam utique rationem præclare expendit S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5. ubi cum dixisset, Hierarchiam tripliciter posse dividi: primo, in mysteria; secundo, in divinorum mysteriorum ministros ac Sacerdotes; tertio, in eos qui ab his ad sacra promoventur; et insuper tres distinxisset Hierarchiæ Ecclesiasticæ functiones, quarum prima est expiatio; secunda, expiatorum illuminatio; tertia, utrorumque completa perfectio; quarum prima, fit a Diaconis per Catechesim et Baptismum: secunda, a Sacerdotibus, per Eucharistiæ participationem: tertia, ab Episcopis per Sacramenti Confirmationis collationem;

hæc, inquam, cum dixisset, ostendit necessario admittendam esse subordinationem in Hierarchia, ita quod inferiores a superioribus ad Deum dirigantur: « Lex, inquit §. 4. hæc est sacro sancta summæ Deitatis, ut per prima, quæ sequuntur ad divinissimam ejus lucem adducantur. An non sensibiles quoque substantias elementorum cernimus primum ad ea, quæ ipsis magis cognata sunt, accedere, ac per illa deinde efficacitatem suam ad alia derivare? Merito igitur omnis tum invisibilis, tum visibilis distinctionis initium ac sedes ad eos, qui deiformiores sunt, deificos suos radios permittit pervenire, atque per illos, utpote limpidiores spiritus, et ad participandum traducendumque lumen magis idoneos, inferioribus pro illorum capacitate illucescit et apparet. Istorum igitur est, qui primi Deum cernunt, sequentibus sine inedia, pro modulo cujusque, sibi sacro sancte perfecta divina spectacula insinuare; docere etiam ea, quæ Hierarchiæ propria sunt, eorum est, qui cum perficiente scientia divina, quæque sacri sui Ordinis mysteria probe sunt edocti, consummatamque docendi alios virtutem acceperunt; Sacramenta vero pro dignitate tradere illorum est, qui scite atque integre Sacerdotalis imitationis participes existunt ». *Hæc S. Dionysius.*

OBJICIES 1. Si aliqui censendi essent specialiter ad res sacras et divinas administrandas destinati, e fidelium grege sejuncti, maxime qui ab antiquis Patribus Clerici nominantur: sed hæc appellatio et nominis dignitas non aliquibus privatis, sed toti fidelium communitati convenit. *Probatum*: illis omnibus Clerici appellatio tribuitur, quibus præsent Episcopi, ut constat ex illo 1. Petri 5. ubi S. Apostolus Episcopos alloquens, ait: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, non coacte, sed spontaneæ, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo; et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Igitur nomine *Cleri* S. Apostolus intelligit ipsam Dominici gregis portionem, quæ pascenda et regenda Episcopis committitur, quemadmodum etiam interpretatur S. Cyrillus Alexandrinus, lib. 10. in Isaiam, Orat. 3., necnon et venerabilis Beda, ac plurimi ex recentioribus cum Cajetano, Vatablo, Gagnæo; unde etiam Syrus Interpres pro *Cleris*, hoc loco *gregem* scripsit. Quod pariter satis ostendit adversativa particula, dum ait: *Sed forma facti gregis*; Episcopus enim probitate morum et sanctitate non solum Clericis, sed etiam toti fidelium gregi sibi commisso præluere debet ad formam et exemplum. — **Respondeo cum S. Hieronymo**, Epist. ad Nepotianum, eo loco *Cleri* nomine universam Ecclesiam non significari, sed eos dumtaxat, qui *Clerici* proprie dicuntur; licet enim non solum Clericis, sed etiam Laicis Episcopi exemplo virtutis præluere debeant, attamen quia erat periculum tanto majus, ne Clericis dominari velint Episcopi potius, quam Laicis, quanto Clerici ex sua professione et Ecclesiæ constitutione ac ordinatione Episcopis subjici debent, et obsequi magis, quam Laici; ideo S. Petrus Episcopos monet, ut sibi commissum gregem tanta vigilantia et pietate pascant verbo et exemplo, ut Laicis non sint in offendiculum per turpis lucri cupidinem, Clericis vero per dominationis appetitum. Quæ utique expositio genuina videtur, et omnino conveniens menti et intentioni Apostoli. *Respondeo secundo*, quod

etiãmsi (ut volunt hæretici) Cleri nomine eo loco S. Petrus universam Ecclesiam intellexerit, et fidelium cœtum, qui cum sit populus acquisitionis, quem Christus Sanguine suo acquisivit et mundavit, etiãm Clerus, seu sors et hæreditas Domini potest appellari; attamen negari non potest, quin ex omnibus Christianis Sacerdotes et Clerici, ratione magis convenienti et propria, hæreditas et sors Domini dicenda sit, utpote qui speciali ordinatione mancipientur ad res sacras, et divinum cultum exercendum, eo modo quo gens Judaica, licet comparata ad alias Nationes passim dicatur hæreditas Domini in libris Prophetarum, eo quod ipsam Jesus D. selegisset in peculiarem populum, et ab Ægypti captivitate liberasset; attamen sola tribus Levitica, quæ rebus sacris administrandis erat destinata, specialiter Domini hæreditas et sors appellatur, quemadmodum et ipse Dominus eorum hæreditas et portio, juxta illud Num. 8. ubi Dominus loquens ad Aaron, et filios ejus: *In terra filiorum Israël nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israël.*

OBJICIES 2. Ubi cumque est ordo, ibi est distinctio: sed in Ecclesia non est distinctio, nec discretio unius fidelis ad alio, juxta illud ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis, non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu:* igitur, etc. — **Distinguo minorem:** inter fideles non est distinctio coram Deo, quantum ad justificationem, et morum probitatem, quippe cum omnes in Christo per Baptismum renati, vitæ sanctitate Christum induere, et illum referre debeant, *concedo:* non est distinctio, quantum ad potestatem conficiendi et administrandi res sacras, ita quod hæc facultas ex æquo omnibus fidelibus convenire possit, *nego.* Nec aliud certe intendit Apostolus, non enim eo loco excludit distinctionem sexuum, nationum, et conditionum; sed tantum quod ista non conferant ad sanctitatem et adoptionem filiorum Dei, quæ maxime fit per fidem vivam et charitate formatam. Quod utique perspicuum fit ex serie contextus Apostoli; ibi namque demonstrat in negotio justificationis, seu justitiæ per Christum comparandæ, nullam haberi rationem, utrum aliquis sit Judæus, aut Græcus, servus, aut liber, masculus, aut femina, ita quod ad adoptionem filiorum Dei non obsit servitus, nec prosit libertas, nec ulla conditio, nullusve sexus ad id quidquam conducit, sed solum fides, quæ per dilectionem operatur.

OBJICIES 3. Ubi est ordo, debet esse subordinatio inferioris ad superiorem: sed in Ecclesia nulla est talis subordinatio, nec dominatio unius in alium; omnis enim prælatio et superioritas Apostolis et fidelibus prohibetur a Christo his verbis Matth. 20. *Principes gentium dominantur eorum, et qui majores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit Minister vester.* Et Lucae 22. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator.* Igitur in Ecclesia non debet esse dominatio, nec subjectio; ac subinde nec Ordo, quo aliqui cæteris præficiantur. — **Nego minorem,** et ejus probationem distingo: illis Christi verbis interdicitur omnis prælatio et subjectio apud fideles, quantum

ad exercitium et usum imperii in alios, *neq̄o*: quantum ad abusum et animi elationem ac dominandi cupidinem, *concedo*. Nec aliud certe voluit Christus Dominus, quemadmodum facile colligitur ex ipso textu, et motivo cur hæc verba protulerit; siquidem hæc dixit ad refrænandam Apostolorum elationem et contentionem; nam cum inter Apostolos facta esset *contentio, quis eorum videretur esse major*, ut eam animi superbiam radicitus evelleret, statim reposuit Christus Dominus: *Reges gentium*, etc. Quibus utique verbis non prohibet prælationem et superioritatem, imo etiam eam supponit; ait enim: *Qui major est in vobis fiat sicut minor, et qui præcessor est, sicut ministrator*: igitur revera supponit inter discipulos et fideles aliquos esse præpositos, alios vero subditos. Itaque vult quod qui revera major est, atque aliis præficitur, debet non ficta animi deimissione minor fieri; imo et aliis se Ministrum exhibere omni charitatis et pietatis officio. Non damnat itaque in suis prælationem; quippe cum Ecclesiæ suæ prætecerit quosdam quidem Apostolos, alios Pastores, et Doctores in opus ministerii; sed prælationis ostentationem, et omnem dominandi affectum; qui enim in Ecclesia præsunt, non debent cæteris dominari, tamquam Domini servis, et principes subditis, ad propriam utilitatem et ad imperii ostentationem, sed tamquam ovibus Pastores, ac Ministri subditis: neque enim potestatem habent in bonum proprium, sed in bonum totius Reipublicæ Christianæ.

OBJECES 4. Si aliqua esset in Ecclesia subordinatio inferioris ad superiorem, auctoritate divina esset constituta; omnis enim potestas a Deo est; sed illa quæcumque sit inter fideles ad res sacras obeundas destinatio, non est divinitus constituta; nam, ut supra dicebat Tertullian. cap. 7. lib. *De Exhortatione ad castitatem: Differentiam inter Ordinem, et plebem constituit Ecclesiæ auctoritas*, etc.: igitur, etc. — **Respondeo** *negando minorem*: et ad Tertullianum dico, quod etsi eo loco videatur significare, lege dumtaxat humana et jure tantum ecclesiastico constitutam fuisse Ordinem a plebe, et Clericorum a Laicis distinctionem atque differentiam; attamen ea quæ ibidem immediate subjungit, nempe, *et honor per Ordinis consessum sanctificatus a Deo*, Clericalis Ordinis a Laicis differentiam a Deo factam fuisse; quæ differentia insuper lege humana et ecclesiastica, variis Ecclesiæ canonicis et sanctionibus stabilita est, et distinctius explicata.

INSTABIS: Tertullianus ibid. non obscure significat, nullam lege divina esse differentiam inter Clerum et plebem; quippe cum in casu necessitatis omnia Laicus præstare potest, quæ Sacerdos; nam post laudata verba statim subjungit: *Ubi Ecclesiastici Ordinis est consessus, et offert, et tingit Sacerdos, qui est ibi solus. Sed, et ubi tres, Ecclesia est, licet laici: unusquisque enim de sua fide civit. Nec est personarum acceptio apud Deum, quoniam non auditores Legis justificantur a Deo, sed factores, secundum quod et Apostolus dicit: Igitur si habes jus Sacerdotis in temetipso, ubi necesse est habere, oportet etiam disciplinam Sacerdotis necesse sit habere jus Sacerdotis. Digamus tingis, digamus offers: quanto magis laico dicat, quod ad salutem erit agere pro Sacerdote, quam ipsi Sacerdoti dicitur, qui eo facto communicatur actione Sacerdotis? Sed necessitati, inquit, indulserit. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse necessitas. Igitur ex mente*

Tertulliani nulla est inter Clerum et plebem differentia ex institutione divina. — Nego consequentiam, et ad *antecedens* dico *primo*, ea quæ habet in libris de *Exhortatione* non esse magnæ auctoritatis; cum enim hæc scriberet, jam defecerat ab Ecclesia, et infectus erat errore Montani, qui docebat Christi Sacerdotium ad omnes fideles ex æquo pertinere, ut observat S. Epiphanius. Hæresi 59. agens de Sectatoribus Montani, qui se *catharos*, idest, *puros* nominabant. Nil igitur mirum, si Tertullianus postquam eorum hæreticorum erroribus adhæsit, quædam effutierit, quæ contra veritatem Catholicam non modo pugnant, sed etiam contra ea, quæ tam diserte scripserat lib. *De Præscriptionibus*, cap. 41. adversus eos, qui Hierarchiam et differentiam Cleri a Laicis insectabantur. — Dico *secundo*. Quod cum Tertullianus eo loco, necnon et alibi Laicos etiam esse Sacerdotes ait, non loquatur ex propria mente, et sententia, sed ex sententia eorum, contra quos agebat, argumento videlicet ad hominem; dato nimirum, sed non concesso, quod ab aliis vulgo jactabatur, ut inde probaret laicos omnes teneri ad eandem cum veris et proprie dictis Sacerdotibus Monogamiæ legem atque disciplinam. Quod utique evidenter colligitur ex cap. 12. lib. *De Monogamia*, ubi idem tractans argumentum, ait: *Audi et subtilissimam e contrario argumentationem. Adeo, inquit, permisit Apostolus iterare connubium, ut solos qui sunt de Clero Monogamiæ jugo adstrinxerit. Quod enim quibusdam præscribit, id non omnibus præscribit. Cui objectioni sic respondet: Numquid ergo, et quod omnibus præcipit, solis Episcopis non præscribit; si quod Episcopis præscribit, non et omnibus præcipit? An ideo omnibus, quia et Episcopis? Et ideo Episcopis, quia et omnibus? Unde enim Episcopi, et Clerus, nonne de omnibus? Si non omnes Monogamiæ tenentur, unde Monogami in Clerum? Ordo aliquis seorsum debet institui Monogamorum, de quo allectio fiat in Clerum. Sed cum extollimur et inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes Sacerdotes; quia Sacerdotes nos Deo, et Patri fecit, etc.* Quibus verbis, ut apparet, Tertullianus non existimat omnes omnino fideles esse vere ac proprie dictos Sacerdotes, sed tantum analogice, quatenus videlicet omnes destinantur ad offerenda Deo sacrificia spiritualia in sincera precum oblatione, corporis mortificatione, et humiliati cordis gemitu; et insuper Sacerdotes, et Clerici fiunt ex Laicis. Vide quæ jam diximus Vol. XI, pag. 296 explicando eundem Tertulliani locum.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM ORDO SIT UNUM EX SEPTEM SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS.

NOTANDUM 1. Ex Subtili Doctore, Ordinem considerari posse duobus modis: *primo*, pro ipso gradu, seu potestate, qua quis constituitur in officio et dignitate Ecclesiæ Ministri; et non solum a Laicis, sed etiam a cæteris Clericis, ac Ecclesiasticis Ministris distinguitur: *secundo*, pro ordinatione, seu collatione hujus gradus, seu pro actione, qua quis dignitatem ac auctoritatem obtinet sibi commissum sacrum ministerium exequendi. Priori modo, inquit Doctor, dist. 24. n. 8. *Ordo non*

est Sacramentum, quia omne Sacramentum est signum sensibile: Ordo autem quidam gradus est spiritualis. Tamen accipiendo Sacramentum pro signo invisibili, sicut aliquid dicitur res, et Sacramentum, hoc modo potest dici Sacramentum; quia est signum convenientis gradus executionis actus debili illi gradui; et etiam signum illius actus convenientis tali gradui. Quibus verbis Doctor significat, Ordinem sumptum pro gradu seu caractere, non esse Sacramentum proprie dictum, sed potius rem, seu effectum Sacramenti. Unde hic potissimum sermo erit de Sacramento, juxta posteriorem acceptionem, videlicet pro actione sacra, qua quis a Superiore constituitur in gradu Ecclesiastico ad sacra ministeria obeunda. Nec obstat quod Sotus dist. 24. art. 1. asserat distinctionem illam inter *Ordinem*, et *Ordinationem* esse gratis inventam. Licet enim (*inquit Hiquæus in Commentario ad dist. 24. n. 83.*) Ordo juxta consuetudinem presentem sumatur pro ipsa Ordinatione, appellatione causæ per effectum, tamen in propria locutione Ordo designat potestatem traditam per Sacramentum, et gradum, quo constituitur quis in gradu eminenti in Ecclesia, ad ministerium Sacramentale. Ordinationo vero significat collationem illius dignitatis per Sacramentum sensibile, seu ipsum Sacramentum in usu; et sic vocant antiqui Patres collationem gradus, Ordinationem, non Ordinem. Ita Zephyrinus Papa Epist. 2; Auctor Comment. in Epist. *Ad Timoth.*, cap. 4. inter opera Ambrosii, Hieronymi, et Augustini. Innocentius, Leo Magnus, Gelasius, Braccarense II, citati. Primasius in 1. *Ad Timoth.*, cap. 5. Et insuper appellatio, quæ Græcis etiam est in usu, *manuum impositionis*, quæ ex Scriptura est, eandem proportionem servat, appellando mysterium ab actione per quam potestas datur. Non gratis ergo distinctio præmissa adducitur, quam vel ratio ipsius Soti comprobatur; nam si in materia et forma sensibili consistit significatio et efficacia Sacramentalis, effectus vero seu res collata in potestate et gratia, debent propriis appellationibus discerni. *Ita Hiquæus.*

NOTANDUM 2. Nobis in hac Quæstione sermonem esse, ac litem et controversiam institui adversus hæreticos, utrum videlicet Ordo, seu Ordinationo in universum, sit unum ex septem novæ Legis Sacramentis; cum enim in Ecclesia Dei sint multæ Ordinationes, et plurimi Ordines, ut constabit ex dicendis Articulo sequenti, de omnibus istis singillatim cum hæreticis non contendimus; siquidem de plurimis illorum utrum dignitatem et rationem Sacramenti obtineant, adhuc controvertitur apud Theologos, nec quidquam hactenus circa hujus difficultatis eliquationem ab Ecclesia distincte statutum ac definitum est. Est igitur de Ordinatione generatim cum hæreticis instituenda disceptatio, utrum sit novæ Legis Sacramentum a Christo institutum, ita ut aliqua ordinationo, seu ordo Sacramenti dignitatem et rationem obtineat.

NOTANDUM 3. Quod etsi ex antiquioribus hæreticis pauci videantur, qui Sacramentum Ordinis fuerint insectati, nihilominus Megaliani, ut refert S. Damascenus, lib. *De hæresibus*, asserebant in Ordinatione Clericorum non dari Spiritum Sanctum. Hæretice etiam Wicleffus de Ordinis Sacramento sensit; nam, ut refert Villedordus in libr. *Contra ipsum*, recensens errores ejus damnatos in Concilio Constantiensi, sub titulo, *Contra Sacramentum Ordinis*, octavus illius error erat: *Christus ordinat quemcumque, et quandocumque voluerit; ita ut*

*sequens Christum in moribus secure possit de seipso confidere, quod deficiente Prælato Cæsareo, sit a Christo legitime ordinatus. Nonus autem error ab eodem Auctore sic refertur: Conjectura probabilis est, quod talis, qui recte vivit, est Diaconus, vel Sacerdos; sicut enim conjicio, quod iste est Joannes, sic probabili conjectura cognosco, quod iste sancte vivendo constitutus est in tali officio. Ex quo videtur, omnem ordinationem Ecclesiæ, non ad cæremoniam a Christo institutam, sed ad gratiam invisibilem recte vivendi reducere, ac proinde verum Sacramentum Ordinis negare. — Verum recentiores hæretici aperte Ordinem e numero Sacramentorum respuunt; nam Lutherus, lib. *De Captivitate Babylonica*, cap. de Ordine: *Sacramentum, inquit, Ordinis Ecclesia Christi ignorat, inventumque est ab Ecclesia Papæ, etc.* Et adversus Articulos Lovanienses: *Ordo non est Sacramentum, sed officium, aut vocatio Ministrorum, qui ad Ecclesiæ gubernationem vocantur.* Sic Melancton in *Locis*, et Calvinus, lib. 4. *Instit.*, cap. 19. n. 22. ubi ridet Catholicos, quod Ordinem pro Sacramento admittant: *Quantum, inquit, locum in eorum Catalogo tenet Sacramentum Ordinis, sed adeo facundum, ut septem ex se sacramentalia pariat.* Et postea fuse in Ordines Minores invehitur. Idem tamen Calvinus, hoc cap. n. 28. vocat *Ordinem Presbyterii fidele spiritualis gratiæ symbolum.* Et cap. 14. num. 22. loquens de impositione manuum, hæc habet: *Nam impositio manuum, etc. ut non invitatus patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero.* Quod ideo se dixisse asserit c. 19. n. 28. cit. quia hoc Sacramentum non est commune omnibus fidelibus. Hinc Novatores, Ordines Catholicæ Ecclesiæ nullos plape, et mera iudibria pronuntiant. Sic Calvinus, lib. 4. *Institut.*, cap. 5. n. 3. Beza, apud Saravium in defensione, Tract. p. 66. *Papisticam Ordinationem nihil aliud reputat, quam fœdissimas (sic turpis ille nebulo loquitur) Romani prostibuli nundinationes.* Fulcus, Minister Anglus in Betentia, pag. 67. *Ex toto, inquit, corde detestamur, et conspuimus antichristianos vestros, oidos et squalidos ordines.* Porro veritatem Catholicam contra hos omnes erroneos propugnabit ac declarabit*

Conclusio unica. — ORDINATIO, QUA MINISTRI ECCLESIE INITIANTUR, EST VERUM AC PROPRIE DICTUM NOVÆ LEGIS SACRAMENTUM. Hæc est de fide, definita in Concilio Chalcedonensi, Act. 15. Can. 2. *Si quis Episcoporum, accepta pecunia, Ordinationem fecerit, et sub pretium deduxerit impretiabilem gratiam, etc.* Quibus verbis Concilium supponit gratiam conferri in Ordinatione, ac proinde Sacramentum esse; siquidem in ea est signum, seu ritus exterior; tum etiam divina institutio, sine qua gratia conferri non posset. Idem statuit *Braccharense secundum*, Can. 2. his verbis: *Placuit, ut de Ordinatione Clericorum Episcopi munera nulla accipiant, sed sicut scriptum est, quod gratis donante Deo accipiunt, gratis dent: non aliquo pretio gratia Dei, et impositio manuum vendatur; quia antiqua definitio Patrum ita de Ecclesiasticis Ordinationibus statuit, dicens: Anathema sit danti et accipienti, etc.* — Sed omissis aliis plurimis Conciliis eandem veritatem attestantibus, illam aperte tradunt et definiunt Florentinum in Decreto Eugenii: *Sextum, inquit, Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, etc.*

Necnon et Concilium Tridentinum, Sess. 7. Can. 1. ubi agens de septem Sacramentis, inter quæ Ordinem numerat, ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta.... aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Et Sess. 23. hanc doctrinam expresse tradit, maxime cap. 3. ubi ait: *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica Traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur gratiam conferri, dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem S. Ecclesiæ Sacramentis.*

Probatur autem hæc Catholica veritas hac evidenti ratione: ad rationem Sacramenti novæ Legis tria tantum desiderantur, nempe quod sit cæremonia sensibilis divinitus ac permanentiter instituta, in cujus usu et exercitio gratia infallibiliter conferatur: sed ordinatio qua Ecclesiæ Ministri initiantur hæc tria sibi vindicat: igitur est verum ac proprie dictum Sacramentum. *Major constat* ex jam pluries dictis. *Minor etiam* est evidens quantum ad *primam et secundam partem*, siquidem, ut apparebit in sequenti Quæstione, Ordo semper in Ecclesia collatus fuit per signum aliquod sensibile et externum, puta vel per impositionem manuum, vel per porrectionem et traditionem alicujus rei deservientis ad sacrum ministerium. Similiter ritus ille initiandi Ecclesiæ Ministros divinitus ac permanentiter institutus apparet ex perpetua et constanti Ecclesiæ Traditione ac praxi. Solum itaque superest demonstrandum, huic cæremoniæ ac sacro ritui infallibilem gratiæ promissionem et collationem esse annexam.

Primo quidem id colligitur ex 1. ad Timoth. 4. ubi Apostolus Timotheum admonet: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Et 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.* Ubi Apostolus significat, per impositionem manuum tam suarum, quam Presbyterii, seu cætus Presbyterorum, qui cum Episcopo manus imponunt supra caput illius, qui in Presbyterum ordinatur, Timotheum una cum Ordine Presbyterali, necnon et Episcopali, gratiam excepisse non tantum gratis datam, ut fingit Kemnitius, sed gratum facientem et sanctificantem, quæ una cum charitate infunditur. Quod utique non obscure declarat Apostolus, quippe statim subdit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis.* Nec obstat, quod in priori testimonio mentionem faciat Apostolus de Prophetia, quæ est gratia gratis data, etenim per Prophetiam non intelligit donum illud gratis datum, quo quis vel futura prænuntiat, vel detegit abscondita; sed intelligit vel revelationem sibi factam, qua Timotheum in Episcopum delegit, et consecravit per impositionem manuum suarum, necnon et sibi assistentium Episcoporum; vel potius divinam et supernaturalem operationem, qua in ordinatione fuit sanctificatus; simili modo loquendi, quò Scriptura miraculosam operationem vocat Prophetiam Eccl. 48. ubi mortuum corpus Elisæi dicitur prophetasse, idest suscitasse hominem mortuum, prout refertur 4. Reg., 13. Vel Prophetiæ nomine significare voluit formam Sacramenti, seu mysticum sermonem, qui cum impositione manuum adhibetur. Solet enim S. Paulus omnem divinitus traditum

sermonem, aut divinorum mysteriorum explicationem, appellare Prophetiam, ut patet ex 1. Cor. 14. v. 3. 24. et 29.

Probatur secundo auctoritate SS. Patrum, qui constanter affirmant, per Ordinationem et manus impositionem conferri gratiam sanctificantem; et eam verum esse Sacramentum. Prodit imprimis S. Dionysius Areopagita, lib. *De Eccles. Hierarchia*, cap. 5. ubi sermonem faciens de Ordinatione, et de ritu ordinandorum, sic illius efficacitatem explicat, ut per eam conferri gratiam non deneget; ait enim: *Antistitum, seu Episcoporum Ordinem esse per se sufficientem; Sacerdotum vero illuminantem; inferiorum vero Ministrorum purgantem et discernentem.* Qui utique effectus gratiam sanctificantem et internam connotant. — Similiter S. Ignatius, Epist. ad Smyrnenses, ait: *Omnes Episcopum sequimini, ut Christus Patrem, et Presbyterorum collegium ut Apostolos, Diaconos vereamini, ut ex Dei præcepto ministrantes.* — Similiter S. Cyprianus, vel quisquis est auctor Sermonis *De ablutione pedum*: *Docetur ergo, inquit, quæ sit Baptismi, et aliorum Sacramentorum stabilitas, et quantum ad expiationem proficiat humilis pietas, et pia humilitas, et quomodo omni tempore prosequenda et repetenda sit ablutio pedum, per quam rite cognitam et intellectam adhærentes, animæ sordes quotidiana satisfactione lavantur. Nam Baptisma repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, et semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere, nemo sacros Ordines datos iterum renovat.* Numerat igitur inter Sacramenta, quæ iterari non possunt, Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, eaque distinguit ab ablutione pedum, quæ repeti recte potest. — Idem habet S. Ambrosius, *De Dignitate Sacerdotii*, cap. 4. *Quis dat, frater, Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus, homo imponit simplicem dexteram, et Deus benedicit potenti dextera. Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem.* Et in 1. ad Timoth. cap. 4. *Gratiam tamen dari ordinatoris, significat per Prophetiam, et manuum impositionem. Prophetia est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus; manus vero impositiones, verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia, ut audeat vice Dei Domini Sacrificium Deo offerre.* — Hieronymus, in cap. 4. *Isaiæ: Plerique nostrum Χειροτονίαν, idest, ordinationem Clericorum, etc.* Auctor libri quæstionum novi et veteris Testamenti (sive sit Augustinus, sive, quod verius est, alius Auctor, antiquus saltem est, et ut colligi videtur ex q. 44. antiquior Augustino, et Hieronymo) q. 93. explicans illa verba: *Accipite Spiritum sanctum, quod insufflasse, inquit, in Discipulos Dominus legitur post dies paucos Resurrectionis suæ, et dixisse, Accipite Spiritum sanctum, Ecclesiastica ea potestas collata intelligitur esse.* Et addit, hanc potestatem esse potestatem illam, de qua Joann. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta erunt, etc. et inspirationem, ait, gratiam quamdam esse, quæ infunditur ordinatis.* — Ipsis concinit S. Augustinus, lib. 2. *Contra Parmenianum*, cap. 13. ubi sic ait: *Nulla ostenditur causa, cur qui Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit: utrumque enim Sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur.* Et paulo post: *Sacramentum Ordinationis appellat, vel in plurali Sacramenta.*

Et inferius: *Ipsi explicant, inquit, quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti, et Sacramentum ordinati possit amitti: si enim utrumque Sacramentum est (quod nemo dubitat), cur illud non amittitur, et istud amittitur? Idem lib. 1. De Baptismo, contra Donatistas, cap. 1. Sacramentum Baptismi est quod habet qui baptizatur, et Sacramentum dandi Baptismi, est quod habet qui ordinatur. Et lib. De bono conjugali, cap. 24. Ordinationem, Sacramentum Ordinationis, et Sacramentum Domini vocat. — Et S. Leo, Epist. 81. quam Dioscoro scribit cap. 1. De Ordinatione, loquens: *Intelligamus, inquit, quanta devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum, negligenter videatur impletum.* Et Epist. 87. ad Episcopos Africanos, cap. 1. contra illegitime ordinatos sic invehitur: *Quis audeat dissimulare, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* — Demum Gregorius Magnus, lib. 4. in libros *Regum*, cap. 4. explicans illud ex libro primo *Regum*: *Tulit Samuel lenticulam olei, hæc habet: In hac unctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur: quia in culmine ponitur, qui Sacramenta suscipit unctionis: quia vero ipsa unctio Sacramentum est, is qui promovetur, bene foris ungitur, si intus virtute Sacramenti roboretur.* His addere placet, quæ habet S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio*: *Sacerdotium, inquit, in terra peragitur; sed in rerum cælestium classem et ordinem referendum est, atque id perquam merito; quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata persona, sed ipse Paracletus ejusmodi Ordinem disposuit: atque adhuc manentes in carne ministerio præstitit Angelorum fungi, propter quod oportet Pontificem, quasi, qui in ipso constat cælo, illisque virtutibus misceatur, ita vitæ splendore irradiatum esse, etc.**

Suaderi etiam potest hæc Catholica veritas ratione congruenti; primo quidem: non minoris dignitatis et sanctitatis debet esse Sacerdotium in nova et Evangelica Lege, quam in Mosaica: sed in hac Sacerdotium erat verum Sacramentum: ergo et in illa. *Major constat: nam, ut ait S. Paulus ad Hebr. 10. Lex Mosaica, ejusque sacrificia et sacramenta erant figuræ eorum, quæ sunt in novo Testamento: Umbram enim, inquit, habens lex futurorum bonorum, etc. Minor vero probatur: Ordinatio Sacerdotum Legis veteris erat cæremonia externa divinitus et permanentemente instituta, conferens homini sanctitatem quamdam legalem, necnon et inaugurationem ad sacrum ministerium peragendum: sed ista sufficiunt ad veram et proprie dictam rationem Sacramenti: igitur, etc.* — *Deinde, per Ordinationem homines fiunt sacrorum mysteriorum tractatores et administratores; igitur convenientissimum fuit, ut una cum potestate ad illa sacra mysteria peragenda gratiam reciperent, qua fierent idonei executores et Ministri; nam, inquit Ennodius Ticinensis, Deus aut illustres ad fastigia erigit, aut qui eriguntur illustrat: ita quod, dum creaturam destinat ad aliquod opus, non solum id exequitur per extrinsecam dumtaxat ordinationem, sed etiam intrinsecam ei virtutem largitur, ut constat in ordine naturali, in quo Deus per intrinsecas virtutes et inclinationes res naturales deducit ad fines, ad quos illas destinaverat. Quod utique non solum verum est in naturalibus, sed etiam in iis, quæ ad finem supernaturalem spectant; non enim minoris curæ Deo esse debet*

providere de mediis necessariis ad finem supernaturalem consequendum, quam ad naturalem. — *Deinde*, quia in Baptismo conceditur facultas suscipiendi Eucharistiam, et alia Sacramenta, etiam confertur gratia ad illa debite recipienda, necnon ad Christianam Religionem et vitam rite sectandam: igitur a simili, cum in Ordinatione confertur potestas ad conferenda Sacramenta, debet pariter in ea concedi gratia ad illa rite administranda, necnon ad sectandam illam vitam sanctimoniam, quæ decet Dei Ministrum, et dispensatorem mysteriorum ejus. Quod utique confirmatur a simili; nam Christus Dominus, Joan. 20. concedens Apostolis potestatem remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, simul eis infudit Spiritus sancti gratiam, dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis*. Igitur pari ratione dum Christus Dominus suos Apostolos in Sacerdotes, et Episcopos inauguravit, tum ut sacrum suum Corpus conficerent in Missæ Sacrificio, tum ut Corpus mysticum, nempe Ecclesiam regerent et sanctificarent, concedere debuit gratiam una cum illa potestate, ut eam qua par erat pietate administrarent.

OBJICIES 1. Idem est iudicium ferendum de cæteris inaugurationibus et institutionibus Ministrorum Ecclesiæ, ac de institutione Apostolorum in Sacerdotes et Episcopos: sed Christus Dominus sine ullo ritu externo, ac subinde sine ullo Sacramento suos Apostolos in Sacerdotes et Episcopos instituit: igitur, etc. — **Respondeo primo**, *negari posse majorem*: cum enim Christi Domini potestas et auctoritas non esset Sacramentis alligata, nec ministerialis, sed principalis, ideo poterat suos Apostolos sine Sacramento ordinare; quemadmodum non improbable est eos sine ullo Sacramento confirmasse; sicut etiam Magdalenæ remisit peccata sine ulla forma absolutionis Sacramentalis. **Respondeo secundo**, forte Christum Dominum usum esse impositione manuum, vel alia externa cæremonia, dum in ultima Cœna Apostolos in Sacerdotes instituit. Saltem certum est, quod eis non sine verbis dederit potestatem consecrandi; dixit enim Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Similiter pro signo externo eis porrexit panem et calicem consecratum. *His adde*, quod ille ritus initiandi Ecclesiæ Ministros non adeo constanter et permanentemente constitutus esset, ut apparet ex continua Ecclesiæ praxi, nisi fuisset a Christo præscriptus et ordinatus.

OBJICIES 2. Omne Sacramentum per se ordinatur ad sanctificationem suscipientium: sed ordinatio per se non ordinatur ad sanctificationem ordinatorum, sed potius ad sanctificationem aliorum: igitur, etc. — **Distinguo majorem**: ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium, vel per se primo, vel per se secundo, *concedo*: per se primo tantum, *nego*. *Et similiter distincta minore, nego consequentiam*. Licet enim ordinatio per se primo tendat in aliorum sanctificationem per Sacramenta conferendam; attamen cum secundo saltem tendat in dignam administrationem Sacramentorum, quæ fieri non potest absque gratia sanctificante ipsum Ministrum, hinc est, quod per se saltem secundo ordinetur ad sanctificationem ipsius suscipientis.

OBJICIES 3. Ordinatio apud Græcos vocatur *Χειροτονία*, vel *Χειροθεσία*; id est, *manuum impositio*, vel *manuum extensio*: sed vocabulum istud solum electionem per suffragium et elevationem manus significat, non

autem consecrationem per signum aliquod sensibile: igitur ordinatio non est Sacramentum. *Major constat* tum ex Canone 4. Concilii Nicœni, tum ex Canone 19. Concilii Antiocheni sub Julio Papa. *Minor vero probatur*, non solum auctoritate Scriptorum Ecclesiasticorum, sed etiam Concilii Laodiceni, Can. 6. ubi statuitur *Χειροτονία*, idest, *electionem Ministrorum Ecclesiæ, non oportere fieri in præsentia eorum qui audiunt*, idest, Catechumenorum; nam in electionibus crimina eorum, de quibus agitur, denudari solebant ab electoribus; id vero publice fieri minime erat consentaneum. Idem habetur Can. 13. Concilii Carthaginensis, ut refertur in codice 13. Canonum Ecclesiæ Africanæ. Sed etiam idipsum constat ex Auctoribus profanis, quemadmodum intelligi potest, tum ex Demosthene contra Timocratem, tum etiam ex Tullio passim, ut Epist. 6. lib. 7. et lib. 4. quæstionum Academicarum, sed præsertim in Oratione pro Flacco. Porro hoc nomine ad designandam electionem ideo usi sunt Veteres, quod electiones antiquitus et suffragia de eligendis ferebantur per manuum elevationem, seu in altum extensionem et porrectionem, ut significat Cicero mox laudata Oratione pro Flacco, ubi Græcum hunc morem graphice describit: *Data*, inquit, *concio Lælio processit ille, et Græcus apud Græcos, non de culpa sua dixit, sed de pœna sua questus est; porrexerunt manus*, etc. Hinc etiam est, quod apud eosdem Auctores *Χειροτονίη* pro Magistratus et Rectorum electione, creatione et institutione usurpatur. — **Respondeo**, vocem illam equidem ex primaria sua institutione solum electionem per suffragium, et elevationem et porrectionem manuum significasse; verum ex usu et praxi Ecclesiæ factum est, ut etiam ad significandam sacram Ecclesiæ Ministrorum inaugurationem et consecrationem usurparetur. Ita vocabulum istud interpretatur Zonaras scribens in primum Canonem Apostolorum, ubi sic habet: *Cum turbæ liceret in urbibus eligere sacrorum præfectos, conveniebat ipsa turba, et alii quidem hunc, alii vero deligebant illum; quatenus autem plurium suffragium vinceret, eligentes fuerunt solitos extendere manus, et per manus ita porrectas numerabantur qui vel hunc, vel illum deligissent*. Hinc est, quod apud Græcos, necnon et in Ecclesiæ Græcæ Euchologiis et Ritualibus vocabulum *Χειροτονίη* pro sacra auguratione Ecclesiæ Ministrorum usurpatur.

EX HIS COLLIGE, Ordinem, sive potius Ordinationem, recte definiri a Doctore Subtili dist. 24. n. 8. his verbis: *Ordinatio est institutio aliqujus in gradu Ecclesiæ præeminente, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta a Ministro idoneo, certa verba proferente, et simul cum intentione debita, ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione divina efficaciter significans gratiam præeminentem, qua ordinatus digne aliquod ministerium exequatur*. Vel brevius, et forte accuratius, Ordo definiri potest: *Sacramentum novæ Legis, quo spiritualis potestas ordinato tribuitur, ad rite peragendum aliquod ministerium circa divinam Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam*. Dicitur primo *Sacramentum novæ Legis*, in quo cum aliis sex Sacramentis univoce convenit. Additur, *in quo tribuitur potestas*, hoc est, facultas rem sacram exequendi. Nam in Ordine non traditur potentia passiva circa res sacras recipiendas, sicut in Baptismo, sed activa, et effectiva; unde convenientius acti-

vitas illa explicatur nomine potestatis, quam potentiae. Dicitur *spiritualis*, quo significatur potestatem illam, quam ordinatus accipit in ordinatione sua, plurimum distare a potestate saeculari et civili, qua aliquis v. g. praeficitur vel Reipub. vel exercitui. Additur tandem, *circa Eucharistiam*; quippe omnes quotquot sunt Ordines immediate vel mediate ad celebrandum Eucharistiae Sacrificium, conficiendumve Sacramentum spectant; nam Sacerdote celebrante, et Eucharistiam conficiente, Diaconus et Subdiaconus inserviunt, Acolytus pariter cereos accendendo et deferendo; Exorcista vero daemones ab obsessis abigendo, ut obsessi apti fiant et idonei, qui sacrificio intersint; Lector autem sacra lectione astantium animos erigit, quatenus debite Sacrificio intersint; Ostiarius denique dignos admittit, ut ipsius celebrationi adsint, et indignos arcet ac excludit.

Ut autem planior et plenior habeatur notitia mox assignatae definitionis, necnon et eorum, quae hactenus diximus, et dicturi sumus, observandum est, duplicem in Ecclesiae Ministris distingui potestatem, Ordinis videlicet, et Jurisdictionis. Potestas Ordinis tendit in Corpus Christi verum in sacrosancta Eucharistia conficiendum, aut ministrandum. Potestas vero Jurisdictionis exercetur circa Corpus Christi mysticum, nimirum Ecclesiam, et coetum fidelium regendum et gubernandum, quatenus aeternam salutem possit assequi. Potestas Ordinis etiam tendit in Corpus Christi mysticum, fideles nempe per Sacramenta sanctificandos; at jurisdictionis potestas dumtaxat circa Corpus Christi mysticum occupatur; includit enim aliquam jurisdictionem in Corpus Christi mysticum moderandum, et regendum. Utrique potestati suus in Ecclesia respondet Ordo, seu Ordinatio; quemadmodum enim est subordinatio inter Ministros Ecclesiae, qui occupantur circa Corpus Christi verum conficiendum et ministrandum, ita ut Lectores Ostiariis et Ostiarii Acolytis, Acolyti Subdiaconis, Subdiaconi Diaconis, et illi omnes Sacerdoti subiciantur; ita est subordinatio inter ipsos Ecclesiae Ministros; nam simplices Ecclesiae Sacerdotes Curatis, Curati Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Primatibus, Primates Patriarchis, Patriarchae vero summo Ecclesiae Pontifici subiciuntur. Unde in Ecclesia duplex generatim distingui potest Ordo, sicut duplex auctoritas ac potestas, nempe jurisdictionis seu regiminis, et consecrationis seu ministerii ad Altare. De priori hic non est sermo, sed tantum de posteriori.

QUAESTIO TERTIA.

UTRUM, ET QUENAM SIT SACRAMENTI ORDINIS MATERIA ET FORMA.

NOTANDUM 1. Quod in omnibus Sacramentis distingui possit materia et forma, ut jam pluries diximus. Insuper, Sacramenta considerari debent duobus modis: *primo*, totaliter et adaequate, secundum suam rationem metaphysicam, quae explicatur in eorum definitione, et ipsis convenit in ratione signi Sacramentalis, quatenus videlicet Sacramentum complectitur tum rem ipsam sensibilem, cui attribuitur ipsa Sacramentalis significatio et effectiva seu practica gratiae tum formalem ejusmodi gratiae significationem, quae ipsi rei sensibili divi-

nitus indita est. *Secundo*, partialiter et inadæquate, nimirum secundum naturam et rationem physicam ipsius rei exterioris et sensibilis, cui advenit significatio Sacramentalis; quo sensu Sacramentum nihil aliud est, quam illa res exterior et sensibilis, quæ significationi Sacramentali subjacet. Quemadmodum in artefactis, statua v. g. duobus modis considerari potest: vel adæquate, secundum rationem completam statuæ; quo sensu constat ex re physica, puta auro, vel marmore, in quod per artem forma statuæ inducitur; vel inadæquate et physice, videlicet secundum rationem et naturam physicam illius rei, in quam ipsa forma artificialis inducitur; quo sensu nihil aliud est, quam aurum, vel marmor, quod sua materia, et forma physice constat. Idem dicendum est de Sacramentis, illa namque sunt res quædam artificiales, quæ ex Dei arbitrio et voluntate veluti divino artificio sic efformatæ sunt, ut sanctitatis et gratiæ efficiendæ vim habeant. — Secundum autem duplicem illam considerationem, duplex in Sacramentis novæ Legis distingui potest materia, et forma: una quidem totalis et adæquata, quæ convenit Sacramento totaliter et adæquate spectato, quod habet in ratione signi Sacramentalis; altera vero partialis et inadæquata, quæ convenit Sacramento secundum esse physicum illius rei sensibilis, cui attribuitur ipsa ratio Sacramentalis. Sic in Baptismo totaliter et adæquate considerato, per modum alicujus artefacti divini, materia totalis et adæquata est aggregatum illud physicum, quod constat ablutione exteriori, necnon et præscripta verborum formula, quibus Baptismus integratur et perficitur; forma vero totalis adæquata est significatio practica gratiæ sanctificantis, per quam istud compositum ex re sensibili et verbis constituitur in esse Sacramenti, seu signi Sacramentalis. Si vero spectetur Baptismus inadæquate, ipsius materia est aqua elementaris; forma vero sunt verba, quæ ipsam materiam determinant ad significandam ablutionem animæ a peccatis, juxta illud S. August. Tract. 80. in Joann. *Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.*

NOTANDUM 2. Quod etsi hæc constantissima sit Theologorum doctrina de Sacramentorum materia et forma, utpote apud omnes usu recepta, et Conciliorum generalium auctoritate comprobata, maxime vero Concilii Florentini in Decreto Eugenii, ubi aperte traditur, Sacramenta novæ Legis constare rebus et verbis tamquam materia et forma; necnon et Tridentini Sess. 14. cap. 3. ubi ait, actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ; nihilominus ipsam doctrinam impugnare, ac vellicare nititur Morinus, exercitatione 1. cap. 3. *De Sacris Ordinationibus*, ubi ait n. 2. istam Sacramenta explicandi rationem per materiam et formam e Philosophia Peripathetica natam esse, quæ rerum naturas sub his nominibus requirere et examinare solet; additque Scholas Theologicas jam annis centum Philosophiam Peripatheticam occupasse, antequam istam tradendi Sacramenta methodum usurparent Theologi; nihil enim de ea Lanfrancus, Guilmundus, Anselmus, Yvo, Abailardus, qui eo tempore, et aliquanto post maxima cum omnium admiratione multa scripserunt; nec etiam qui hos Auctores immediate secuti sunt, horum nominum in doctrina Sacramentorum, quam diligenter explicant, mentionem faciunt. Quamvis postea n. 9. lubens tateatur, quod cum hanc docendi methodum universus Occidens ab aliquot sæculis amplexus fuerit, atque Oriens non

improbaverit, fieri non posse, ut id utile non sit et commodum, quod tanto consensu usurpatur. — Verum quantum hallucinetur, et a solida Theologiæ doctrina alienus sit Morinus, aperte constat ex his, quæ diximus de materia et forma Sacramentorum in communi, ubi declaratum est, quod etsi veteres Ecclesiæ Patres ac Doctores in explicanda Sacramentorum natura et constitutione usi non fuerint vocabulis materiæ et formæ, attamen res istis vocabulis significata semper constans fuit in eorum doctrina; quippe ubi agunt de Sacramentis a Christo institutis, nil apud eos magis solemne est, quam Sacramenta nostra constare rebus et verbis, juxta illud S. August. celebre effatum, Tract. 80. in Joann., verbo Baptismus consecratur: *Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Itaque omissa fusiori ac longiori ipsius Neotherici impugnatione, hic inquirendum est ac declarandum, utrum Ordines Ecclesiastici, quemadmodum et alia novæ Legis Sacramenta, habeant determinatam materiam et formam, non solum quatenus considerantur secundum suum esse totale et adæquatum, et prout Ordo est signaculum, sive signum aliquod, sacrum collativum potestatis ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam; necnon et secundum eorum esse parziale et inadæquatum, hoc est, secundum esse physicum et sensibile quod habent, quo sensu Ordo nihil est aliud, quam ritus ille sensibilis, quo hujusmodi potestas tribuitur, de qua utique acceptione movetur præsens quæstio, utrum videlicet collatio et confectio Sacramenti Ordinis posita sit dumtaxat in aliqua re sive actu exteriori absque verbis; aut e contra solis constet dumtaxat verbis sine ulla re sensibili; vel an ex utroque integretur, nimirum re sensibili, et verbis, tamquam materia et forma partiali ac sensibili.

NOTANDUM 3. Materiam et formam Sacramentorum considerari posse duobus modis fuisse determinatam: nimirum vel in specie infima, qualiter aqua elementaris a Christo Domino determinata est ad materiam Baptismi; vel dumtaxat in genere, constituendo, videlicet aliquod certum signum sensibile, non determinando ipsius speciem et modum; quo sensu Christus Dominus statuit ut materia Matrimonii constitueretur in legitimo et mutuo contrahentium consensu, non determinando an hujusmodi consensus legitimus deberet esse publicus, et coram pastore ac testibus Ecclesiasticis, an vero sufficeret privatus, et clandestinus; neque enim voluit determinare condiciones ad legitimum consensum requisitas et necessarias; sed id totum Ecclesiæ judicio determinandum commisit. Quæritur itaque, an supposito quod in conferendis et conficiendis sacris Ordinibus, aliquid sit admittendum per modum materiæ, et aliud per modum formæ, quonam modo utrumque sit determinatum, an videlicet in specie, an dumtaxat in genere.

Conclusio prima. — REVERA QUILIBET ORDO CONSTAT ESSENTIALITER ALIQUA RE SENSIBILI, SEU ACTU EXTERIORI TAMQUAM MATERIA, ET VERBIS TAMQUAM FORMA. Hæc est communis apud Theologos, et-expresse traditur in Concilio Florentino, ubi de Ordinis Sacramento legimus: « Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia « est illud, per cujus traditionem conferitur Ordo; forma Sacerdotii « talis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro viris.*

« et mortuis, in nomine Patris, etc. » Favet etiam Concilium Trid., Sess. 23. cap. 3. his verbis: *Patrum unanimi consensu perspicuum est, per sacram Ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus conficitur, gratiam conferri.*

Probatur Conclusio ex continua et constanti praxi utriusque Ecclesiæ, Orientalis et Occidentalis, in qua omnium et singulorum Ordinum collatio et administratio ita semper facta est, ut per aliquem ritum exteriorem, certamque verborum formulam fuerit perfecta; quemadmodum facile conspici potest, *tum* in Pontificali Romano, *tum* in Euchologiis et Ritualibus Græcis, ut apparebit ex infra dicendis, ubi singulorum Ordinum collationem, materiam, et formam expendemus. — *Deinde*, in hoc discrepant Sacramenta novæ Legis a Sacramentis Legis veteris, quod hæc solis rebus exterioribus constarent, puta vel Sacrificiorum oblatione, vel aquæ benedictæ lustratione, vel oblatae victimæ sanguinis aspersione; Sacramenta vero novæ non solùm rebus, sed etiam certa quadam verborum formula perfici debent ac conferri; unde vulgare est et receptum apud Theologos et Catholicos Scriptores illud Concilii Florentini, quo novæ Legis Sacramenta omnia perficiuntur rebus ut materia, verbis autem ut forma. — *Denique*, Sacramenta novæ Legis sunt signa certa et determinata gratiæ per illa conferendæ: sed non essent signa certa, nisi constarent re aliqua sensibili, quæ quamdam convenientiam et analogiam habeat cum gratia, per hoc signum expressa: neque essent determinata, nisi aliqua adjiceretur verborum formula, quæ res sensibiles ad hunc effectum significandum potius quam alterum determinaret; sic quia aqua naturalis ex se est indifferens ad refrigerandum, humectandum, ablundum, et alios hujusmodi effectus, ideirco necessum fuit, quod, ut illius infusio supra caput baptizandi distincte ac determinate significaret abluionem animæ a peccato, divina virtute factam, adjicerentur hæc verba: *Ego te baptizo*, etc. Itaque cum omnes Ordines ea ratione sint instituti, ut si non omnes, saltem eorum aliqui habeant veram ac perfectam rationem Sacramenti; cæteri vero ad horum similitudinem sint constituti et compositi; ita pariter rebus ac verbis constare debent ac perfici. Quod utique evidenter patebit ex dicendis infra de singulorum Ordinum essentia et administratione.

Conclusio secunda. — EORUM ORDINUM, QUI SUNT DIVINÆ INSTITUTIONIS, V. G. SACERDOTIUM, ET DIACONATUS, MATERIE, ET FORME NON SUNT DETERMINATÆ A CHRISTO DOMINO IN PARTICULARI ET IN SPECIE, SED TANTUM IN COMMUNI ET IN GENERE. Hæc mihi videtur probabilior, eamque expresse docent Arcudius, lib. 6. *De Sacramento Ordinis*, cap. 4. et Bellarminus, cap. 9. lib. *De Ordinibus*, atque omnes fere Theologi recentiores, quotquot accuratius attigerunt ea, quæ ad materias et formas Sacramentorum spectant.

Probari potest hæc assertio ex diversitate ritus ac cæremoniæ usurpari solitæ ab Ecclesia Latina, et Græca; Latini namque Ordines conferre solent instrumentorum porrectione, et verbis expresse significantibus ministerium, ac opus cujuscunque Ordinis, qui confertur; Græci vero absque ulla prorsus instrumentorum traditione nihil adjungunt verbis ab Episcopo prolatis præter solam manuum impositionem.

Similiter utuntur verbis differentibus ab iis, quæ Latini usurpare solent; nam apud Latinos in Ordinatione Sacerdotis v. g. Episcopus utitur hac forma: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis et mortuis, in nomine Patris, etc.* Apud Græcos autem Episcopus ordinans Sacerdotem dicere solet: *Divina gratia, quæ infirma semper curat, et deficientia supplet, promovet hunc Religiosum sacrum Diaconum in Presbyterum.* Qui utique ritus servatur non solum apud Græcos schismaticos, sed etiam apud eos, qui communionem habent cum Ecclesia Romana, imo et apud ipsos, qui Romæ degunt, et vidente ac annuente summō Pontifice, cujus beneficiis aluntur, Ordines conferre solent ac suscipere eo ritu, qui in eorum Euchologiis et Ritualibus continetur; qui utique diversus ritus Græcorum a Latinis nusquam fuit improbatus, nec vicissim Latinorum Ordinationes improbatæ sunt; sed summo consensu utraque Ecclesia Orientalis et Occidentalis alterutrius Ordinationes mutuo probavit, et semper ratas ac validas habuit. Ex quibus sic argumentari licet: ejus Sacramenti materia non est in particulari et in specie a Christo determinata, quæ diversa a diversis Ecclesiis potest usurpari: sed revera materia conficiendi ac conferendi Sacramenti Ordinis diversa a diversis Ecclesiis valide usurpatur: igitur illa materia non est in specie determinata. *Major constat:* in his enim, quæ sunt institutionis ac determinationis divinæ, Ecclesia nil variare, nec mutare potest; ac subinde necessum esset, quod vel alterutra Ecclesia, vel forte utraque legitime ac valide Ordines non conferret; quippe cum non servaret ritum, nec materiam adhiberet a Christo præscriptam; sicque non esset vera Ordinum collatio et celebratio, nec proinde verum Christi Sacerdotium, ullumve Ordinis Sacramentum in Ecclesia seu Latina, seu Græca; quod utique cogitare, et asserere impium est, et hæreticum damnatum a Concilio Tridentino, Can. 1. de Ordine: *Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, et externum, etc. anathema sit.* Quod etiam ipsa ratio aperte suadet; certum enim est Ecclesiam universam errare non posse in assignandis mediis ad salutem necessariis; ad hoc siquidem datæ sunt ei claves cum infallibili Christi promissione, quod portæ inferi adversus eam non sint prævalituræ: sed verum Ordinis Sacramentum, verumque Sacerdotium maxime necessarium est ad salutem; quippe ab eo pendent duo Sacramenta maxime ad salutem conducentia, nimirum Pœnitentia, et Eucharistia, quæ non nisi a legitimo Ministro per debitam formam ac materiam ordinato confici possunt, et ministrari. Concludendum est igitur, quod Ordinum, qui sunt institutionis divinæ, materia et forma non fuerit determinata in specie, sed solum in genere; quatenus videlicet Christus non determinavit speciatim et in particulari materiam et formam hujusmodi Ordinum, sed tantum instituerit, quod ejusmodi Ordines conferrentur sub aliquo signo sensibili expressivo potestatis illius, quæ per quemlibet Ordinem confertur, verbisque ad id proportionatis et convenientibus adjunctis. Specialem vero istius signi sensibilis, verborumque determinationem reliquerit penes auctoritatem Ecclesiæ, quæ prout, et quando judicaret conveniens, in particulari pro singulis ejusmodi Ordinibus, determinaret specialia signa et verba, quibus distincte significaretur et exprimeretur potestas per hujusmodi Ordines collata.

Quam utique veritatem luculenter explicat Arcudius, lib. 6. cap. 4. ubi cum declarasset diversum ritum ab Ecclesia Græca, et Latina usurpatum in conferendis Ordinibus, duplicem subjicit modum conciliandi utramque Ecclesiam: « Alter est, *inquit*, si dixerimus (quod « viris doctissimis placuit) ita institutum esse a Christo Domino Sacra- « mentum Ordinis, ut consecratio Ministrorum fieret aliquibus verbis, « et symbolis externis, quibus satis significaretur ministerium, ad quod « ordinabantur. Ut autem hæc potius, quam illa symbola adhiberentur, « reliquisse in arbitrio Ecclesiæ. Unde Concilium Trid., Sess. 23. c. 3. « sacram ait ordinationem, verbis et signis exterioribus perfici. Non « autem assignat Concilium, quænam sint verba et signa, quod ni- « mirum possint esse hæc, vel illa. Neque id mirum alicui videri debet. « Nam quorundam Sacramentorum materias Christus Dominus deter- « minate instituit (quod idem dicendum est de formis: v. g. Sacramenti « Baptismi materia est determinate sola aqua elementaris, Eucharistiæ « panis et vinum cum admixtione aquæ, Extremæ-Uctionis oleum; « quorundam vero indeterminate. Exemplo esse potest Sacramentum « Matrimonii, eorum sententia, qui volunt verba unius conjugis esse « materiam respectu alterius. Non est enim necesse verba, seu signa « esse determinate hæc, sed vel hæc, vel illa, dummodo expriment « voluntatem contrahendi et consensum. Simili fortasse ratione dici « potest in Sacramento Ordinis materiam esse traditionem potestatis, « sed vel hoc, vel illo modo expressam, hoc est, vel per porrectionem « clavium, v. g. vel per contactum, vel per impositionem manuum, « vel per aliquid simile, dummodo exprimat voluntatem tradendi po- « testatem illam spiritalem. Aliud præterea non dissimile nobis sup- « petit exemplum. Videmus enim, cum fit aliqua investitura, adhiberi « ab hominibus signa quedam externa, quibus ea investitura signifi- « cetur. Et tamen signa illa quoad materiale apud diversas gentes esse « diversa, quamvis in formali, quod est significatio talis potestatis, « convenient. Itaque credibile est Dominum instituisse materias Ordi- « num, non quidem in particulari, sed generatim, monendo Apostolos, « ut Ordines conferrent per aliquod symbolum sensibile, quo signifi- « caretur eorum potestas, sive illud esset impositio manus, sive por- « rectio instrumentorum, sive utraque simul. Unde apparet aliqua « varietas Ecclesiarum, cum alioquin in re nullatenus discrepent. « Semper enim Sacramentum Ordinis idem fuit. » *Hæc Arcudius.* Quibus significat, Ordinum materias et formas non fuisse a Christo Domino determinatas in specie, sed solum in genere, sub aliquo nimirum sensibili signo expressivo potestatis illius, quæ per quemlibet ejusmodi Ordinum confertur, verbisque ad id convenientibus et proportionatis, committendo Ecclesiæ auctoritatem determinandi ulterius in particulari, quænam debeat esse materia et forma cujusque Ordinis conferendi. Nee id dumtaxat peculiare est ac proprium Sacramento Ordinis, sed etiam idem ferendum est judicium de nonnullis aliis Sacramentis. *Primo*, namque id constat de Sacramento Matrimonii in quo Christus Dominus pro materia nihil aliud determinavit, quam legitimum utriusque contrahentis consensum, quisquis tandem ille sit, clandestinus, aut publicus; unde penes Ecclesiæ judicium fuit determinare nonnullas condiciones ad hujusmodi legitimum consensum re-

quisitas et necessarias. *Secundo*, idem apparet ex Sacramento Pœnitentiæ, in quo Christus Dominus pro materia generatim quidem determinavit tres actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem, et satisfactionem, quæ sunt veluti materia circa quam versatur et occupatur Pœnitentiæ Sacramentum; at in particulari non designavit, qualis debeat esse ejusdem contritio, utrum nempe necessario debeat esse perfecta, an vero solum imperfecta. Similiter non determinavit, an confessio facienda sit verbis, vel scripto, aut aliis signis; utrum denique Satisfactio fieri debeat ante vel post datam absolutionem; sed ista omnia penes Ecclesiæ judicium ac determinationem reliquit. *Tertio*, idipsum constat ex Sacramento Eucharistiæ, cujus quidem materiam voluit esse panem triticeum, et vinum de vite; sed in specie infima non designavit, utrum panis iste debeat esse azymus vel fermentatus, et an vinum debeat esse rubrum vel album. *Denique*, id apparet ex Sacramento Confirmationis, et Extremæ-Uctionis; etenim nonnulli Theologi censent, Christum Dominum pro ejusmodi Sacramentorum materia instituisse Chrisma, et oleum ab Episcopo benedictum, ita ut illa Episcopalis benedictio ad eorum Sacramentorum substantiam pertineat; quamvis non determinaverit in particulari verba, quibus utriusque benedictio fieri debeat, sed id Ecclesiæ arbitrio et determinationi reliquerit. — Simili itaque ratione dici potest, Christum Dominum in Sacramento Ordinis materiam non aliter determinasse, quam universim et in genere, nimirum sub aliquo signo sufficienter expressivo potestatis illius, quæ per Ordinem tribuitur. Qualiter autem exprimi, seu fieri debeat ejusmodi signum sensibile, an per porrectionem instrumentorum, vel per contactum, vel per impositionem manuum, expresse non determinavit; sed id Ecclesiæ arbitrio ac determinationi reliquit.

Probatur secunda pars, nempe, quod *Ordinum, qui sunt institutionis divinæ, materiæ et formæ fuerint a Christo determinatæ, saltem universim et in genere: tum* quia hujusmodi Ordines non rite censentur esse institutionis divinæ, nisi quia eorum materiæ et formæ sunt a Christo determinatæ saltem in genere; etenim instituere aliquem ritum exteriorem et sensibilem, rebus ac verbis sensibilibus essentialiter et intrinsece constantem, nihil est aliud, quam aliquo modo determinare, ut per hujusmodi res et verba celebretur et conficiatur: *tum* quia prædicti Ordines veram et proprie dictam Sacramenti rationem obtinent, ut constabit ex dicendis: sed Sacramentorum materiæ et formæ debent esse a Christo determinatæ, saltem in genere; siquidem ejus solum est instituere Sacramentum, cujus est conferre signis sensibilibus vim producendi gratiam infallibiliter, et ex opere operato; quod utique non Ecclesiæ, sed Christo competit; auctor enim Sacramentorum non alius est, quam Deus, ut probatum est, ubi egimus de Sacramentorum causis: ergo cum Christus Dominus non determinaverit materiam et formam Sacramenti Ordinis in specie, necessum fuit, quod eas saltem determinaret in genere, relinquendo penes Ecclesiæ judicium et arbitrium, ut eas in particulari designaret.

PETES: *Utrum Ecclesia, per hanc sibi commissam a Christo potestatem designandi materias et formas Ordinum in specie et in particulari,*

possit efficere, ut aliqua res, necnon et verba, quæ alicubi necessaria non essent ad ordinationem, v. g. porrectio instrumentorum, quæ non sunt in usu apud Græcos, evadant alibi, nimirum apud Latinos, materia essentialis et necessaria, non solum ad licite, sed etiam ad valide conferendos Ordines, ita ut absque hujusmodi materia Ordinatio sit omnino irrita.

Respondeo, affirmativam sententiam mihi videri probabiliorem, idque colligitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, ubi de Sacramento Ordinis, sic legitur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per libri Evangeliorum donationem: Forma autem Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis. In nomine Patris, etc.* Ex quibus sic argumentari licet: id, quod in Sacramenti habet rationem materiæ et formæ simpliciter et absolute, illud censi debet essentialia et necessaria ad substantiam Sacramenti, ita quod absque eo Sacramentum nec confici, nec ministrari possit: sed instrumentorum porrectio, necnon et præfata verborum formula, *Accipe potestatem*, etc. rationem materiæ et formæ simpliciter apud Latinos habent; sic enim Concilium utrumque appellat: igitur illa instrumentorum porrectio, et verborum formula, censi debent essentialia, et tantæ necessitatis ad Sacramentum Ordinis apud Latinos, ut absque illis valide apud eos conferri non possit Ordinis Sacramentum.

Confirmatur ex eo, quod Ordinatio sit quædam actio moralis, qua confertur homini potestas ad exercendum ministerium aliquod sacrum, et per quam homo constituitur in tali vel tali statu, ac Ecclesiastico gradu et Ordine: sed ejusmodi actio moralis et institutio potest ex Ecclesiæ legibus ita pendere, ut necesse sit eam sub certis conditionibus et solemnitatibus fieri, sine quibus et aliter facta non valeret, sicut contingit in omnibus fere contractibus. Quod maxime etiam constat ex Sacramento Matrimonii, qualiter fuit a Christo institutum, ut ad ejus materiam ex parte contrahentium nihil aliud requisierit, quam legitimum eorum consensum, non determinando in particulari, quænam ad ejusmodi consensum conditiones essent necessariae, sed relinquendo penes Ecclesiæ judicium, ut præscriberet quascumque vellet conditiones et solemnitates ad validitatem talis contractus, et Sacramenti. Unde factum est, ut Concilium Trid., ad Matrimonii valorem requisierit tanquam quid necessarium et essentialia, ut fieret publice et coram testibus, ut decernit cap. 3. *De reformatione Matrimonii*, his verbis: *Qui aliter, quam præsentem Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsentem Decreto irritos facit, et annullat.*

Sicut ergo Ecclesia potuit has conditiones tanquam essentialia et necessaria ad validitatem Sacramenti præscribere, ita quod sine eis Matrimonium omnino sit irritum, similiter efficere potuit, ut aliqui

ritus essent essentialia sacris Ordinibus conferendis. Non quod Ecclesia possit propria auctoritate materiam et formam Sacramentorum instituire ac præscribere, sed quia Christus Dominus qui tantum hujusmodi materiam et formam Sacramenti Ordinis universim et in genere instituit, non determinando ullum ritum in particulari, statuerit ut quicumque ritus ab Ecclesia determinarentur, ad hunc finem essent convenientes et proportionati, iidem sufficientes et essentialia essent, et omnino necessarii ad Ordinationem valide conficiendam, et conferendum Ordinis Sacramentum. Ex his omnibus colligere licet, Ecclesiam revera, pro auctoritate sibi divinitus a Christo concessa, varios ac diversos potuisse ritus instituire, necnon et varias verborum formulas pro materiis et formis specificis Ordinationum sacrarum, quemadmodum factum est apud Græcos et Latinos, imo etiam potuisse successu temporum ejusmodi ritus et verborum formulas variare et immutare, sicuti variare potuit, et revera mutavit conditiones ad validum Matrimonium necessarias.

Ex his itaque colligere licet, quod nullus Episcopus apud Latinos valide conferret sacros Ordines, absque instrumentorum porrectione, et expressione verborum formulæ; quippe cum hæc necessaria sunt et essentialia juxta ritum Ecclesiæ Latinæ. An autem Episcopus Græcus ritu Latino Clericum suæ Ecclesiæ valide consecraret, controvertitur apud Theologos. Nihilominus affirmativa sententia videtur probabilior, tum quia talis apparet esse doctrina et intentio Ecclesiæ universalis; quemadmodum colligi potest ex Decreto Eugenii in Concilio Florent. ubi absolute hujusmodi ritus præscribitur, tamquam ab universali Ecclesia servandus: tum quia ritus ille Latinus completitur quantum ad essentialia quidquid in ritu Græco continetur, nempe manuum impositionem, et traditæ potestatis ac Ordinationis per verba designationem. Et insuper iis addit instrumentorum porrectionem, ad evidentiores verborum expressionem. Unde quemadmodum non valeret Matrimonium clandestino more contractum in illis regionibus, ubi promulgatum est et receptum Concilium Trident. licet validum sit in iis locis, ubi nondum illud decretum promulgatum est et acceptatum, idem a simili videtur esse dicendum de ritu Latino, comparative ad Græcum, ita quod valeat ordinatio Latino ritu facta etiam a Græcis Episcopis, licet non valeret Græca Græco ritu celebrata a Latinis Episcopis.

DICES: Capite *Cum secundum*, etc. *extrav. de temporibus Ordinationum*, prohibetur Ordinum reciproca receptio Latinorum a Græcis Episcopis, et Græcorum a Latinis; quæ utique sanctio desumitur ex Epistola Cœlestini III, rescribentis ad Archiepiscopum Hydruntinum, ubi hæc habet: *Quia vero, sicut dicitur, in partibus Calabriae, Latini a Græcis, et Græci a Latinis, secundum alterutrius institutionis observantiam ordinantur, nolumus de cætero commutationes, et consuetudines Rituum in Ordinibus observari.* Cui utique sanctioni concordat id, quod legitur in duabus bullis, seu constitutionibus Leonis X, et Clementis VII, quas ex Leone Allatio exscribit et refert Morinus, 1. parte sui libri *De sacris Ordinationibus*, cap. 4. in quibus inter cætera hæc ordinantur: *Quod nullus Archiepiscopus et Episcopus Græcus Clericos Latinos, nec Latinus Archiepiscopus et Episcopus,*

etiam ordinarius, Clericos Græcos ad Sacerdotium promovere valeant. — **Respondeo**, has sanctiones non obstare; enimvero facile responderi potest, prædictas Ordinum receptiones et commixtiones ex utraque parte ex æquo prohiberi, quantum ad licitam dumtaxat, non autem quantum ad validam Ordinum collationem, seu susceptionem; quamvis enim nec Latini a Græcis, nec Græci a Latinis licite possint ordinari, attamen quantum ad validitatem inter utrosque longe dispar est ratio; nam, ut mox dictum est, Græcorum ritus in conferendis Ordinibus, involvitur in ritu Latinorum, quantum ad id quod essenziale est; unde valide Clericus Græcus ordinari potest ab Episcopo Latino; secus autem videtur de ordinatione Clerici Latini ab Episcopo Græco; quia ritus Ecclesiæ Latinæ servandus in Ordinationibus non involvitur in ritu celebrari solito ab Ecclesia Græca. Nec aliud certe in suis diplomatibus et sanctionibus intendunt summi Pontifices laudati; siquidem quæstio et controversia non movebatur de valido, sed dumtaxat de licito usu Rituum et Ordinum, ad stabiliendam ac fovendam pacem et concordiam inter utriusque Ecclesiæ, Græcæ nimirum et Latinæ, fideles.

INSTAT MORINUS, *ibid.* cap. 3. dicens, Cælestinum aliquid amplius statuere; interrogatus quippe ab Episcopo Hydruntino, quid agendum esset de nonnullis Presbyteris Latinis, qui contra consuetudinem Ecclesiasticam fuerant ab Episcopis Græcis alio tempore, quam quatuor temporum ad Ordines promoti, ita respondet, ut decreto suo supponat Ordinationum Græcarum validitatem. Idem etiam facit Episcopus Hydruntinus; nam in dubium non vocat Ordinis accepti validitatem, sed tantum, an sic ordinatus ab Ordine suscepto secundum Latinorum Canones suspendi debeat. Pontifex autem, quia ignota sibi erat consuetudo illius regionis, nihil de suspensione decernit, sed vices suas eidem Episcopo hac in parte committit, ut in eum, de quo sibi agebatur, juxta consuetudinem statueret; interim prohibet, ne in posterum Rituum commixtiones fierent, hoc est, ne Clericus Latinus a Græco Episcopo consecratur, neve Græcus a Latino. Ita Morinus, quibus significat, idem ferendum esse judicium de Latinorum Ordinationibus ab Episcopis Græcis, quod de Græcorum Ordinationibus ab Episcopis Latinis; ac subinde, si Græcorum Ordinationes a Latinis validæ sint, validæ etiam censi debent Latinorum Ordinationes ab Episcopis Græcis. — **Respondeo**, revera quidem Archiepiscopum Hydruntinum supposuisse, validas esse Latinorum Ordinationes factas a Græcis, et ideo Pontificem consuluit tantum quoad circumstantiam temporis, quo facta fuerat ordinatio, de qua tunc agebatur, videlicet citra tempus a jure præscriptum apud Latinos. At vero Sum. Pontifex Cælestinus istud tanquam certum et ratum non supposuit; ideo non respondit solum ad quæstionem sibi propositam ab Archiepisc. Hydruntino quantum ad solam circumstantiam temporis, quo facta fuerat illa ordinatio, videlicet extra tempus ab Ecclesia præscriptum; sed occasione casus sibi a præfato Archiepiscopo propositi, plus aliquid fecit; cum enim ex eo deprehenderet, Latinos passim in Calabriae partibus ordinari ab Episcopis Græcis, ejusmodi commixtionem ritus, et ordinationem, quamvis de isto capite tunc non consuluerit, sicut et consuetudinem ordinandi extra tempora a jure præscripta improbavit et prohibuit;

ne de cætero imposterum id fieret. Cum autem Græci in favorem ejusmodi Ordinationum obtenderent consuetudinem bona fide fundatam, ut cuique jus suum servaret Pontifex, cum illam consuetudinem exploratam non haberet, in re tanti momenti id solum edixit quod æquitas et prudentia postulabant, videlicet, ut inquiretur de ejusmodi consuetudine, antequam quidquam de illis ordinationibus certo iudicio pronuntiaret; quippe fieri poterat, quod talis consuetudo fundata esset in consensu Ecclesiæ Latinæ, et concessione ac approbatione summorum Pontificum; unde prius de hac consuetudine informari voluit Pontifex, quam iudicium ferret: igitur ex illo Cœlestini decreto nihil haberi aut erui potest, quod valeat ad adstruendam legitimam et validam esse Latinorum ordinationem a Græcis.

DICES: Latinus valide posset baptizare ritu Græcorum; similiter valida est a Latino Sacerdote consecratio facta in fermentato pane; quemadmodum Græci consecrare solent. — **Respondeo**, quod non eadem sit paritas de ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, ac de Baptismate et Eucharistia; siquidem Christus Dominus determinavit materiam Baptismatis et Eucharistiæ in specie, designando videlicet aquam naturalem pro materia Baptismatis, et quemlibet panem triticeum pro materia Eucharistiæ conficiendæ; unde perinde est ad validum Baptismum, quod aqua sit frigida et calida, pura aut turbida; similiter quod panis sit vel azymus vel fermentatus, magnus aut parvus, rotundus aut quadratus, dummodo sit ex triticea farina confectus. Secus autem est de materia sacrorum Ordinum; cum enim ipsam Christus Dominus in specie non designaverit, sed tantum in genere; inde Ecclesia Romana potuit certas præscribere conditiones, certosque ritus administrandis ordinationibus, quibus omissis irrita prorsus et cassa foret Latinorum ordinatio; quemadmodum irritum fit Matrimonium clandestine contractum, post promulgationem acceptatam Concilii Trident. quia videlicet Christus Dominus tantum eas res pro legitima materia Sacramentorum Ordinis et Matrimonii in particulari et in specie ratas habuit, quas Ecclesia (cui commiserat auctoritatem eas res in specie designandi) instituisset et approbasset.

QUÆSTIO QUARTA.

QUOT, ET QUI SINT ORDINES ECCLESIASTICI PROPRIE DICTI.

NOTANDUM 1. Seu potius revocandum ex dictis, Ordinis nomen maxime tribus modis usurpari posse: *primo* quidem latissime, et in amplissima significatione, prout videlicet significat quemlibet statum personarum, quæ speciali quodam titulo Deo consecrantur, et addictæ sunt divinis Officiis, absque tamen aliqua jurisdictione spiritali, et etiam sine potestate conficiendi Sacramenta, vel saltem obligatione illa specialiter ex officio administrandi; quo sensu status tam Religiosorum quam Monialium in Ecclesia dicuntur Ordines, in quantum peculiarem et distinctum habent in Ecclesia vivendi modum, per subordinationem inferiorum ad superiores, secundum quam omnes Deo famulantur. *Secundo*, Ordinis nomen sumitur strictius, prout includit aliquam jurisdictionem et auctoritatem, et importat subordinationem

inter ipsos Ecclesiæ Ministros; quo sensu Diaconatus, Archidiaconatus, Episcopatus, Patriarchatus, Papatus, dicuntur Ordines Ecclesiastici. *Tertio* strictissime usurpatur pro illa potestate conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, aut ejus confectioni et celebrationi ac dispensationi specialiter inserviendi ex officio et ministerio suæ ordinationis; quo dumtaxat sensu hic erit sermo de Ordine, quatenus videlicet significat actionem et ritum solemnem, quo ejusmodi potestas confertur Ecclesiæ Ministris. Quæritur ergo *primo*, utrum revera plures in Ecclesia admitti debeant ejusmodi Ordines: *secundo*, quot et quinam illi sint.

NOTANDUM 2. Hæreticos hujus temporis invicem non consentire circa Ecclesiasticorum Ordinum distinctionem et pluralitatem; nam, ut observat Bellar. lib. *De Clericis*, cap. 12. *aliqui* tantum admittunt tres Ordines, scilicet Episcoporum (quos fere Pastores, et Superintendentes vocant); et Presbyterorum (quos Seniores, aut verbi Ministros vocant), et Diaconorum; reliqua vero Ordinum officia, excepto Exorcistæ, admittunt quidem; negant tamen habere rationem Ordinis Ecclesiastici, aut certo numero posse definiri; ajuntque ea initio in Ecclesia fuisse, vel plura vel pauciora, prout singulæ Ecclesiæ pluribus, vel paucioribus Ministris indigebant, quos Pastores singuli pro suo judicio modo assumebant, modo dimittebant. Ita maxime Calvinus, lib. 3. *Instit.*, cap. 4. et Kemnitiſ in examine Concilii Tridentini, ad Sess. 23. *Alii* vero Ordinum distinctionem et pluralitatem rejiciunt et explodunt, tamquam novitium aliquod humanæ præsumptionis inventum, ut Anabaptistæ, et alii ejusmodi Religionis pestes, contra quos omnes Catholici Doctores contendunt, varios esse in Ecclesia admittendos Ordines proprie dictos, qui nempe certo ritu sacro, et solemnitate conferuntur ab Episcopo, ad certum ministerium circa Eucharistiam ministrandam et conficiendam. — Verum inter eos controversitur, quisnam, quantusque sit ejusmodi Ordinum numerus; quadruplex enim circa id statuendum apparet capitalis sententia: *prima*, quæ communis est et receptissima apud Theologos, est, septem dumtaxat esse Ordines proprie dictos, nec plures, nec pauciores, nempe Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri, seu Sacerdotis. Ita maxime principes Theologiæ Doctores, Alensis, Albertus Magnus, S. Th. *Secunda sententia* eorum est, quibus placet octonarius Ordinum numerus, qui videlicet præter numeratos septem, adjiciunt Episcopatum tamquam a Sacerdotio adæquate distinctum; in quam utique sententiam propendere videtur Doctor Subtilis, dist. 14. n. 6. eamque expresse docent Durandus, dist. 24. q. 6. Cajetanus Tom. 1. Opusc. Tr. 11. Navarrus in Manuali, cap. 22. n. 18. Petrus Soto in sua *institutione Sacerdotali* lectione 1. *De Sacramento Ordinis*, et plures alii Recentiores. *Tertia sententia* est Canonistarum, qui novem Ordines numerandos affirmant, addentes non solum septem vulgò receptis Episcopatum, sed etiam primam Tonsuram. *Quarta denique sententia* ipsorum est, qui decem Ordines statuunt, adjicientes novem mox numeratis Ordinem Psalmistarum, seu Cantorum. Quid vero hac in controversia certius tenendum et affirmandum sit, hic est determinandum.

NOTANDUM 3. Ordines Ecclesiasticos universim dividi posse tribus modis: scilicet *primo* ratione prælationis, seu principatus sacri, et potestatis ac auctoritatis, quam eorum aliqui exercent in alios: *secundo*

ratione materiæ, circa quam versantur: *tertio* ratione gradus, in quo ministrant per ordinem et respectum ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam; secundum quam triplicem considerationem triplex apud Theologos celebris est Ordinum Ecclesiasticorum divisio: *primo* namque ratione prælationis et principatus dividuntur in Hierarchicos, et non Hierarchicos. *Hierarchici* dicuntur, qui aliquam in populum Christianum præcellentiam et prælationem important, ratione videlicet actionum hierarchicarum, quæ tres vulgo numerantur a S. Dionysio in libris *De Cœlesti et Ecclesiastica Hierarchia*, nimirum purgare, illuminare et perficere; juxta quam triplicem actionem tres in Ecclesia ab eodem S. Dionysio numerantur Ordines Hierarchici, nempe Episcoporum, quibus convenit actio perfectiva, quatenus per Sacramenta Confirmationis et Ordinis conferunt plenitudinem gratiæ et Spiritus sancti. *Secundus* est Sacerdotum, quibus tribuitur vis illuminativa, eo quod per Baptismum illuminent; nam effectus gratiæ Baptismatis est mentem lumine fidei illustrare; unde apud Græcos appellatur Sacramentum illuminationis. *Tertius* denique est Diaconorum, quibus convenit officium purgandi, quatenus eorum est fideles per Evangelii prædicationem ad Eucharistiæ et aliorum Sacramentorum susceptionem disponere; quod utique quoddam genus purgandi est. Quæ tamen actionum Hierarchicarum distributio non sic accipienda est, quasi unica dumtaxat singulis conveniat; Diaconi quidem dumtaxat actum purgandi habent; Presbyteri autem, cum sint eis superiores, non solum illuminandi, sed et purgandi virtutem obtinent; Episcopi vero triplicem hunc actum, ratione suæ in cæteros præeminentiæ, exercere possunt. *Non Hierarchici* dicuntur Ordines illi, quibus nulla competit in populum Christianum prælatio, sive præfectura, qualis omnino requiritur in Hierarchis, seu Principibus sacris; tales censi debent quotquot sunt Ordinum Ecclesiasticorum gradus Diacono inferiores.

Ratione autem *materiæ*, circa quam Ordines versantur, dividuntur in sacros, et non sacros; licet enim quilibet Ordo secundum se sit sacer, cum nullus sit, qui non sit signaculum quoddam sacrum, attamen ratione materiæ, circa quam quilibet Ordo habet aliquem actum, *Ordo sacer* et *major* ille dicitur, qui proximius ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam accedit; et hoc sensu tres sunt Ordines sacri, nempe Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus; etenim Presbyteratus occupatur circa Corpus et Sanguinem Christi conficiendum et offerendum, Diaconatus circa Sanguinem populo dispensandum, et Subdiaconatus circa sacra vasa tenenda; unde etiam his tribus Ordinibus continentia injuncta est, ut videlicet illi Ministri sancti et puri Deo famulari, et sancta sancte tractare valeant. Cæteri autem Ordines, quibus hoc Continentiæ votum non est annexum, nec conferunt facultatem contingendi, dicuntur *non sacri*.

Tertio ratione *gradus*, Ordines Ecclesiastici distribuuntur in Majores, et Minores. *Majores* sunt Sacerdotium, Diaconatus, et Subdiaconatus. Sacerdotium quidem, quia per illud destinatur ordinatus ad officium, quo nullum majus esse potest atque divinius, videlicet ad Corpus Christi conficiendum in Eucharistia, et illud offerendum Deo in Sacrificium; Diaconatus vero et Subdiaconatus, quia Diaconi et Subdiaconi Sacerdoti consecranti et offerenti proxime assistunt, et

ministrant ad Altare. Cæteri autem inferiores Ordines dicuntur *Minores*, eo quod in minori gradu consistant, nec cum Sacerdote altari assistant.

His ita prælibatis, duo hæc in Quæstione sunt determinanda: *primum*, utrum in Ecclesia plures admittendi sint Ordines sacri: *secundum*, quot, et quinam illi sint.

Conclusio prima. — REVERA IN ECCLESIA SUNT PLURES ORDINES ECCLESIASTICI. Hæc est de fide determinata in Concilio Trid., et constat ex decreto Eugenii, necnon ex Trident., Sess. 23. Can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.*

Suadetur autem hæc Conclusio eo, quod Ecclesia sit Corpus Christi mysticum, cujus utique membrorum diversa sunt officia, quemadmodum diversa sunt munera membrorum corporis naturalis, ut egregie colligit Apostolus ad Romanos, cap. 12. *Sicut, inquit, in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum Corpus sumus in Christo: habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis differenter, sive Prophetiam ratione fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, sive qui exhortatur in exhortando.* Quibus verbis Apostolus significat, varia esse in Ecclesia ipsius Ministrorum officia; quod pariter docet 1. ad Cor. 12., et ad Ephes. 4. Igitur pariter plures sunt ejusmodi Ministrorum Ordines. — *Deinde*, cum ministerium sacrum novi Testamenti longe dignius sit ac præstantius, quam Testamenti veteris, etiam majori ac nobiliori Ministrorum apparatu hoc ministerium debet impleri: sed in veteri Testamento non solum Sacerdotes, verum etiam eorum Ministri, nempe Levitæ per ordinationem consecrabantur: igitur et in novo Testamento non solum Sacerdotes, sed etiam eorum Ministri, per ordinationem initiari debent et consecrari. *Denique*, ut ait Concilium Trid., Sess. 21. cap. 2. *Non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, nempe Actor. 11. et 1. ad Timoth. 3., et quæ maxime in illorum Ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docet: et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque propria eorum ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, et Ostiarii in usu fuisse cognoscunt, quamvis non pari gradu: nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus, et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.*

Probatur insuper Conclusio triplici ratione congruitatis: *primo* quidem, convenientissimum erat, ut plures in Ecclesia essent sacri Ministri ad majorem Sacerdotii dignitatem, et Sacrificii commendationem ac reverentiam: *Cum enim*, inquit ibidem Conc. Trid. *mox laudatum, dicina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascen-*

derent. Secundo, id maxime conducebat ad divinæ sapientiæ commendationem; hæc enim in ordinata rerum distinctione et dispositione præsertim elucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus; enimvero si Regina Saba videns ordinem ministrantium in domo Salomonis non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientiæ illius; quanto magis divinam sapientiam commendasset, si compertum habuisset admirandum illum ordinem Sacerdotum, et Levitarum, qui in templo Deo famulabantur, et rebus sacris, atque Sacrificiis intererant? *Tertio denique*, id exigebat opportune conferendum humanæ infirmitati subsidium; dum enim plures ad divini cultus ministeria et officia mancipantur, ut omnes sint Dei cooperatores ad omnium salutem; inde plurima hominibus suppetunt divina subsidia, quibus facilius saluti invigilare queant.

DICES 1: Quanto virtus aliqua est major, tanto minus videtur multiplicanda: sed Sacramentum Ordinis ea ratione, qua constituit homines in altiori gradu, quam sint reliqui fideles, dignius est aliis Sacramentis, ac subinde cum alia Sacramenta non multiplicentur secundum speciem, non enim plura sunt specie distincta Baptismi Sacramenta: igitur multo minus Sacramentum Ordinis distribui potest in alios Ordines specie diversos. — **Distinguo majorem:** si cætera sint paria, *concedo:* secus, *nego.* Porro omnia non sunt paria in illa comparatione, quæ instituitur inter Ordinem et alia Sacramenta; licet enim Ordo sit dignior Baptismate, secundum considerationem præfatam; attamen inde non est consequens, quod Ordo non debeat magis in plures ordines distingui, quam Baptismus in plures specie Baptismos. Ratio autem disparitatis est, quod Baptismus, et alia ejusmodi Sacramenta ordinentur ad aliquos effectus percipiendos: at Ordo conceditur potissimum ad actus exercendos; unde juxta diversitatem actuum distingui debent diversi Ordines, per quos conceditur potestas ad agendum; nam juxta diversitatem actuum distingui debent potentiæ.

DICES 2: Si plures sint Ordines: igitur plura etiam erunt Sacramenta, quam septem: sed *consequens* est absurdum, et contra communem Ecclesiæ sententiam: igitur, etc. — **Respondet Doctor**, dist. 24. num. 11. *Quod in divisione illa primaria Sacramenti in septem, Ordo, vel magis Ordinatio, est ibi tantum unum membrorum, licet possit ulterius dividi in quædam specialia contenta sub ipso; quia illa prima divisio non est in species specialissimas, sed in quædam propinquius contenta sub ipso.* Quibus verbis significat, quod etsi plures sint ordines, id tamen non solvit primariam divisionem Sacramentorum in septenarium numerum; quamvis enim omnes ordines essent Sacramenta proprie dicta, inde tamen non solveretur ille septenarius Sacramentorum numerus; quippe cum omnes illi ordines, ad unum communem conceptum ordinis, tamquam ad suum genus, revocentur.

INSTABIS: Si omnes Ordines ad unicum conceptum revocari possent, tamquam ad genus, sequeretur quod ille conceptus generice prædicari posset de singulis Ordinibus, ac subinde cum Ordo secundum se sit Sacramentum, consequens esset, quod singuli Ordines, non solum majores, sed etiam minores, haberent veram et perfectam rationem Sacramenti; sicque plura essent Ordinis Sacramenta. — **Respondedo ad majorem**, quod etsi omnes Ordines conveniant in conceptu

Ordinis tamquam in conceptu generico; attamen conceptus ille non habet perfectam et completam rationem generis metaphysici, seu logici, sed tantum analogicam; cum enim Ordo sit dumtaxat aliquid morale, etiam habet dumtaxat similitudinariam et analogicam convenientiam cum rebus naturalibus; non autem univocam et omnimodam. Unde licet Ordo secundum se proprie dici possit Sacramentum; attamen ea ratio non tribuitur eodem modo singulis Ordinibus; nam plenitudo Sacramenti Ordinis est in Sacerdotio; in cæteris autem Ordinibus est aliqua dumtaxat participatio, quatenus videlicet omnes Ordines ad Sacerdotium tamquam subsidiaria ministeria ad capitale revocantur; omnes siquidem Ordines immediate vel mediate ordinantur ad Eucharistiam, cujus conficiendæ Minister est Sacerdos. *Insuper* dico, inde non sequi, quod plura sint Ordinis Sacramenta; sicut enim in Eucharistia tam calix, quam panis consecratus, licet seorsim ab invicem veram et essentialem rationem Sacramenti obtineant; non tamen propterea multiplex dicitur Eucharistiæ Sacramentum, eo quod utraque species ad unionem ac perfectam spiritualem animæ refectio- nem ordinetur; ita licet omnes et singuli Ordines in esse physico videantur prorsus diversa esse Sacramenta, utpote quæ diversis constant materiis et formis; non tamen distincta efficiunt Sacramenta Ordinis; quia omnes ordinantur ad unum finem, videlicet ad solemnem Eucharistiæ confectionem, quæ, ut fiat debito et congruenti apparatu, hanc Ordinum diversitatem exigit.

Conclusio secunda. — SEPTEM DUMTAXAT IN ECCLESIA SUNT ADMITTENDI ECCLESIASTICI ORDINES PROPRIE DICTI, VIDELICET: OSTIARIATUS, LECTORATUS, EXORCISTA, ACOLYTHATUS, SUBDIACONATUS, DIACONATUS, ET SACERDOTIUM. Ita Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 2. verbis supra laudatis; cui præiverat Concilium Romanum sub sancto Sylvestro, ubi omnes illi gradus Ecclesiastici eodem ordine recensentur, ac a Patribus Concilii Tridentini, nam cap. 7, 8. et 9, ita legimus: *Sylvester voce clara dicebat ad Coepiscopos, ut a Subdiacono usque ad Lectorem omnes subditi essent Diacono Cardinali urbis Romæ, in Ecclesia honorem representantes eidem: Pontifici vero Presbyter, Presbytero Diaconus, Diacono Subdiaconus, Subdiacono Acolythus, Acolytho Exorcista, Exorcistæ Lector, Lectori Ostiarius, in omni loco representent obsequium, sive in publico, sive in gremio Ecclesiæ. Nullus autem Subdiaconorum ad nuptias transire, ne aliqua prævaricatione præsumpserit, præcipimus. Nullus Lector, vel Ostiarius, vasa sacrata audeat contingere: nullus Acolythorum rem sacratam a Presbytero jam alii porrigere: quia aliud est Minister, aliud assistens est, nisi tantum supportet, quod ei Sacerdos imposuerit, suo ore benedictum.* — Idem habent Concilia Carthaginense quartum, Can. 3. et sequentibus, *Aquisgranense* celebratum tempore Stephani IV summi Pontificis, ubi a cap. 5. usque ad octavum, non solum præfati septem Ordines referuntur, sed et traduntur ea, quæ spectant ad eorum institutionem.

Suffragantur pariter summi Pontifices, nam apud Eusebium, lib. 6. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 43. refertur fragmentum Epistolæ S. Cornelii summi Pontificis ad Fabium, Episcopum Antiochenum, in qua

inter cætera testatur suo tempore in Ecclesia Romana, *Presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta, Exorcistas et Lectores cum Ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis et egentibus plusquam mille et quingentas. Quibus universis gratia, et benignitas Dei alimenta suppeditat.* Similiter S. Cajus Papa et Martyr, ut refert S. Damasus in suo Pontificali, *constituit, uti omnes Ordines in Ecclesia sic ascenderent, si quis Episcopus fieri mereretur, ut esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, et exinde Episcopus ordinaretur.* Idem statuit Gelasius Pontifex, Epistola ad Episcopos Lucaniæ; et idipsum expresse habetur in Pontificali Romano jussu Clementis VIII, et Urbani VIII recognito et edito. Idem firmatur auctoritate SS. Patrum, maxime S. Cypriani, qui plurimi meminit Presbyterorum et Diaconorum, maxime in Epistolis scriptis ad Clerum Romanum, quas inscribere solet, *Presbyteris, et Diaconibus Romæ consistentibus.* Similiter Epist. 24. meminit Subdiaconatus, et Diaconatus, scribens enim ad Clerum Romanum, ait: *Fecisse me autem sciatis Lectorem Saturum, et Hyppodiam Optatum Confessorem, quos jam pridem commune consilio Clero proximos feceramus.* Et Epist. 55. meminit Feliciani Acolythi a Cornelio ad ipsum missi, per quem ad eundem rescripserat. Licet autem apud ipsum S. Cyprianum non occurrat mentio Ostiariorum, tamen tunc temporis officium istud viguisse, aperte constat ex iis, quæ scribit S. Gregorius, Orat. 18 quæ est de laudibus S. Cypriani (quem ex errore apud Græcos satis vulgari, confundit cum alio Cypriano, qui ex Mago factus est Martyr suasionem S. Justinæ Martyris, quam dæmonum ope ad turpia sollicitare nisus fuerat). De eo, inquam, narrat S. Gregorius, ipsum antequam fieret Episcopus, factum fuisse *Æditum*; hoc est, ut explicat Jacobus Bilius in suis ad præfatam orationem Nazianzeni notis, *Ministrum*, cui templum expurgare, et mundare, ac claudere incumberet; quod utique munus est Ostiariorum. Quod insuper confirmatur auctoritate Aldhelmi Saxonum Orientalium in Anglia Episcopi; capite enim 25. lib. *De Laudibus Virginitatis* diserte scribit S. Cyprianum per cæteros Ecclesiæ gradus paulatim proficientem ad summum Pontificatus apicem feliciter pervenisse. — Idem quoque testatur S. Hieronymus; nam in *Commentario*, cap. 2. Epist. ad Titum meminit omnium Ordinum, præterquam Subdiaconorum, Acolythorum; sed Subdiaconorum mentionem facit Epist. 91. quæ est ad S. Augustinum, et Acolythorum Epist. 2. quæ est ad Nepotianum.

Favent pariter omnes rerum Ecclesiasticarum Scriptores, maxime sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus, lib. 7. *Etymologiarum*, cap. 12. et Venerabilis Beda in Collectaneis, cap. 10. *De septem Ordinibus*; Alcuinus, lib. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. 9. et sequentibus; Ivo Carnotensis, parte 2. sui decreti, cap. 5. et sequentibus; Hugo a sancto Victore, lib. 2. *De Sacramentis*, parte 3. cap. 5. qui omnes septem Ordines Ecclesiasticos numerant. Idem constanter propugnant omnes Theologiæ Principes, quibus prævit Magister Sentent., dist. 24. ubi distincte singulorum Ordinum munus et dignitatem explicat.

Hunc autem septenarium Ordinum numerum sic colligit et probat Seraphicus Doctor, dist. 24. par. 2. art. 2. q. 1. ex parte finis, in quem Ordines collimant, et propter quem fuerunt instituti, nempe

ad Christi Corpus solemniter consecrandum, et dispensandum, necnon ad instituendam et fovendam sanctitatem Corporis mystici: « Nam in « Sacerdotio, *inquit*, est status, in quo est consummatio potestatis, et « utraque potestas in ipso concurret, scilicet conficiendi Corpus Christi « verum, et absolvendi mysticum. Hic autem Ordo nobilissimus debet « habere Ordines sibi subministrantes secundum exigentiam hujus « duplicis potentiæ. Unde quidam ministrant quantum ad Corpus « Christi verum; et hi sunt Ordines ipsi Sacerdotio propinquiore. « Nam dupliciter est ministrare: aut accipiendo hostias a plebe, et « hoc est Subdiaconi; aut offerendo Sacerdoti, et hoc est Diaconi; et « illud est principale eorum officium, sicut expresse innuit S. Isi- « dorus; et hoc est quod sic denominatur, scilicet Diaconus, quasi « Minister; aut Subdiaconus, quasi subminister. Alii vero inferiores « subministrant, sive subserviunt præparando Corpus Christi mysticum « ad hoc, quod possit perducì ad verum digne percipiendum; et ad « hoc sunt quatuor Ordines, secundum quod quadrupliciter potest ad « hoc præparari. *Primo modo*, admittendo ad locum sacrum; et hoc « est Ostiariorum. *Secundo*, præbendo documentum; et hoc est Le- « ctorum. *Tertio*, præstando auxilium; et hoc est Exorcistarum. *Quarto*, « monstrando bonum exemplum; et hoc est Ceroferariorum, sive Aco- « lythorum, ad quos pertinet, ut luceat lux eorum coram hominibus, « ut videant, etc. Sic patet, quod miro modo procedit Ordo a multitu- « dine in unitatem. Nam principalis gradus est unus, cui et subser- « vientes debent esse duo; quia enim a primo deficiunt, cadunt in « dualitatem; et rursus subservientes duobus sunt quatuor; quia defi- « ciunt etiam ab illis; et sic patet perfectio, et consummatio Ordinum, « et distinctio in numero septenario secundum gradus potestatum, « quæ sunt essentielles Ordini, quarum numerus et sufficientia sumitur « penes id, ad quod directæ sunt ».

Simili pene ratiocinandi modo S. Thomas 1. in Supplemento, q. 37. art. 2. hunc septenarium Ordinum numerum colligit ex ordine et respectu ad sacrosanctam Eucharistiam, quam constat esse Sacramentorum maximum, sicut ait S. Dionysius, cap. 3. *De Hierarchia Ecclesiastica*: quemadmodum enim templum et Altare, vasa et vestes, ita et Ministri, qui ad Eucharistiam ordinant, consecratione indigent, propter dignitatem ac reverentiam tanti Sacramenti, et ejusmodi consecratio in Ministris est id quod Ordinis nomine significatur: sicut Ordinum distinctio colligenda est secundum habitudinem et respectum ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis, aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium pertinens ad Eucharistiæ Sacramentum. Quo igitur quisque prædictorum Ordinum propius ad Eucharistiam accedit, eo præstantior est atque sublimior. Quamobrem Sacerdotum Ordo, quorum munus est Eucharistiam istam conficere, est omnium dignissimum; reliqui vero Ordines ejusmodi potestatem ac vim non habent, sed omnes sunt in subsidium et ministerium Sacerdotis, cui cooperantur et famulantur. Porro eorum cooperatio seu ministerium duobus modis spectari potest: vel in ordine ad Sacramentum, vel in ordine ad suscipientes; sive in ordine ad Sacramenti Eucharistiæ confectionem, vel ad ejus dispensationem. Juxta priorem considerationem et habitudinem triplex distinguendus

est Ordo ministrantium Sacerdoti in ipsa Sacramenti confectione: *primus* est Diaconorum, qui Sacerdoti Eucharistiam conficienti proxime ministrant; in ipsius enim manibus deponunt materiam sacramentam, videlicet panem et vinum; unde per antonomasiam dicuntur Diaconi, idest, Ministri; id enim sonat ipsum Diaconi vocabulum, quod origine græcum est. *Secundus* est Subdiaconorum, qui etiam Hyppodiaconi dicuntur, idest, Subministri, eo quod ipsis Diaconis ministrent materiam consecrandam, necnon deponant in vasis sacris, in quibus conficitur Sacramentum; unde Diaconi assimilantur Levitis, qui in Lege veteri proxime ministrabant victimas, et famulabantur Sacerdotibus offerentibus; Subdiaconi vero, inquit Hugo Victorinus, sunt similes Nathinæis, qui, sicut legitur lib. 1. *Esdræ*, cap. 8. erant Levitarum Ministri. *Tertius* est Acolythorum, ad quo, pertinet materiam in calice consecrandam, videlicet vinum et aquam in urceolis præparare; proinde et in ordinatione sua urceolum vacuum accipit Acolythus, et postmodum subministrat Diacono, cui debet urceolos, sive ampullas cum vino et aqua offerre. — Juxta *posteriorem* considerationem, videlicet per respectum ad suscipientes, et legitimam Eucharistiæ dispensationem, quæ fieri non potest, nisi præparatis, et ad eam suscipiendam recte dispositis, tres etiam distingui debent Ministrorum Ecclesiasticorum Ordines; quia ministerium ad legitimam præparationem eorum, qui Eucharistiam suscepturi sunt, non potest esse, nisi super immundos; qui enim mundi sunt, jam sunt ad legitimam Sacramentorum susceptionem idonei. Triplex autem hoc loco distingui debet genus mundationis, juxta doctrinam a S. Dionysio traditam, cap. 3. lib. *De Hierarchia Eccles.*, par. 3: *primum* est infidelium, qui omnino credere nolunt, qui proinde a cœtu fidelium arcendi sunt, utpote indigni qui sacris intersint mysteriis, et hoc pertinet ad Ostiarios, quorum officium est aperire Ecclesiam, ejusque ingressum prohibere notorie indignis, et infidelibus. *Secundum* est eorum, qui fidem suscipere volunt, sed in fide nondum satis sunt instructi, quales sunt Catechumeni, ad quorum instructionem ordinantur Lectores, quorum proinde est, prima fidei rudimenta tradere, præsertim ex veteri Testamento, Scripturisque Prophetiis, quæ scilicet veluti est quædam introductio ad Legem novam, quarum idcirco lectio iis committitur. *Tertium denique* genus mundationis est eorum, qui tametsi fideles et instructi sint in fide, impedimentum tamen habent ex dæmonii potestate; tales sunt energumeni, sive arreptitii, ad quorum emundationem instituti sunt Exorcistæ. Sic ergo patet, quod ii debeant esse Ordines Ecclesiastici, non plures, neque pauciores, neque etiam alii, quam qui a nobis sunt enumerati.

OBJICIES 1: Tres tantum sunt Ordines: igitur non est septennarius eorum numerus. *Probatur antecedens: primo* quidem quia Scriptura trium dumtaxat Ordinum meminit, nempe Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum; aliorum autem Ordinum ne levis quidem apud ipsam est mentio. *Secundo*, ex S. Dionysio, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5. ubi trium etiam eorundem Ordinum munera et nomina exprimit; ac subinde non censet septem esse Ordines. *Tertio*, ex S. Hieronymo in cap. 19. *Isaiæ*, ubi recenset dumtaxat quinque diversos status, videlicet Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Fidelium,

et Catechumenorum : igitur existimat alios Ecclesiæ Ministros, Diacono inferiores, non distingui a fidelium vulgo; ac subinde illos non esse aliquo ordine consecratos et initiatos; sicque tantum tres Ordines admittit. *Quarto* denique, idipsum suadet ratio theologica: Ordines namque Ecclesiæ referuntur ad actus Hierarchicos: sed tres solum sunt Ordines Hierarchici, nempe purgare, illuminare, et perficere, quorum primus Diaconis, secundus Presbyteris, tertius solis Episcopis congruit, ut jam semel et iterum diximus: igitur revera non est septenarius Ordinum numerus. — **Ad primum respondet Doctor** dist. 24. n. 12. « Quod in primitiva Ecclesia erant pauci credentes, et ideo pauci « Ministri sufficiebant ad dispensandum eis Eucharistiam; et ideo non « oportuit tunc Ministros in singulis gradibus institui. Post autem « multiplicata est fides, et etiam concomitabatur devotio ad commu- « nicandum quotidie, et tunc fuit necessitas habendi multos Ministros « ad singula ministeria ad Eucharistiam pertinentia; et ideo tunc Ec- « clesia multos Ministros in singulis gradibus instituit. Nec tamen « tunc de novo instituti sunt illi Ordines; imo Magister in littera dicit, « quod Christus actus singulorum Ordinum in seipso exercuit; et etiam « quod antiquitus præfigurabantur in quibusdam gradibus correspon- « dentibus eis in Lege Mosaica. Sed Ordines ab antiquo instituti, tunc « quando multiplicatus est numerus fidelium, collati sunt Ministris, « quos prius non oportuit conferri alicui; quia non fuit prius neces- « sarium-ejus ministerium. Hæc est etiam ratio, quare modo in Ecclesia « non sunt in singulis Ordinibus determinati Ministri; quia etsi modo « sit multiplicata multitudo fidelium, tamen est immutata lætitia de- « votione. Unde multi vix semel in anno volunt communicare; et ideo « circa Eucharistiam dispensandam non oportet modo tot Ministros « assistere. Et propter hoc quatuor Ordines non sacri simul confe- « runtur; ita quod nullus est deputatus ad ministrandum in gradu « inferiori, quasi ille sibi proprius, et alius alii ». *Hæc Doctor*. Quibus verbis significat, quod ideo Scriptura sacra trium illorum Ordinum dumtaxat expresse meminerit, quia propter paucitatem fidelium omnia inferiorum Ordinum ministeria Diaconis committebantur; successu vero temporis cum in dies multiplicaretur fidelium numerus, nec jam commissa sibi inferiorum Ordinum ministeria Diaconi per seipsos debite possent implere, ea ministeria, quæ ab invicem erant separabilia, sunt separata, et in diversos Ministros distributa. Unde in Ecclesiæ officiorum apparatu et multiplicatione idem ferme contigit, quod contingere solet iis, qui ex pauperibus divites fiunt; quemadmodum enim qui in tenui fortuna victitant sibi ipsis famulantur, ac necessaria sibi parant et ministrant; fortuna autem pinguiore facta servulum sibi comparant, atque eo solo contenti per ipsum viliora et humiliora administrant: fecundiorum vero postea, ac opulentiorem nacti fortunam, familiam amplificant, eoque magis, quo felicius ac prosperius res illis succedunt, adeo ut si spectabiles et illustres evaserint, multitudine servorum comparata singula singulis suæ domus ministeria cum subordinatione distribuunt; idem pene in Ecclesia contigit; initio namque solos habuit Apostolos, qui omnium Ordinum ministeria implerent; crescente vero fidelium multitudine judicarunt Apostoli, bonum et æquum non esse relinquere verbum Dei, et ministrare mensis; qua-

propter, ut legitur Actor. 6. selegerunt septem Diaconos, qui sibi famulabantur in Ecclesiæ administratione; unde mos inolevit, ut Sacerdotes in Officiis publicis vix quidquam sine Diaconis agerent. Evadente vero postmodum Ecclesia in numerosam plebem, et auctis ex fidelium oblationibus ejus divitiis, unde sacri Ministri sustentari valerent, Diaconis adjecti sunt Subdiaconi. Verum postquam in universum pene orbem propagata est, his sacrorum Officiorum Ministris non contenta, inferiorum Ordinum ministeria, quæ per Subdiaconos implebantur, cœperunt singulis ac distinctis personis distribui, quo majori cum apparatu et pompa divinum Officium persolveretur, et celebraretur augustissimum Ecclesiæ Sacrificium; quemadmodum nunc fit in majoribus Ecclesiis, quamquam in Ecclesiis inferioribus et pauperibus, quales sunt ut plurimum rurales, omnia ejusmodi ministeria sacra per solum Curatum et Pastorem impleantur. — *Ad secundum dico*, idcirco S. Dionysium eo loco trium dumtaxat Ordinum illorum meminisse, quod ibi ipsius propositum non erat, quoseumque Ordines Ecclesiasticos recensere, sed eos dumtaxat, qui proprie sunt Hierarchici, per quos nimirum Ecclesiæ Ministri aliquo modo præsentur populo Christiano; tales vero sunt Episcopi, Sacerdotes, et Diaconi; licet enim Diaconi dicantur Ministri respective ad Sacerdotes, quibus in sacris faciendis et dispensandis famulantur; attamen dici possunt etiam Præsules comparative ad plebem, quippe præsentur ministeriis verbi et doctrinæ. Unde S. Ignatius, Epist. ad Trallianos scribit: *Subjecti estote Episcopo, similiter et Presbyteris, atque Diaconis*. Et S. Hieronymus, in cap. 2. Epist. ad Titum: *Non solum, inquit, Episcopi, Presbyteri, et Diaconi debent magnopere prævidere, ut cunctum populum, cui præsent, conversatione, sermone, et scientia præcedant; verum et inferiores gradus Exorcistæ, Lectoris, et omnes omnino, qui domui Dei serviunt*. Porro, quod S. Dionysius etiam inferiorum Ordinum meminisset, patet ex cap. 3. ejusdem libri, dum ait, Ecclesiæ Ministros alios in Ecclesia Scripturas legere, alios Ecclesiæ fores custodire, et energumenos, Catechumenos, ac pœnitentes ab ea ejicere tempore divini Sacrificii; scribit enim juxta Corderii versionem: *Pontifex precem sacram ad altare Dei celebraturus, ab ejusdem suffitione initium faciens, universum circuit Chori ambitum, donec rursus ad altare divinum rediens sacram incipit Psalmorum melos, omni Ordine Ecclesiastico sacram ipsi Psalmodiam succinente. Per Ministros exinde consequenter sacrarum Scripturarum lectio recitatur; qua finita, sacro ambitu arcentur Catechumeni, et cum iis energumeni, ac pœnitentes, illis, qui divinatorum aspectu, et Communionem digni sunt, remanentibus. Porro Ministrorum quidem alii clausis templi foribus assistunt, alii vero aliud quidpiam, quod sit Ordinis sui, agunt. Qui autem in Ministrorum Ordine primas tenent, una cum Sacerdotibus divino more panem sacram, calicemque benedictionis imponunt, ab universa plenitudine Ecclesiæ communi hymnologiam præmissa. Nec obstat, quod S. Maximus Martyr, et Pachimeres S. Dionysii Interpretes, nomine Ministrorum, quos hic a selectis distinguunt, intelligant Hyppodiaconos; hoc, inquam non obstat, quippe latius usurpato Hyppodiaconi vocabulo, eos omnes Diacono inferiores Ministros comprehendunt; quippe cum omnes Diacono subsint; qua ratione dici possunt Subdiaconi, idest, subjacentes Diacono. — *Ad**

tertium dico, S. Hieronymum eo loco non tam loqui de Ordinibus Clericorum, quam Christianorum generatim, ut videlicet ex quinario illo fidelium numero, Ecclesiæ adaptaret illud vaticinium Isaïæ 19, his verbis expressum: « In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti, « loquentes terra Chanaan, et jurantes per Dominum exercituum: *Civitas Solis vocabitur una*, etc. » Quod utique oraculum ut facilius de Ecclesia interpretaretur, fideles omnes ad quinque Ordines reducit, nempe Episcopos, Presbyteros, et Diaconos, qui inter Clericos primas obtinent, quibus adjicit duos fidelium Ordines, nempe Baptizatorum, et Catechumenorum, ut videlicet universam Ecclesiam quinario illo civitatum numero expressam fuisse demonstraret. — *Ad quartum, distinguo antecedens*: Ecclesiæ Ordines referuntur ad actus Hierarchicos, consequenter et secundo, *concedo*: directe et primario, *nego*. Omnes enim Ordines directe et primario referuntur ad Eucharistiam et Corpus Christi verum conficiendum, aut ministrandum. Quamobrem eorum distinctio et multiplicatio repeti debet ex habitudine diversa, et multiplicitate ministerii, circa ipsius Eucharistiæ confectionem et dispensationem; ex qua utique potestate in Corpus Christi verum, sequitur potestas in Corpus Christi mysticum, nempe Ecclesiam; circa quam ordinate exercent actus Hierarchicos, fideles perficiendo, illuminando et purgando. Porro S. Dionysius, cum distinguit Ordines secundum actus Hierarchicos, non attendit ad eorum primam habitudinem, sed tantum ad secundariam; unde eo loco tantum meminit Ecclesiæ Ministrorum, qui aliquam in Ecclesiam circa Corpus Christi mysticum auctoritatem exercent, quales tantum sunt Episcopi, Presbyteri, et Diaconi.

OBJICES 2. Tot sunt, et non plures distincti Ordines, quot ab utraque Ecclesia Orientali, et Occidentali admittuntur: sed quatuor dumtaxat ab utraque Ecclesia admittuntur: igitur, etc. *Major constat. Minor vero probatur*: siquidem, ut notat Arendius, lib. 6. cap. 6. Ecclesia Græca ex cunctis Ordinibus minoribus, solum Lectoris Ordinem retinuit; nam Exorcistæ Ordo penitus sublatus est, illiusque munere Sacerdos solus fungitur; ut etiam fit apud Latinos; Janitoris autem officium exercetur a Subdiacono, qui pariter implet munus Acolythi; vel hoc officium exercetur a Lectore, ut testatur Simeon Thessalonicensis Archiepiscopus, lib. *De Sacris Ordinationibus*, cap. 1. et 2. Cujus utique observantiæ et praxis non levia extant argumenta et monumenta; siquidem in Ecclesia Orientali usitatum fuit, ut per solos Lectoris et Subdiaconi gradus ad Diaconatum et Presbyteratum et Episcopatum ascenderetur; ita enim testatur Nicetas in vita S. Ignatii Constantinopolitani Patriarchæ, dum ait ipsum primo Lectorem, sacerarumque litterarum præconem; deinde Hyppodiam, tum Diaconum, ac deinceps Sacerdotem ordine, ac Lege Ecclesiasticorum graduum fuisse consecratum. Similiter S. Joannes Damascenus, in *Dialogo Contra Manichæos*, loquens de Lectoris gradu, ut demonstraret *principii* vocabulum esse æquivocum, variis ad id prolatis exemplis, ait: *Principium insuper quoque de Ordine dicitur, ut prima dignitas Lector est, deinde Subdiaconus, post Presbyter; atque demum Episcopus*. Similiter habet Elias Cretensis in commentario ad Orationem 93. S. Gregorii Nazianzeni. — Idem pariter apparet ex Ritibus Græcis a Cle-

mente VIII, Romano Pontifice probatis, ubi traditur cæremonia et praxis qua consecrandi sint Episcopi, Presbyteri, Hyppodiaconi, et Lectores, ubi nulla fit mentio aliorum minorum Ordinum; quamobrem Joannes VIII, pace cum Photio inita, rescribens ad Græcorum Imperatores, non adstringit Græcos ad alios Ordines suscipiendos, quam Lectoratus, Subdiaconatus, et alios usque ad Episcopatum consequentes, testaturque se id secundum Canones præcipere; sic enim in præfata Epistola, quæ apud illum est n. 99. *Volumus autem, inquit, ut talis promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus, ut sit primum Lector, deinde Acolythus, postea Diaconus, tum Presbyter...* Hoc modo decet vestros Patriarchas promoveri, non repente percipere singulos gradus, ut in domo Dei nihil inveniatur incompositum, aut inordinatum, etc.; ubi nomine Acolythi Subdiaconum intelligit, quippe Græci tribuunt ea omnia officia Subdiaconis, quæ Latini suis Acolythis committere solent. Idipsum pariter constat ex lib. *De Jure*, qui est Imperatorum Basilii, Constantini, et Leonis, cap. 1. ubi sic habetur: *Episcopus est observator et curator omnium ad Ecclesiam pertinentium animarum, qui in ejus provincia sunt, habens potestatem initiandi Presbyterum, Hyppodiaconum, Lectorem, Cantorem, et Monachum;* quod utique refertur in fine libri quinti *Juris Orientalis*. — **Nego minorem**, et ad omnes illius probationes dico, antiquitus omnes eos Ordines in usu fuisse apud Græcos, ac proinde recentior et nuperam esse prædictam Græcorum consuetudinem, qua ex quatuor Minoribus solum retinent Lectoris Ordinem, tribus aliis omissis et neglectis; quæ utique recentior consuetudo emendari debet per veterem illam ab utraque Ecclesia receptam Ordinum distinctionem, etiam ab ipsis SS. Patribus Græcis commendatam, ut constat ex S. Dionysio locis citatis, necnon et ex S. Ignatio Martyre, vel quovis alio antiquissimo Scriptore Græco Epist. ad Antiochenos, ubi cum ad Martyrium raperetur, inter cætera scribit: *Saluto sanctum Presbyterium, saluto sacros Diaconos, saluto Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores.* Similiter S. Epiphanius, in compendiaria vera doctrina, quæ est post hæresim 80. aliquantulum ante finem, varios recenset Ordines, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, et addit: *Post Sacerdotium reliquus est Ordo Lectorum, qui possunt esse Virgines, solitarii, continentes, vidui, uxorati, et si opus fuerit, mortua prima uxore, bigami. Deinceps, inquit, post hos, Exorcista, et Interpres linguarum, etc. Consequenter Laboratores, qui corpora dormientium componunt, Janitores, totaque boni ordinis disciplina. Concilium Laodicenum, Can. 24. Non oportet sacris officiis deditos a Presbyteris usque ad Diaconos, ac deinceps Ecclesiastici Ordinis usque ad Ministros, seu Lectores, seu Cantores, aut Ostiarios, seu etiam eos, qui sunt ordinis ascetarum, hoc est, Monachorum in rerum divinarum meditatione se exercentium, cauponam ingredi.* His addi potest Eusebius, cap. 21. supplementi secundi ad librum octavum historiae suæ, quod est de Martyribus Palestinis, ubi legimus, Romanum Martyrem dici Diaconum, et Exorcistam Ecclesiæ Cæsariensis. Et lib. 3. *De vita Constantini*, cap. 8. scribit vix recenseri posse numerum Presbyterorum qui Nicenæ Synodo interfuerunt, Episcopos comitati. Similiter et Diaconorum, Acolythorum, aliorumque

complurium. Idem habet Socrates, lib. 10. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 8. ubi iisdem pene quibus Eusebius verbis testatur, tantam fuisse Presbyterorum, Diaconorum, et Acolythorum multitudinem, qui Episcopos comitati sunt in Concilio Nicæno, ut illi vix numerari potuerint. Acolythos quoque diserte nominant Nicephorus, lib. 8. *Ecclesiasticæ Hist.*, cap. 14. ubi idem quod præfati recenset; et Justinianus Imperator novella 3. cap. 1. et 2. Ostiarios inter alios Ecclesiæ Constantinopolitanæ Clericos et Ministros numerat. Ostiariorum quoque meminit Heraclius Imperator, et quidem tanquam Ordinis ab Ordine Subdiaconorum, aliisque Clericorum Ordinibus distincti, in novella constitutionis suæ, qua statuit, quod determinatus esse debeat numerus Clericorum, sanctissimæ matricis Ecclesiæ, quæ est Constantinopoli, necnon et S. Mariæ, quæ in Blachernis colitur. — Tandem Concilium Quinisextum, seu Trullanum, celebratum anno Christi 692. Ostiarios cæteris Ecclesiæ Ordinibus adjungit Can. 6. ubi sic fatetur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Cantor, vel Lector, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata coierit, deponatur, ut qui Sponsæ Christi vitium attulerit; sin autem Laicus, segregetur.* Quibus verbis diserte ostendit, Ostiarios a Laicis distingui; ac proinde eos ad Clerum pertinere; id quod etiam demonstrat pœna depositionis, qua plecti debent; cum enim Laici non sint in Ordine Ecclesiastico, ab eo etiam non possunt excidere, aut deponi, sed a fidelium cœtu per excommunicationem dumtaxat segregari et removeri. Falsum est ergo, quod affirmat Morinus, part. 3. *de sacris Ordinationibus*, exercit. 14. cap. 1. ab annis mille supra centum nullam fuisse apud Orientales trium minorum Ordinum memoriam, nempe Ostiariorum, Exorcistarum, et Acolythorum; quippe cum contrarium revineant omnia momenta, quæ mox protulimus, maxime vero ex Concilio Trullano.

REPOKIT MORINUS, ibidem num. 14. Patres Trullanos meminisse tantum *Ostiariorum*, ut Officialium Ecclesiæ, non vero ut Clericorum aliquo Ordine initiatorum, alioquin contradicerent Justiniano Imperatori, qui annis 150. eos præcessit, quique Ostiarios Clericis Ecclesiæ Ministris dumtaxat adjunxit ut Officiales, non ut initiatos aliquo Ordine. Quod utique confirmat ex Can. 6. ejusdem Concilii, ubi sic legimus: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores, et Cantores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hyppodiacono, vel Diacono, vel Presbytero, post sui ordinationem, conjugium contrahere liceat.* Ex mente igitur Concilii, inquit, Ostiarii non sunt Clero adhibendi. Nam Ostiarii possunt uxores ducere: sed soli Lectores, et Cantores ex Clericis possunt uxores ducere; Ostiarii igitur, qui idem possunt, ex mente Patrum ad Clerum non pertinent. Ita Morinus. — **Verum**, si quæ sit in sexto isto Canone obscuritas, elevare non debet auctoritatem Canonis quarti ejusdem Concilii, in quo disertis verbis, ut constat, Ostiarii a Laicis seceruntur, quippe cum eidem pœnæ, qua Clerici, subjacere debeant; absurdum enim est evidentia exponere per obscura, cum obscura potius et ambigua debeant explicari per ea, quæ certa sunt et evidentia.

Facile autem duo illi Canones conciliari possunt, dicendo, id quod

prædicto Can. 6., dicitur de Lectoribus et Cantoribus, debere a fortiori intelligi de Ostiariis, et pari jure de aliis Ordinibus, qui sunt intra Subdiaconatum. Unde quando dicit eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores uxorem posse ducere, nomine *Lectorum* non sunt intelligendi soli Lectores, quatenus distinguuntur ab Ostiariis, et aliis minorum Ordinum Clericis, sed prout opponuntur Subdiaconis; quemadmodum colligi potest ex postremis ejusdem Canonis verbis a Morino prætermissis; quæ hæc sunt: *Si quis autem eorum velit lege Matrimonii mulieri conjungi, antequam Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, hoc faciat.* Ubi signanter notanda sunt verba: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, quæ generalia sunt, et Clericos omnes comprehendunt, quæ tamen hoc loco significant eos, qui Lectorum nomine designantur in priori parte præfati Canonis.* Porro, quod etiam Græci recentiores, præter Lectorum Ordinem, agnoscant etiam inferiorum Ordinum gradus, pluribus testimoniis suadebimus Art. seq. ubi sermo erit de singulis Ordinibus in specie, et solvemus pariter omnia momenta, quibus ipse Morinus suam sententiam tueri nititur, ut videlicet ostendat, tres præfatos inferiores Ordines in Orientali Ecclesia ab ipsis pene Apostolorum temporibus non fuisse memoratos, et in praxi.

OBJICIES 3. SS. Patres multo plures Ordines numerant, quam septem a nobis supra numeratos: ergo revera non est septenarius Ordinum numerus. *Probatur antecedens: primo* quidem auctoritate eorum, qui præter septem recensitos Ordines, adhuc Ordinem *Laborantium* assignant; sic S. Ignatius Martyr, vel quisquis est auctor *Epistolæ ad Antiochenos*, et S. Epiphanius in fine *panarii*, sive operis contra hæreses. *Secundo*, ex sententia eorum, qui cæteris Clericorum Ordinibus annumerant Ordinem *Fossariorum*; eorum videlicet, qui sepeliendis fidelium corporibus suam operam impendunt; quemadmodum habetur ex S. Epiphanio loco mox laudato, ubi Laborantes una cum Fossoribus computat: *Sequuntur*, inquit, *Laborantes, qui mortuorum corpora curant.* Eos pariter S. Basilius, et S. Chrysostomus in suis Liturgiis a reliqua plebe non tantum distinguunt, sed etiam ante Cantores constituunt. *Tertio* probatur ex iis, qui Clericorum Ordinibus accensent *Confessores*. Ita S. Ignatius loco mox laudato, et S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 23., ubi pariter asserit, magno honore dignum esse Confessorem, ut qui coram Gentibus et Regibus confessus sit nomen Dei, et Christi ejus; additque, *Quod si opus eo fuerit, in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum ordinetur.* Quarto, S. Sylvester Summus Pontifex Clericorum Ordinibus assignat *Martyrum Custodes*, ut videre est in epilogo Synodi Romanæ, necnon in Pontificali Damasi, ubi *circa eos, qui in Ecclesia militare, ac proficere desiderant, statuisset dicitur, ut non solum in singulis gradibus aliquo temporum intervallo morarentur, sed etiam ut per quinque annos Martyrum Custodes existant, antequam ad sacros Diaconatus, et Presbyteratus Ordines ascendant.* Per Custodes Martyrum autem illi videntur intelligi, quibus demandata erat custodia Martyrii, seu Ecclesiæ Sanctuarii, in quo subtus altare, veluti sacellum erat, ubi Martyrum Corpora erant recondita, in quem locum descendebatur per aliquot gradus; qui pariter locus apud Latinos dicebatur Confessio Sic etiam nunc

Romæ *Confessio S. Petri* dicitur Sanctuarium sub Altare, ubi Corpus S. Petri prius fuit sepultum. Custos igitur illius Sanctuarii dicebatur custos Martyrii. *Quinto*, præfatis Ordinibus annumerari videntur Notarii, seu Scriptores rerum Ecclesiasticarum, præsertim vero passionum SS. Martyrum; nam Gelasius Summus Pontifex, in Epist. ad Episcopos Lucaniæ, vult Monachum ex ejusmodi Ordine, aut alio simili institui. Quod utique etiam firmat Ennodius Episcopus Ticinensis in vita S. Antonii Monachi Lyrinensis, quem refert a Constantino Episcopo inter Ecclesiasticos Exceptores, seu Notarios, cælestem militiam jussum ordiri. Favet etiam Pontificale, seu liber, in quo describuntur vitæ Pontificum Romanorum, in Adriano I, ubi recenset prædictum Adrianum initio Notarium regionalium, deinde Subdiaconum, postea Diaconum, tandem ad Summi Pontificatus apicem pervenisse. Eorum pariter munus erat Psalmos, et alios Scripturæ sacræ libros, vel in Ecclesia, vel coram Episcopo legere, ut insinuat Simeon Metaphrastes in actis SS. Martyrum Martialis et Martini, quæ referuntur apud Surium die 25. Octobris. Spectabat etiam ad Officium hujusmodi Notariorum, ut pedum pastorale coram Episcopo deferrent; sicut legitur lib. 2. *De Vita, et Miraculis S. Cæsarii Arelatensis Episcopi*, ubi inter cætera hæc habentur: *Cum vir Dei Cæsarius per eadem loca ad eandem pergeret Ecclesiam, Clericus, cui cura erat baculum illius portare, quod Notariorum officium erat, oblitus est, etc. Denique*, his omnibus Gelasius Pontifex laudata Epist. ad Episcopos Lucaniæ, cap. 2. annumerat *Defensores*, qui ex officio tenebantur patrocinari viduis, pauperibus, aliisque afflictis, qui Ecclesiæ protectionem implorabant. Igitur plures sunt Ordines, quam septem. — **Nego antecedens:** et ad omnes ejus probationes generatim respondeo: *primo*, illa omnia munia sive officia non spectare ad aliquem ex Ordinibus Ecclesiasticis proprie dictis, quibus Clerici a Laicis distinguuntur; illi enim omnes dictis officiis fungendis addicti, erant dumtaxat Ecclesiæ Officiales, non autem Clerici; siquidem omnes Clericorum Ordines proprie dicti per se referri debent ad Eucharistiam, sive conficiendam, sive dispensandam: prædicta autem Laborantium, Fossariorum, Custodum Martyrum, Notariorum, et Defensorum officia per se non referuntur ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam, sed ad aliqua charitatis, vel disciplinæ Ecclesiasticæ, vel Religionis officia. Charitatis quidem, ut Laborantium, et Defensorum, ac Fossariorum; disciplinæ vero, ut Notariorum; religionis denique, ut Custodum Martyrum. Quod autem illi omnes specialem Clericorum Ordinem non constituerent, patet, quia absque ullo novæ ordinationis ritu solebant seligi ab Episcopis e numero Clericorum, vel certe eorum, qui constituti erant in aliquo ex septem Ordinibus, ut videlicet præfata Officia exercerent. Etenim de simplicibus Clericis ut plurimum seligebantur Laborantes, ex Ordine Lectorum Notarii; unde commune utrorumque erat officium legendi Scripturam sacram; ex Ostiariis, et Subdiaconis, Custodes Martyrum; ex omnibus autem Ordinibus afflictorum Defensores. *Nec obstat*, quod SS. Patres interdum eos, qui hujusmodi officia exercent, Clericorum Ordinibus annumerent, et eos in ejusmodi gradibus ordinatos esse dicant. Hoc, inquam, non obstat; siquidem non loquuntur de Ordinibus strictè et proprie dictis; sed in laxiori significatione, prout Ordinis,

et Ordinationis nomen extendi potest ad quæcumque officia ecclesiastica Clericis ordinatis ut plurimum assignari solita. *Adde quod* ita forte loquantur SS. Patres, non quod ejusmodi officia secundum se spectata censeant esse veros Clericorum Ordines; sed quia ut plurimum committebantur Clericis jam ordinatis; sic officium Notarii consignari solebat Lectoribus, quapropter ubi quis ordinabatur Lector, etiam Notarii munus et officium accipiebat. — Quod spectat autem ad *Confessores*, certum est, nomen illud non esse nomen Ordinis et officii; sed dignitatis et honoris, ac cujusdam prærogativæ tribui solite viris sanctissimis, propter eximiam fidei professionem coram Christianæ Religionis et fidei persecutoribus et adversariis. Quod utique evidenter significat S. Clemens, loco in objectione laudato, dum ait: *Confessor non fit Ordinatione: res enim voluntatis est ac tolerantiae: magno autem honore dignus est, ut qui coram Gentibus et Regibus confessus sit nomen Dei, et Christi ejus.* Dum vero subjicit S. Clemens, quod si opus eo Confessore fuerit in Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum possit ordinari, id non debet aliter intelligi, quam servatis servandis, idest, susceptis inferioribus Ordinibus, quibus tamquam per gradus ad majores Ordines, et ad omnium eorum apicem ac fastigium, videlicet Episcopatum ascenditur.

Quoniam autem gravis apud Theologos difficultas est de Psalmistarum, seu Cantorum Officio, necnon et de prima Tonsura, ac de Episcopatu; ideirco, ut verior ac certior de his ferenda sententia luculentius et evidentius appareat, placet singula capita sub distinctis paragraphis discutere.

§ I. — UTRUM CANTORUM ET PSALMISTARUM INSTITUTIO SIT VERUS ORDO ECCLESIASTICUS? — *Respondeo*, non esse: *primo*, quia a Concilio Tridentino non numeratur inter septem Ordines, Sess. 23. c. 2. ac subinde inter Ordines Ecclesiasticos non debet reputari; *secundo*, quia ejusmodi officium non convenit quibusdam solum Clericis, sed toti fidelium cœtui; unde Cantores seligi poterant et institui, non solum ex Christianis, sed etiam ex Catechumenis. Refert enim Socrates, lib. 9. *Tripartitæ Historiæ*, cap. 48. circa finem, Alexandria eo tempore in more positum fuisse, ut Lectores et Psalmi pronuntiatores indiscriminatim ex Christianis et Catechumenis fierent: Catechumeni autem cum nondum essent Baptismo initiati, nulla ratione deputari poterant inter Clericos, qui gradu cæteros fideles præcellunt. *Tertio*, omnis Ordo Ecclesiasticus proprie dictus specialem habere debet respectum et habitudinem ad Eucharistiam, sive conficiendam, sive dispensandam, ut jam pluries diximus: sed psallendi sive cantandi officium, secundum se, non habet ullam specialem habitudinem ad Eucharistiam sive conficiendam, sive dispensandam: igitur, etc. *Nec obstat* quod ipsi Cantores suum officium impleant, etiam tempore solemnioris Missæ; ad hoc enim non sunt specialiter Cantores instituti, sed dumtaxat ad laudes Deo persolvendas, eique cultum religionis debitum exhibendum; ac subinde per accidens est, quod divinæ laudes a Cantoribus tempore Sacrificii Missæ persolvantur. *Quarto*, inter Ordines proprie dictos est aliqua subordinatio; omnes enim Ordines sunt veluti gradus quidam, per quos in Sacerdotium tenditur: sed Cantoratus non habet istam

cum Lectoratu subordinationem, ut fatetur etiam Morinus, exercit. 14. pat. 3. cap. 6. num. 6., ubi scribit: « discrimen notandum est inter Cantoratum et cæteros Ordines, quod cæteri Ordines subordinati sint, et « ideo inferior suscipiendus, ut Superior legitime suscipiatur. Verum « Lectoratus et Cantoratus sese disparate habent, et sunt collaterales, « non inferiores, ac unus alterius susceptionem non postulat ». Ita Morinus; ac subinde hac ratione concludere debuisset, Cantoratum non esse Ordinem proprie dictum; cujus tamen contrarium ibidem asserit. Denique, omnes Ordines conferri debent ab Episcopis, ut patet ex dicendis infra: sed Cantores institui possunt etiam a simplici Presbytero, ut definit Concil. Carthaginense IV, Can. 16. his verbis: Psallenda, idest, Cantor, potest absque scientia Episcopi sola jussione « Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: *Vide, « ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus com- « probes* ». Nec obstat, quod ex collectione Canonum Græcorum per Martinum Braccharensem Episcopum, cap. 40. habeatur: *Non liceat in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati*. Quod etiam docet Sanctus Clemens Romanus, lib. 3. *Constitutionum Apostolicarum*, c. 11. ubi de Cantoribus velut in Ordine speciali, et a cæteris distincto constitutis, ait: *Non permittimus Presbyteris ordinare Diaconos, vel Diaconistas, vel Lectores, vel Ministros, vel Cantores, vel Janitores, sed Episcopis solis; hic est enim Ecclesiasticus Ordo, et concentus*. Favere etiam videtur Concilium Carthaginense tertium, Can. 21. ubi statuitur: *Ut Clericum alienum, nisi concedente eis Episcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita: Clericorum nomen etiam Lectores, et Psalmistæ, et Ostiarii retineant*. Hæc, inquam, non obstant; his enim omnibus et similibus momentis sufficit opponere præfatum Canonem Concilii Carthaginensis, quo diserte Presbytero fit potestas constituendi Psalmistam; eodem enim loco Episcopus declaratur solus Ordinum Ecclesiasticorum Minister, ut constat a Canone tertio usque ad decimum, ubi expresse traditur ritus, quo singuli Ordines debeant ab Episcopo conferri. Unde ad præfata momenta responderi potest, Constitutiones illas de Cantorum institutione a solo Episcopo faciendam, non esse intelligendas de Cantoratu secundum se præcise, sed ratione sibi adjuncti Ordinis, videlicet Lectoratus; ita quod soli Episcopo concessum sit, aliquem Lectorem efficere Psalmistam; quia videlicet officium psallendi in Ecclesiæ suggestu annexum sit Clericatu, in quem solus Episcopus, utpote supremus Hierarcha, potest, quos judicaverit idoneos, seligere et cooptare. Unde præfatus Martinus Braccharensis ibidem observat, solitum fuisse psallendi officium solis Lectoribus attribui; id enim significant ipsius Martini verba; ait enim: « non licet in pulpito psallere, aut legere, nisi qui ab Episcopo Lectores sunt ordinati ». Quibus verbis non Psalmistæ ordinationem ab Episcopo fieri, sed solis Sacerdotibus ordinatis officium istud tribui debere, significatur. Unde merito Concilium Carthaginense tertium vetat, ne Cantores et alii Clerici in aliena Diocesi ad superiores Ordines promoveantur absque licentia proprii Episcopi, quippe jam illi Cantores et Psalmistæ initiati erant Clerici, et Lectores ordinati.

DICES: S. Clemens, lib. 3. *Constitut. Apostolicarum*, diserte pro-

nuntiat, Cantores in numerum Clericorum esse computandos: *tum* quia eos cæteris Clericis, nempe Diaconis et Presbyteris adjungit: *tum* quia postquam declaravit omnes a solis Episcopis ordinandos, subdit: hic est enim Ecclesiasticus Ordo, et cõcentus. *Deinde*, in Canone 26. Apostolorum, hominibus, qui ad Clerum accesserunt, negatur facultas post ordinationem ducendi uxorem; conceditur tamen nominatim Lectoribus, atque Cantoribus; sed si Cantores non pertinebant ad Clerum, non erat opus eos inter Ordines Ecclesiasticos numerare, neque concedere facultatem, quam Laici sine ulla dispensatione et venia passim habent. *Insuper*, Concilium Laodicenum Cantores una cum aliis Clericis recenset, eosque Ecclesiasticæ disciplinæ ac Canonibus pro Clericorum institutione subjicit, ut constat ex Can. 15. et 23. maxime vero 24., ubi decernitur: *Quod non oporteat sacro ministerio deditos a Presbyteris usque ad Diaconos, et reliquum Ecclesiasticum Ordinem, idest, usque ad Subdiaconos, Lectores, et Cantores, Exorcistas, et Ostiarios, et ex numero Continentium, et Monachorum, ingredi tabernas.* Idem pariter docent S. Ambrosius, lib. 1. *De Officiis*, cap. 44. et S. Isidorus, lib. 7. *Etymologiarum*, cap. 12. et Justinianus Imperator, novella 3. cap. 2. aliique plurimi passim Græci Scriptorum: igitur revera Cantoratus tunc temporis erat Ordo Ecclesiasticus. — **Nego consequentiam, et ad antecedens dico**, quod cum sive Concilia, sive SS. Patres Psalmistarum seu Cantorum officium Ordinibus Clericorum accensent, ibi Ordinum nomen stricte non usurpant, et in propria significatione, sed latius, et prout vocabulum istud extenditur ad officia et ministeria quædam Ecclesiastica, quibus Clerici inter se, et ab invicem distinguuntur; vel certe Ordinis appellationem Cantoratum attribuunt, non ratione sui præcise, sed ratione adjuncti Ordinis Lectoratus, cui ex antiqua Ecclesiæ disciplina solebat adjungi, quemadmodum ex Martino Braccharensi supra observavimus. *Nec obstat*, quod in Græcis Euchologiis describatur ritus, quo conferri debeat Cantoratus, quemadmodum et cæteri Ordines, sicut et in Concilio quarto Carthaginensi, Can. supra laudato. Enimvero non solum ibi describuntur ritus, quibus conferri debeant Ecclesiastici Ordines, sed etiam quibus traditur potestas ad exercenda quædam officia, seu ministeria Ecclesiastica, ut constat ex ipsis Græcorum Euchologiis, ubi referuntur ritus instituendi Abbates, Archidiaconos, Protopresbyteros, (Economos, et alia ejusmodi Ecclesiastica munia, quæ veram Ecclesiastici Ordinis proprie dicti rationem et dignitatem non habent. Idem dicendum de Can. 10. Concil. Carthagin. IV; nam Can. 11. immediate sequenti tradit etiam ritum instituendi Sanctimonialis Virgines: *Sanctimonialis Virgo*, inquit, *cum ad consecrationem sui Episcopo confertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est, professioni et sanctimoniali aptis.*

Ex his itaque apparet Cantoratum non esse Ordinem Ecclesiasticum proprie dictum, nisi forte quatenus usurpatur pro Lectoris officio, quippe Cantoris et Lectoris officia summe affinia sunt; nam Lector etiam legit Psalmos, et solum ministerio differt a Cantore, quoadmodum pronuntiandi, quod videlicet Lector Psalmos recitet legendo, Psalmista vero cantando et modulando. Quod insuper confirmatur ex eo, quod status Ordinis Ecclesiastici sit quid permanens: at Cantoratus

officium non est permanens ac stabile, tamdiu namque solum durare debet, quamdiu quis pollet voce canora, ut asserit S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 12. Cui concinit Guillelmus Parisiensis, lib. *De Sacramento Ordinis*, cap. 3. ubi addit, quod Ecclesia primitiva cantus non habuit, neque Psalmodiam, sed simplicem solam prosaicæ pronuntiationis lectionem: Psalmodia autem et Cantus postmodum, causa solemnitatis et excitandæ devotionis, ampliato decore divini cultus, superaddita sunt. Et quia eadem erant, quæ in primitiva Ecclesia legebantur, et ejusdem pœnitentis sanctitatis cum his, quæ modo psaluntur et cantantur, idem Ordo, eademque sanctitas necessario permansit in Ministris, cum psallentium cantus nec rerum sanctitatem mutaverint, nec Ordinem mutare nullatenus debuerint.

§ II. — UTRUM TONSURA CLERICALIS SIT ORDINIBUS ECCLESIASTICIS ACCENSENDA? — Clericalis Tonsura nihil est, quam ritus quidam peculiaris, quo quis Ecclesiasticæ veluti militiæ adscribitur, et a Laicorum ordine ad Clericorum statum et dignitatem promovetur. Qui utique ritus idcirco Tonsura dicitur, quia fit a tonsione capillorum, qui ab Episcopo resecantur, in signum veluti sacri status, quo Deo homines consecrati a profanis secernuntur. Hic autem ritus ab Apostolis videtur institutus, ut asseritur in Conc. Aquisgranensi cap. 1. Unde Apostolus 1. Cor. 11. asserit ignominiam esse viro, *si comam nutriat*, gloriam vero mulieri, *si nutriat*; quod ideo dixit (ut notat Baronius tomo primo *Annalium* an. 14. Petri) quia Gentiles comam crispabant, idcirco Christianos ab eo abusu dissuadere voluit, et consequenter multo magis Ecclesiæ Ministros. Hinc Anicetus Papa, Epist. ad Episcopos Galliæ, et Concilium Carthaginense quartum, Can. 44. prohibent Clericis comam nutrire. Gregorius IX, cap. *Si quis*, de vita, et honestate Clericorum: *Si quis ex Clericis comam nutriat, anathema sit*. Et Alexander III, Cantuariensi Episcopo scribens, ut refertur cap. *Clericis* eodem titulo: *Clerici qui comam nutriunt, et barbam, etiam inviti a suis Archidiaconis tondeantur*. Et S. Isidorus, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 1. fuse explicat significationem hujus coronæ Clericalis, et originem illius ducit ab Apostolis. Venerabilis Beda, lib. 5. *Histor. Angl.* cap. 22. refert Epistolam quam Geolfridus Abbas scripsit ad Regem Naitanum, ubi refert originem Tonsuræ Clericalis ad S. Petrum, ut et Amalarius, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 5. refert ad eundem, aut aliquem ex ejus Successoribus. Germanus Episcopus Constantinopolitanus in Theor. rerum Ecclesiast. asserit hanc coronam Clericalem *referre imaginem venerandi capitis Apostoli Petri, qui cum missus esset ad prædicationem Domini, et Magistri, ei tonsa est cæsaries ab his, qui ejus sermoni non credebant, ut illuderetur ab ipsis, eique Christus Magister benedixit, et infamiam in honorem, illusionem in gloriam convertit*, etc. Gregorius Turonen. in vita SS. Patrum, cap. 17. refert, S. Nicetum Episcopum natum cum corona Clericali, in signum, quod Deus illum in Clericum et Episcopum designasset.

Tonsura autem hæc, ut patet ex Beda, Amalario, et aliis, significat Clericos debere habere animos elatos ad Deum; non debere corponere ad superflua hujus mundi bona; debere lugere sua, et populi peccata; debere agnoscere se designatos ad servitium divinum;

se esse specialiter gentem sanctam, regale Sacerdotium; deberesæpius in memoriam revocare passionem Christi, ejusque spineam coronam, et paratos esse debere ad ludibrium, et quævis alia mala pro Christi amore patienda.

De hoc autem ritu sacro quæritur, utrum sit Ordo proprie dictus, et a septem supra recensitis distinctus. *Affirmant* pene omnes Canonistæ, ut refert Vazquez, disp. 236, quemadmodum deprehendi potest ex eorum scholiis et annotationibus ad caput, *Cum contingat*, de ætate et qualitate ordinandorum; imo ex Theologis Scholasticis eandem sententiam tuentur Joannes Major in 4. dist. 14. q. 1. Joannes Ekius in Homilia de Ordinibus, necnon et Angelus in sua *Summa*, verbo Ordo, n. 1. ubi docet primam Tonsuram esse Ordinem, et ita illis septem, quos enumeravimus, octavum esse addendum. Quam utique sententiam confirmat ex præfato capite, ubi sic legitur: *Cum contingat interdum, quod laici ad Monasteria convolantes a suis Abbatibus tonsurentur, requisisti an Clericatus Ordo in Tonsura hujusmodi conferatur*. Nam cum ibi, et iterum in fine capitis primam Tonsuram Pontifex appellet Ordinem Clericatus, in numerum Ordinum Ecclesiæ videtur redigenda.

Verum reclamant omnes alii Theologi una cum Seraphico Doctore in 4. part. 1. dist. 24. q. 2, et Angelico q. 3. art. 1. eaque sententia probatur primo ex Concil. Trid. Sess. 23. cap. 2. ubi postquam dixit plures esse in ordinatissima Ecclesiæ dispositione Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio deserviunt, statim ita subjungit: *Ut qui jam Clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent*. Qui utique dicendi modus aperte significat, Tonsuram non esse cum Ordinibus minoribus aut majoribus computandam; sed tantum esse dispositionem et præparationem aliquam ad Ordines rite et debite suscipiendos, ut explicat Catech. Rom. *De Sacramento Ordinis*, n. 27. *Incipiendum est*, inquit, *a prima Tonsura, quam quidem docere oportet, quamdam præparationem esse ad Ordines accipiendos; ut enim homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonia sponsalibus præparari solent, ita cum tonso capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur: declaratur enim, qualis esse debeat, qui sacris imbui cupit*.

Deinde, ad rationem Ordinis Ecclesiastici proprie dicti requiritur, ut per eum conteratur aliqua potestas activa, per quam quis fiat idoneus ad exercendum aliquod ministerium circa Eucharistiam confiendam, vel dispensandam: sed per Clericalem Tonsuram non confertur ejusmodi potestas ad ullam functionem sacram specialem, et determinatam, quam etiam laicus non possit exercere, quippe illa nihil aliud est, quam simplex Clericorum designatio, ad probationem doctrinæ, et morum, ut si postmodum judicati fuerint idonei, functionum Ecclesiasticarum potestas eis tradatur. Unde merito Guillelmus Parisiensis, *Tract. De Ordine*, cap. 3. ait, *Clericatum non esse Ordinem, sed tantum veluti militiæ simplicem titulum*: ita quod quemadmodum, cum aliquis miles efficitur præcise et simpliciter, nullum ei singulare vel speciale officium committitur, sed tantum deputatur ad militandum, sic per primam Tonsuram militiæ Clericali adscriptus, non ex hoc alicujus Clericalis officii specialem dignitatem adipiscitur.

« Dicendum ergo, inquit Seraphicus Doctor, quod sicut in tran-

« seuntibus de uno statu ad alium, præmittitur aliquod præparatorium,
 « quod non ponit in statu, sed disponit, sic in proposito intelligendum
 « est. Nam suscipientes Ordinis Sacramentum, in quodam speciali statu
 « inter fideles collocantur; unde quemadmodum inter statum sæcu-
 « larem et Religiosum medius est Novitiatus, in quo nec sæcularis,
 « nec religiosus est proprie, cum non noverit ea, quæ sunt Religionis,
 « servare; et sicut inter fideles et infideles medii sunt Catechumeni,
 « qui tamen non sunt inter fideles computandi; imo hora Commu-
 « nionis de Ecclesia consueverunt emitti, sicut novit jus de capitulo;
 « sic Clerici medii sunt, in quantum habent Tonsuram, inter Laicos
 « et Ordinos; quia tamen signum istud omnibus est commune; ideo
 « omnes Clerici nuncupantur, et confunditur nomen. Sicut ergo no-
 « vitatus non est religio, sed ad Religionem disponit; et catechume-
 « natio, sive catechizatio non est Baptismus, sed dispositio et præ-
 « paratio; sic commune signaculum non est Sacramentum, nec Ordo,
 « sed tantum dispositio ».

OBJICIES 1. Ordo Ecclesiasticus ille est, quo Clerici secernuntur a Laicis, et ad ministeria sacra deputantur: sed talis est Tonsura Clericalis. *Primo* namque per eam Clerici initiantur, et a Laicis distinguuntur. Et insuper per Tonsuram eis confertur potestas officium psallendi, seu decantandi laudes divinas. *Secundo*, Innocentius III, cap. *Cum contingat*, distincte primam Tonsuram, Ordinem appellat; quod pariter præstat Alcuinus, lib. *De Divinis Officiis*, cap. 85. *Tertio*, Tonsura initiati gaudent Clericorum privilegiis; sunt enim capaces beneficiorum possidendorum, quorum incapaces sunt Laici: igitur illa revera accensenda est cum Ordinibus Ecclesiasticis. — **Respondeo primo**, negari posse *majorem*: siquidem ratio Ordinis Ecclesiastici proprie dicti non refertur solum ad quodlibet officium Ecclesiasticum exercendum; alioquin omnia prorsus Ecclesiæ munia et officia, quibus officiales Ecclesiastici a fidelium plebe distinguuntur, censerentur veri Ordines Ecclesiastici; cujus utique contrarium apparet ex jam pluries dictis. Hinc, ut diximus, Ordo Ecclesiasticus proprie dictus significat aliquem gradum potestatis in Ecclesia respective ad Sacramentum Eucharistiæ. Quod utique Clericis solum tonsuratis non competit. **Respondeo secundo**, *distinguendo minorem*: Tonsurati distinguuntur a Laicis, ratione status Clerici, quo initiantur, *concedo*: ratione alicujus Ordinis proprie dicti, *nego*. Unde *ad primam probationem* dico, officium psallendi, seu decantandi laudes divinas, non esse aliquod munus speciale solis Tonsuratis proprium; vel enim illa decantatio fit communiter, et absque solempni ritu, vel cum aliquo speciali ritu et solempnitate in choro. Si primum, hoc officium psallendi convenit omnibus omnino fidelibus. Si secundum, omnibus quibuscumque Clericis competit; omnes enim in Ecclesia laudes Deo psallendi et cantandi facultatem habent. Et si hoc officium alicui specialiter attribuendum esset, potius Lectorum Ordini, quam simplicibus Tonsuratis esset committendum. *Ad secundum dico*, Innocentium, et Alcuinum, Tonsuram appellare Ordinem, laxius sumpto Ordinis nomine, videlicet pro quocumque gradu Ecclesiastico, quo Clerici distinguuntur a Laicis; non autem proprie pro gradu, quo quis constituitur in aliqua potestate activa, circa Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam. Porro Ordo

Ecclesiasticus proprie dictus non significat tantum aliquem gradum eminentem in Ecclesia, respective ad omnes fideles; nam hac ratione insigniti prima Tonsura dicerentur esse in gradu eminente supra cæteros fideles Laicos, a quibus per suum statum distinguuntur; sed ita dicitur comparative ad congregationem ministrantium in templo in Ordine ad Eucharistiam, quo sensu prima Tonsura non est Ordo; quia primus gradus, per quem ascenditur in templo ad Sacerdotium, inquit Vazquez n. 11, et per quem ii, qui ministrant in templo, ascendere incipiunt, est Ostiarius, sicut primus gradus in scala non est pavementum, sed ille per quem, et ad quem ex pavimento ascenditur.

Nec obstat, quod Sixtus V, in *motu proprio*, edito anno 1588. nonis Januarii contra male promotos ad Ordines, primam Tonsuram appellet *Clericalem characterem*; nam ibi *characteris* nomine non significat aliquam qualitatem indelebilem animæ impressam, qualis censetur character per majores Ordines impressus; sed characterem accipit pro destinatione perpetua ad statum Clericalem. *Ad tertium* dico, quod etsi Tonsurati gaudeant privilegiis Clericorum, inde non est consequens Tonsuram esse Ordinem; siquidem mulieres, et laici, qui solemnem professionem emiserunt in aliqua religione approbata, gaudent quoque immunitatibus et privilegiis Clericorum; nec tamen illa professio sollemnis dici potest Ordo Ecclesiasticus proprie dictus.

OBJICIES 2. Concilium Trident., Sess. 14. cap. 2. decreti *De reformatione*, decernit eum fore suspensum, qui absque proprio Episcopi licentia et expresso consensu ab alieno Episcopo Tonsura Clericali fuerit initiatus. Et Sess. 23. cap. 4. et 6. *De reformatione*, eadem prohibitionem ligat Tonsuratos, qua et minoribus Ordinibus initiatos: igitur cum Concilium Tonsuratos pares faciat aliis Ordinatis, pariter significat primam Tonsuram esse Ordinem. — **Nego consequentiam**; imo contrarium ex ipsismet locis evincitur; siquidem Concilium ibi aperte distinguit primam Tonsuram a minoribus Ordinibus; ac subinde censet illam Ecclesiasticis Ordinibus proprie dictis non esse accensendam; si enim locum aliquem haberet inter Ordines Ecclesiasticos, maxime inter minores, a quibus cum ex Concilio distinguatur, consequens est, quod a numero Ordinum sit arcenda. *Nec obstat*, quod Concilium Tonsuratos eadem prohibitionem coarctet, qua Ordinibus initiatos. Id enim præstat, non ut significet Tonsuram esse Ordinem, sed tantum aliquem statum, ex quo quis ad Sacerdotium per Minores Ordines gradum facere non possit, si hujusmodi statutis et legibus contraierit.

§ III. — UTRUM EPISCOPATUS SIT ORDO, ISQUE DISTINCTUS A SACERDOTIO? — Ut evidentior et facilior sit hujusce propositæ quæstiunculæ responsio, *observandum est* in primis cum Doctore in 4. dist. 24. n. 5. Episcopatum posse comparari cum Sacerdotio duobus modis: vel ratione potestatis jurisdictionis, vel ratione potestatis Ordinis; seu respective ad Corpus Christi mysticum regendum, necnon ad actiones sacras et hierarchicas exercendas; vel ad Corpus Christi verum in Eucharistia conficiendum et dispensandum. Priori modo certum est, quod Episcopatu conveniat quædam potestas specialis, quæ non competit Sacerdoti. « Unde, *inquit Doctor*, Episcopatus « potest dici eminens gradus, vel propter universalitatem actuum,

« quos respicit; vel propter nobilitatem actus, quem respicit. Quæ
 « utique distinctio patet in aliis politis, ubi alicui competunt plures
 « actus, et alicui pauciores; tamen nobilior potest sibi competere, ut
 « Judex potest sententiare, qui est actus nobilior, quam multi alii.
 « Sed cui competit universalitas ad actus, ei competit etiam actus
 « nobilior; et ex hoc videtur, quod gradus ille, qui respicit univer-
 « salitatem actuum, sit simpliciter superior, quam ille, qui respicit
 « præcise actum nobilissimum; et sic diceretur Episcopatus simpliciter
 « superior Ordo; quia habet ordinem ad omnes actus Ecclesiasticos.
 « Sacerdos autem non habet ad omnes, licet habeat ad nobilissimum ».
Ita Doctor, quibus verbis in Episcopo distinguit duplicem potestatem:
 unam quidem jurisdictionis, in Ordine ad Corpus Christi mysticum,
 circa quod plures actiones Hierarchicas exercet, quas exercere non
 potest simplex Sacerdos: aliam vero Ordinis circa Corpus Christi verum
 in Eucharistia. Potestas jurisdictionis improprie tantum dicitur *Ordo*:
 potestas vero Ordinis seu consecrationis Sacramentum Ordinis proprie
 constituit. De priori non est controversia, siquidem apud omnes constat
 Episcopatum hoc sensu esse Ordinem ab aliis distinctum; sed quæstio
 est de posteriori potestate, utrum revera Episcopatus, respective ad
 Corpus Christi verum, sit Ordo distinctus a Sacerdotio.

Observandum secundo ex eodem Doctore, ibidem n. 7. « Quod actus
 « nobilissimus in Ecclesia simpliciter est consecratio Eucharistiæ; et
 « ita supremus gradus, sive nobilissimus propter nobilitatem actus,
 « ad quem disponit, est Sacerdotium. Et per consequens isto modo
 « accipiendo descriptionem Ordinis, juxta primam descriptionem po-
 « sitam in primo Articulo, et distinctionem Ordinis in Ecclesia, tantum
 « sunt septem Ordines: quorum *primus* est gradus disponens ad con-
 « secrationem Eucharistiæ, et est *Sacerdotium*. *Secundus* gradus est
 « disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem Sanguinis, et est
 « *Diaconatus*. *Tertius* est disponens ad oblationem materiæ Euchari-
 « stiæ consecrandæ, et est *Subdiaconatus*. Et patet ratio, quare tres
 « isti gradus Sacramenti dicantur Ordines, quia immediate disponunt
 « ad actum aliquem vel ministerium circa Eucharistiam, vel ejus
 « materiam. Uterius, aliqui alii gradus disponunt ad actus remote se
 « habentes ad Eucharistiam. Vel ergo ad convenientem dispositionem
 « in populo ad adorandum, et suscipiendum; vel removendum impedi-
 « mentum, seu dispositionem inconvenientem. *Primo* modo dispositio
 « conveniens pertinens ad affectum est devotio; et ad hanc devotionem
 « attendit *Acolythus* illuminando cereos. Alia dispositio est pertinens
 « ad intellectum, scilicet cognitio; et ad hanc agit *Lector*. Remove-
 « re prohibens, est arcere indignos, ne approximent: vel ergo indignos
 « homines, et hoc pertinet ad officium *Ostiarum*: vel dæmones, et hoc
 « pertinet ad officium *Exorcistæ*. Ex dictis apparet, quod non est pro-
 « prius actus Diaconi legere Evangelium, et Subdiaconi Epistolam;
 « sed isti sunt remoti, et minus perfecti actus eorum; perfectissimi
 « autem et proprii illorum Ordinum sunt, quos habet unus immediate
 « circa Eucharistiam dispensandam; alius circa materiam ejus offe-
 « rendam ». *Ita Doctor*. Quibus, ut apparet, singulos Ordines recenset,
 et eorum distinctos gradus colligit ex diverso ordine et ministerio,
 quod habent respective ad Eucharistiam.

Quantum autem ad Episcopatum, utrum sit Ordo proprie dictus, multiplex est Auctorum sententia. *Quidam* enim aperte negant, Episcopatum esse Ordinem Sacramentalem; ita *Magister sententiarum*, dist. 24. et eam insinuare videntur Alensis 4. part. q. 20. memb. 8. art. 1. et q. 21. memb. 1. ad. 4. ubi negat Episcopatum esse Ordinem novum, sed per eum ampliari potestatem clavis, quæ sequitur ad Ordinem Sacerdotii, per consecrationem Episcopalem. In eam pariter sententiam descendit S. Thomas, dist. 24. q. 3. art. 1. quæstiunc. 2. et S. Bonaventura, in 2. part. ejusdem distinctionis, art. 2. q. 3. ubi ait: Episcopatus, præcise loquendo, non est Ordo, sed Ordinis eminentia vel dignitas; et Albertus Magnus, eadem dist. art. 39. necnon et plures alii tam veteres, quam recentiores. *Secunda sententia*, præcedenti e diametro opposita, est, Episcopatum ut sic, prout præscindit a Sacerdotio, esse ordinem proprie dictum, et distinctum e septem assignatis. Ita docet Altissiodorensis, lib. 4. summæ Tract. 8. q. 1. et omnes Canonistæ in caput, *Cleros*, dist. 21. Cui pariter subscribit Durandus, dist. 24. q. 5. Paludanus, q. 6. Bassolius, quæst. unica, et ex recentioribus Bellarminus, lib. *De Ordine*, cap. 5. et Vazquez, 3. part. disp. 224. cap. 4. *Tertia denique sententia*, veluti medians inter duas priores extreme oppositas, eorum est, qui contendunt Episcopatum quidem esse verum et proprie dictum Ordinem, non tamen adæquate distinctum a Sacerdotio, sicut alii Ordines inter se distinguuntur. Quam utique sententiam indicat Guillelmus Parisiensis, Tract. *De Ordine*, eamque tuetur Gabriel in Supplemento. Quibus ita præmissis,

Respondeo primo, revera Episcopatum esse Ordinem proprie dictum; id enim docet Concilium Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. ubi ait: *Docet insuper sacrosancta Synodus in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem requiri, ut sine ea irrita sit Ordinatio.* Quibus verbis Concilium appellat Episcoporum Ordinationem, non minus, quam Sacerdotum, et cæterorum Ordinum proprie dictorum.

Probatum autem hæc assertio: primo quidem ex Scriptura sacra, nam 1. ad Timoth. 4. monet eum Apostolus: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Quibus verbis Apostolus significat Ordinationem Timothei in Episcopum, qui est gradus Ordinis Sacerdotalis, per quem confertur gratia.

Idem docent Concilia, quæ eodem modo loquuntur de Episcopatu, quo de Sacerdotio, et eum expresse Ordinem appellant, et Episcopi institutionem nominant ordinationem, quemadmodum et initiationem aliorum Ordinatorum, ut videre est apud Concilium quartum Carthaginense, Can. 2. ubi de Episcopi consecratione, sicut et de Presbyteri, aliorumque ordinatorum, dicitur: *Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant, et teneant Evangeliorum codicem super caput, et cervicem ejus, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis super caput ejus tangant.* Pari autem vocabulo Ordinationis non utitur, dum agit Can. 10. *De institutione Psalmistæ*, eo quod Cantoris officium non sit Ordo proprie dictus.

Idem pariter docent SS. Patres, qui quoties mentionem de Epi-

scopatu faciunt, toties expresse Ordinem appellant; quod utique non facerent, nisi apud eos Episcopatus esset Ordo proprie dictus. Sic in primis S. Dionysius, cap. 5. lib. *De Hierarchia Ecclesiastica*, ubi tres distincte numerat Ordines Ecclesiasticos, nempe Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum. Et S. Epiphanius, Hæresi 75. ubi Episcopatum appellat Ordinem; scribit enim: *Dicere Episcopum, et Presbyterum æqualem esse, quomodo erit possibile; Episcoporum enim Ordo Patrum generator est: Patres enim generat Ecclesia: Presbyterorum vero Ordo non potens generare Patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesia, non tamen Patres.* Idem habet Justinianus Imperator, novella 123, cap. 26. ubi Episcopatus dicitur *Episcopalis Ordo*. — Similiter Anacletus, summus Pontifex, Epist. 3. cap. 1. dicit, Sacerdotum Ordinem bipartitum esse, in Episcopos nempe, qui succedunt Apostolis, et Presbyteros, qui septuaginta duorum Domini discipulorum locum tenent; unde concludit: *Amplius, quam illi duo Ordines, nec nobis a Deo collati sunt, nec Discipuli docuerunt.* — Idem habet Eusebius, Epist. 4. Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum, cap. 3. Joannes III, in Epist. ad Episcopos per Germaniam, et Galliam constitutos. Cæteri quoque summi Pontifices, qui de Episcopatu expresse meminerunt, non solum illum appellarunt dignitatem, sed etiam Ordinem Ecclesiasticum, et Episcopos Presbyteris non solum officio, aut dignitate, sed etiam Ordine; nec sola jurisdictionis potestate, sed etiam Ordinis superiores esse atque eminentiores affirmant. Hinc est, quod apud eos Presbyteri dicuntur constituti in secundo Ordine Ecclesiastico, Diaconi in tertio, Subdiaconi in quarto. Sic S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua dum suam ad Presbyteratum promotionem refert, ait se a proprio parente, qui erat Episcopus Ecclesiæ Nazianzenæ, *constitutum esse in secundo Ordine, et secunda dignitate*, idest factum Presbyterum, quemadmodum interpretatur S. Gregorius Presbyter in ejus vita. — Similiter Optatus Milevitanus, lib. 5. *Contra Parmenianum*, dicit, Diaconos in tertio, Presbyteros vero in secundo Sacerdotio constitutos esse; Episcopos vero *omnium Principes et apices* appellat. Quibus subscribit S. Leo, Epist. 184. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum, cap. 4. ubi Subdiaconatus Ordinem quartum ab Episcopo nuncupat, Episcopatum vero primum, Presbyteratum autem secundum, Diaconatum denique tertium Ordinem esse dicit. Idem habet Sydonius Apollinaris, lib. 4. Epist. 11. et 25. necnon et Synodus Romana sub Symmacho Pontifice, Can. 6. ubi Presbyter homo secundi in Ecclesia Ordinis esse dicitur, et Episcopatus ac Presbyteratus Ordines appellantur.

Idipsum etiam suadet ratio: Ordo enim proprie dictus est ritus, seu cæremonia sacra, qua confertur potestas, seu gradus, secundum quem aliquis est alio superior, vel inferior, in ordine ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, aut dispensandum: sed Episcopatus talis est; licet enim secundum se, et quatenus præscindit ac condistinguitur a Presbyteratu, non ordinetur primo et per se ad conficiendum Corpus Christi in Eucharistia, sed illius conficiendi potestatem præsupponat; ad id tamen ordinatur, in quantum per Episcopalem gradum Episcopus possit aliis dare potestatem conficiendi Corpus et Sanguinem Christi in Eucharistia; siquidem Episcoporum est Sacerdotes conse-

crare, necnon et templa, altaria, et sacras vestes, quæ ad Eucharistiæ consecrationem spectant et ordinantur: igitur revera Episcopatus habet rationem Ordinis proprie dicti.

Suaderi etiam potest ratione Doctoris, n. 7. vel potestas spiritualis Episcopi, quatenus præscindit a Sacerdotio, est potestas Ordinis, vel jurisdictionis: at non est potestas simplex jurisdictionis; alioqui hæc auferri posset per Superiorem, quod videtur inconveniens: igitur est potestas Ordinis; ac subinde Episcopatus secundum se est revera Ordo Ecclesiasticus. Porro quod potestas Episcopalis secundum se non sit simplex potestas jurisdictionis, aperte tradunt antiqui Canones, quibus præcipitur, hæreticos in suo gradu admitti ad Ecclesiam, abjecta hæresi, et id potissimum de Episcopis sancivit VII Synodus, *actione* 1. At hujus decreti nulla esset ratio, si dignitas Episcopalis fundaretur in sola jurisdictione amissibili et separabili a persona, quia certum est extra Ecclesiam, nullam dari jurisdictionem in aliqua hæresi; ac proinde Ordinatio Episcoporum ab hæreticis esset nulla, si consisteret in jurisdictione mera, quæ non esset potestas; quamobrem receptio Episcoporum in suo gradu supponit priorem ordinationem validam fuisse, neque posse innovari; ac proinde potestatem Ordinis; numquam enim solita est Ecclesia recipere aliquem in eo gradu, quem invalide recepit. Unde sanctus Augustinus perinde asserit contra Donatistas, Ordinem acceptum in hæresi valere, sicut et Baptismum, lib. 2. *Contra Parmenianum*, cap. 13. et cap. 11. lib. 1. *De Baptismo*, cap. 1. Epist. 50, et *De bono conjugii*, cap. 18, et 24. et alias sæpe. Hinc etiam Tridentinum, Sess. 7. docet Baptismum, Confirmationem, et Ordinem imprimere characterem, ex quo habent esse initerabiles. Recipiendo ergo Episcopos ordinatos ab hæreticis, et non per novam Ordinationem, supponitur fuisse priorem validam, et non iterabilem, ac proinde impressisse characterem hujus Ordinis. Unde idem Tridentinum, Sess. 23. cap. 4. *Quoniam vero in Sacramento Ordinis, sicut in Baptismo et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, Laicos effici posse, etc.* Postea subdit, id esse *Ecclesiasticam Hierarchiam* confundere: *Proinde sacrosancta Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere.* Hæc verba ex causali referunt doctrinam in initio capitis datam, de impressione characteris, et ejus indelebilitate. Ergo supponit in Ordinatione Episcopi imprimi characterem; et potestatem, quam habet, ordinandi cæteros, et confirmandi, in qua eminent Sacerdoti, esse potestatem Ordinis, et non jurisdictionis.

DICES 1: Ordo proprie dictus referri debet ad sanctam Eucharistiam conficiendam, vel dispensandam, et per respectum et habitudinem ad eam a cæteris distinguit: sed Episcopatus secundum se præcise, et prout præscindit a Presbyteratu, nullam importat habitudinem ad Eucharistiæ Sacramentum; neque enim Sacerdoti Eucharistiam conficienti, sive dispensanti ministrat, quippe simplici Sacerdote Episcopus altior est, atque sublimior: neque etiam præstantiorem quam simplex Sacerdos habet consecrandi potestatem, quia unusquisque Sa-

cerdotum æqualem potestatem habet, et quantum ad confectionem Sacramenti Eucharistiæ, independentem ab Episcopo, ubi semel ab eo fuit collata: simplex enim Sacerdos, etiam reluctante Episcopo, valide posset consecrare: igitur Episcopatus, quatenus a Sacerdotio distinguitur, non est specialis Ordo. — **Distinguo minorem:** non habet specialem respectum et habitudinem proximam, et immediatam, ad Eucharistiæ Sacramentum conficiendum, et ministrandum, *concedo:* remotam, et mediatam, *nego.* Episcopi namque, ut sic præcise, est ordinare Sacerdotes, consecrare templa, altaria, vasa, et vestimenta sacra, quæ omnia per se, et immediate referuntur ad Eucharistiæ confectionem, et Missæ Sacrificium, sicque Episcopatus, in quantum præscindit a Presbyteratu, habet aliquam habitudinem, tametsi remotam et mediatam ad Eucharistiæ Sacramentum. Porro hæc diversa habitudo mediata sufficit ad rationem Ordinis proprie dicti; etenim Diaconatus, et Subdiaconatus, multo minus inferiores Ordines, non habent proximam et immediatam habitudinem ad conficiendum Eucharistiæ Sacramentum, sed mediatam dumtaxat et remotam, in quantum videlicet assistunt et ministrant conficienti.

DICES 2: Si Episcopatus esset Ordo, haberet tempus præfixum, quo conferri deberet; siquidem conferendorum Ordinum tempus aliquod certum ab Ecclesia præfigitur; in pluribus enim Canonibus sancitum est, quod majores Ordines non conferantur, nisi in sabbatis quatuor temporum, et duobus aliis Sabbatis, videlicet ante Dominicam Passionis, et Pascha: sed Episcopatus non habet tempus præfixum et determinatum, in quo conferri debeat; siquidem conferri potest quovis die Dominico et festivo: igitur, etc. — **Respondeo.** *negando minorem:* siquidem Episcopatus conferri tantum debet die Dominico et festivo, ut inde appareat, quod sit eminentior simplici Sacerdotio, quod dumtaxat die *feriali* conferri solet. *Adde quod,* si quid concluderet hoc argumentum, sequeretur, quod quatuor Minores non essent Ordines proprie dicti; siquidem ex jure licitum est Episcopis eos conferre Dominicis, et aliis diebus, ut habetur expresse capite, *de eo, extra de temporibus Ordinationum.*

DICES 3: Episcopatus, quatenus a Sacerdotio præscindit, solum importat quamdam dignitatem Episcopi, tamquam superioris Sacerdotis in alios Ecclesiæ Ministros: igitur non est specialis Ordo Ecclesiasticus. *Probat*ur antecedens auctoritate S. Hieronymi, Tom. 6. in *Commentariis* Epistolæ ad Titum, cap. 1. ubi exponens illa verba: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi,* hæc habet: *Idem est ergo Presbyter, qui et Episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: postquam autem unusquisque eos, quos baptizabat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus Presbyter electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, et schismatum semina tollerentur, etc.* Item Epist. ad Evagrium, quæst. 35. et 1. ad eundem ait: *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. Nam et Alexan-*

*driae a Marco Evangelista usque ad Heraclam, et Dionysium Episcopum, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent: igitur ex mente S. Hieronymi Episcopatus jure divino a Sacerdotio non distinguitur, ac subinde non potest esse Ordo a Sacerdotio distinctus. — Respondent aliqui cum nostro a Castro, verbo Episcopus, et Vazquezio, disp. 240. c. 1. revera S. Hieronymum existimasse jure divino Episcopum non esse superiorem Presbytero, at jure Ecclesiastico recte collocatum esse supra illum ad vitanda schismata, et in hoc S. Hieronymum ab Aërio discrepasse, quod Aërius dixit, jure etiam Ecclesiastico male fuisse Episcopos collocatos supra Presbyteros. — Verum respondeo, eam non fuisse S. Hieronymi sententiam, quod Episcopi dumtaxat jure Ecclesiastico simplicibus Sacerdotibus superiores sint; contrarium enim aperte docet etiam ipse in Epistola ad Evagrium, ubi scribit: *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non facit Presbyter?* et in dialogo contra Luciferianos respondens quæstioni, qua quærebatur, *quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in Baptismate tribui?* Disce (inquit) hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post Ascensionem Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Quibus verbis insinuat, Episcopos dare Spiritum sanctum, quia Apostolis succedunt. Insuper Epist. ad Heliodorum, Diaconatum tertium gradum constituit inter Ordines Ecclesiasticos; in Isaïæ, cap. 19. super illud: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti*, etc. intelligit quinque ordines Ecclesiæ, tres Ministrorum, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, reliquos alios plebis, nempe fidelium baptizatorum, et Catechumenorum; in Jeremiæ, c. 13. vocat Episcopos primum Ordinem, Reges Ecclesiæ, et filios de stirpe David; Sacerdotes vero secundum gradum in honore Ecclesiastico. Item in Matth. 25. asserit, Apostolos constituisse Presbyteros, et Episcopos per singulas civitates. Contra Jovinianum, c. 19. docet Episcopos potiori jure teneri ad cœlibatum, sicut et Presbyteros, et Diaconos. *Quod confirmari potest*, quia hanc differentiam constituit S. Hieronymus inductam esse ex occasione schismatis, de quo agit S. Paulus in 1. ad Corinth. c. 3. Sed eodem anno, nempe Christi 57. scripsit etiam S. Paulus primam ad Timoth. in qua de ordinatione Episcopali agitur, ut supra visum est: ergo distinctio utriusque Ordinis præcessit illud schisma. Accedit ex Simeone Metaphraste in Itinerario S. Petri, antequam Romam veniret (de qua re Baronius anno 44). plures ab eo constitutas Ecclesias fuisse, et ordinatos Episcopos, quod contigit ante schisma. Præcessit etiam ordinationem tam S. Jacobi, quam S. Pauli, et Barnabæ. Ergo a sancto Hieronymo Scripturarum et historiarum peritissimo, qui etiam de scriptoribus Ecclesiasticis illam ordinationem S. Jacobi in Episcopum Hierosolymorum docet, nequit, inquam, differentiam Episcopatus ex causa schismatis inventam esse, aut etiam prælationem. Quoniam in Epistola ad Evagrium, et Nepotianum docet, sicut ab Aaron summo Sacerdote cæteri differebant Sacerdotes, ita etiam ab Episcopo differre Presbyteros. — Ex his itaque constat, S. Hieronymum idcirco extollere Presbyteros,*

ut reprimeret Diaconos, qui, ut colligitur ex Ep. 85. cit. sese insolenter efferebant super Presbyteros, eo quod penes illos erat administratio rerum Ecclesiasticarum, et distributio eleemosynarum; et ut etiam Episcopus nonnullos humiliaret, qui videbantur minus facere Presbyteros; quod ut faceret, asserit tempore Apostolorum Episcopus et Presbyteros eodem nomine *Presbyteri* vocatos fuisse, et in ordine Sacerdotali non discrepare; et tunc temporis communi Presbyterorum et Episcoporum consilio et consensu Ecclesiastica negotia gesta fuisse; non semper tamen communi potestate et auctoritate; nam ex 1. Tim. 5. constat Timotheum habuisse potestatem iudicis in Presbyterum. Asserit etiam, inter Episcopum et Presbyterum differentiam tunc non fuisse, vel quoad praxim; quia communi consilio tunc omnia gerebantur; vel quia vi ordinationis nihil potest Episcopus quoad jurisdictionem plus quam Presbyter; quia, ut dixi, vel totam habet jurisdictionem ab Ecclesia, vel complementum illius, sine quo non potest valide exercere ullum actum jurisdictionis; ac subinde vi solius ordinationis non habet jurisdictionem. Postea tamen crescente numero Presbyterorum, decretum est, ut is, qui ordinatione erat Episcopus, esset superior Presbyteris, non solum in praxi potestatis Ordinis, verum etiam jurisdictionis.

DICES DEINDE: Si Episcopatus esset Ordo proprie dictus, sequeretur plures esse Ordines quam septem: sed hoc est falsum, ut constat ex dictis supra: igitur, etc. — **Distinguo minorem:** essent plures Ordines, quam septem adæquate sumpti, *nego:* inadæquate, *concedo.* Quamvis enim Episcopatus sit distinctus a Sacerdotio; attamen ab eo adæquate non distinguitur, quemadmodum cæteri Ordines sunt inter se distincti, et mutuo separabiles; licet enim Sacerdotium possit existere separatim ab Episcopatu, cum plures sint Sacerdotes, qui non sunt Episcopi; attamen Episcopatus consistere nequit absque Sacerdotio, cum nulli quoad potestatem Ordinis possint esse Episcopi, qui non sint Sacerdotes. Unde ex institutione Christi Episcopatus Presbyteratum essentialiter includit, ita quod sine eo perfecte concipi non possit, et irrita sit Episcopalis ordinatio, quam Presbyteralis non præcesserit. Secus autem est de cæteris Ordinibus; quamvis enim inter eos aliqua sit subordinatio et connexio, ratione cujus unus non nisi post alium suscipi debeat, nec Presbyteratus debeat conferri nisi post Diaconatum, et Diaconatus post Subdiaconatum; attamen, quantum ad substantiam unus alium Ordinem essentialiter non involvit, nec ita necessario præsupponit, ut irrita foret Presbyteri ordinatio v. g. qui prius non fuisset in Diaconum ordinatus. Non eadem est itaque Episcopatus cum Sacerdotio comparatio, qualis est ipsius Sacerdotii cum aliis Ordinibus.

Cujus utique discriminis ratio non aliunde repetenda est, quam ex voluntate Christi instituentis, quæ nobis aperte constat ex traditione Ecclesiæ; in his enim, quæ sunt juris positivi et institutionis divinæ, tota ratio facti est voluntas facientis. Nihilominus nonnullæ proferri possunt rationes, quibus appareat, conveniens fuisse Episcopatum ita a Christo institui, ut Presbyteratum essentialiter includeret nec posset absque eo consistere: *primo*, quia Episcopatus est summum, et completum Sacerdotium: *Quid enim est Episcopus* (inquit S. Augustinus,

vel alius quivis Auctor *Quæstionum in vetus et novum Testamentum*) nisi prius Presbyter, hoc est Summus Sacerdos? Quid Episcopatus, nisi populum fidelem pascendi, et Sacramenta conficiendi, atque ministrandi suprema quædam potestas?

Conveniens fuit ergo, quod Episcopatus in sua ratione formali, et adæquato conceptu, Sacerdotium essentialiter includeret. Deinde, Episcopatus ex se, et ex institutione Christi, est potestas Sacerdotio superior: sed revera talis non esset, si Sacerdotium ipsum essentialiter non includeret; etenim actus consecrandi Corpus Christi, quod proprium est Sacerdotis ministerium et officium, longe nobilior est ordinatione Ministrorum altaris, quæ spectat ad officium Episcopi. Tertio denique, Episcopatus convenit cum ordine Sacerdotali in plurium Sacramentorum confectione et administratione; siquidem uterque confert potestatem conficiendi valide quædam Sacramenta, quæ aliter non possent valide confici; etenim Sacerdotium tribuit potestatem conficiendi Eucharistiam, absolvendi a peccatis, et unguendi infirmos in articulo mortis. Episcopatus vero, secundum id quod addit simplici Sacerdotio, dat per se potestatem conficiendi Sacramenta Confirmationis et Ordinis: igitur Presbyteratus, et Episcopatus in aliquo conveniunt, in quo non conveniunt cæteri Ordines, utpote qui non præbent potestatem ad conficiendum aliquod Sacramentum, nec ad efficiendum aliquod opus sacrum, quod sine ipsis impleri non posset.

Hinc est, quod ipsum *Sacerdotii* vocabulum in Scriptura sacra ita usurpatur, ut non solum simplicem Sacerdotem, sed etiam Episcopum significet; nam, ut notat S. Hieronymus, Epist. ad Titum, cap. 1., cum ait Apostolus: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut quæ desunt corrigas, et constituas per civitates Presbyteros*, per *Presbyteros* intelligit *Episcopos*, ut colligitur ex illis verbis: *Ul constituas per civitates Presbyteros*; nam ad civitates ordinabantur Episcopi, et unus tantum in una civitate; at Presbyteri (inquit Anaclætus, Epist. 3.) *per castella, aut modicas civitates, atque villas, debent ab Episcopis constitui, et poni, ne vilescat nomen Episcopi*. Et hoc etiam ex eo colligi potest, quod Apostolus statim subjungit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse*. Et quando Paulus, et Barnabas, Act. 14. constituebant *per singulas Ecclesias Presbyteros, constituebant Episcopos*. Sic 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam quæ est in te, etc. per impositionem manuum Presbyterii*; per Presbyterium, ex Chrysost. *Ecum. et Theophil. in illum locum intelligitur cætus Episcoporum*. Sic 1. Petri 5. quando Petrus ait; *Seniores, qui in vobis sunt* (*πρεσβύτεροι*) intelligit Episcopos. Unde et subjungit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes, etc.* Græce enim pro *providentes*, habetur *οπισκοπῶντες*, idest, *Episcoporum munus et ministerium implentes*.

Nec obstat, quod Episcopatus materia et forma distinguatur a materiis et formis aliorum Ordinum; hoc, inquam, non obstat, quia ad distinctionem formæ et materiæ non sequitur adæquata distinctio unius Ordinis ab alio, quando aliunde unus consistere non potest absque alio. Porro Episcopatus consistere non potest absque Sacerdotio, ut mox dictum est, ac subinde non est consequens, quod invicem adæquate non distinguantur.

Ex his itaque sequitur, Episcopatum non aliter a Sacerdotio di-

stingui, quam veluti Ordinem perfectissimum a minus perfecto, ita ut Episcopatus secundum se formaliter nihil sit aliud, quam consummata perfectio et ultimum Sacerdotii complementum, ratione cuius is, qui consecratur in Episcopum, fit Sacerdos perfectus, quippe Sacerdotium ab Episcopatu habet, quod alios Sacerdotes creare possit et gignere. Hinc etiam Concilium Trid., Sess. 23. cap. 2. recensens septem Ordines, incipit a Sacerdotio, tamquam supremo, nulla Episcopatus facta mentione: at si Episcopatus esset Ordo adæquate, et omnino distinctus a Sacerdotio, haud dubie Concilium recensendo Ordines, ipsum non prætermisisset; ac subinde censet, Episcopatum a Presbyteratu omnimode et adæquate non distingui, sed tantum veluti gradum perfectissimum a minus perfecto.

Licet autem Subtilis Doctor a nonnullis suis Sectaribus, maxime vero a Cavello Scholiaste, proferatur in oppositam sententiam, quasi revera existimaverit, Episcopatum nullatenus esse ordinem proprie dictum; nihilominus, ut optime notat Hiquæus, in *Commentario*, dist. 24. num. 6. certum est, quod si penitus mens ipsius Doctoris discutiatur, ipsum revera in affirmativam sententiam ivisse facile quis deprehendet: « quamvis enim (*inquit Hiquæus*) non exprimat
« conclusionem propter reverentiam antiquorum Theologorum, et com-
« munem sententiam, ut dicit S. Bonaventura, primus tamen ex Theo-
« logis posterioribus eam vocavit in dubium, quam in neutram partem
« resolvit; sed abstinet ab ipsa controversia, eam relinquens in pro-
« priis fundamentis, et transit ad illud, quod erat certum in scholis
« de numero Ordinum. *Alii contradicunt, inquit, conclusioni, quam*
« *tenent istæ duæ viæ, quia negant Episcopatum esse Ordinem proprie*
« *dictum; sed an sit debilis propter consecrationem, cum qua con-*
« *fertur, altercantur inter se; sed vana videtur altercatio negando Epi-*
« *scopatum esse ordinem, quæcumque enim jurisdictione in Ecclesia, vel*
« *per Superiorem suspendi potest, ita quod si tempore suspensionis at-*
« *tentet aliquid facere, nihil faciat, vel potest omnino pro omni tem-*
« *pore tolli.*

« Quibus verbis insinuat, se manere in ratione adducta pro opi-
« nione affirmativa, et quam hic non putat solvi, et postea subdit
« excusando se a controversia: *saltem quidquid de ista controversia*
« *de Episcopatu, etc.*; et in responsione ad quartum; quod est ex aucto-
« ritate S. Dionysii, Isidori, etc. *Patet, inquit, ex secundo articulo: qui*
« *enim negant Episcopatum esse Ordinem, exponunt eos accipere Or-*
« *dinem pro sacramentali, etc.* ubi tantum adducit responsionem Theo-
« logorum antiquorum, non propriam. *Deinde, si ex consequentia do-*
« *ctrinæ argumentari libet, infra ait: Sed in Sacerdotio videtur probabile,*
« *inquit, quod ibi sunt duæ formæ partiales, in quarum altera confertur*
« *potestas conficiendi Eucharistiam; in reliqua potestas absolvendi in*
« *Penitentia, etc.* Quod et supra fusius docuit, dist. 19. qu. 1. art. 3.
« admittens etiam duos characteres partiales, qui integrant unum to-
« talem. In hac autem littera, ideo docet in Sacerdotio duas Ordina-
« tiones partiales, quia etiam correspondet singulis sua propria materia,
« et sua propria forma: sed in Episcopatu idem etiam patet habere ma-
« teriam et formam, diversam a materia et forma Sacerdotii: ergo
« sequendo hæc principia idem diceret, si propriam sententiam expo-

« neret, quia in hac conclusione de particulari characterē Sacerdotii
 « recedit a fundamento Theologorum, quo negat Episcopatum esse
 « Ordinem, quia est officii et dignitatis tantum, in quo confertur po-
 « testas, et non character; quæ est ratio Magistri, et ordinariē fun-
 « datur in quibusdam auctoritatibus S. Hieronymi, quas ita explicant
 « Theologi antiqui, ut potestas hæc, sive absolventi in Sacerdote, sive
 « Episcopalis collata in consecratione, non sit character, sed illa con-
 « sequatur ad characterem Sacerdotalem immediate, ut dicit Alensis;
 « hæc autem mediate, vel certe, ut sit actus characteris, ut alii dicunt,
 « prima potestas; secunda vero, quæ est Episcopalis, supponat chara-
 « cterem Sacerdotii tantum, et sit potestas officii et dignitatis seu
 « jurisdictionis faciendi actus hierarchicos. *Præterea*, supra assignans
 « definitionem Ordinis in articulo primo hujus quæstionis, in secunda
 « definitione comprehendit Episcopatum. Et doctrina ejus, qua ex-
 « plicat varias acceptiones Ordinis, in ultima particulari acceptione
 « ejus omnia, quæ ibidem exprimit conveniunt Episcopatui, quia
 « *est gradus eminentis in Ecclesia disponens ad actum aliquem Eccle-*
 « *siasticum eminentem, et quia specialiter, inquit, actus eminentes in*
 « *Ecclesia sunt actus respicientes Sacramenta, ideo potest specialius*
 « *dici, quod est gradus disponens ad aliquem actum Sacramentalem, etc.*
 « quæ omnia conveniunt Episcopatui. Quod si objiciatur, definitionem,
 « quam ipse propriam assignat in 3. art. excludere Episcopatum per
 « illam particulam, *cui convenit aliquod ministerium circum Eucharis-*
 « *tiam exhibendam, etc.* respondetur in art. 2. jam se excusasse a
 « resolutione ipsius controversiæ, et tantum definire Ordinem in 3. art.
 « ut comprehendit quatuor Minores, Subdiaconatum, Diaconatum, et
 « Presbyteratum, et prout consequenter præcise ad Eucharistiam or-
 « dinatur. Cæterum præmissam assertive tenet in Reportatis ». *Ita*
Hiquæus, quibus aperte demonstrat, Doctorem revera magis propen-
 dere in sententiam affirmantem, quod Episcopatus sit Ordo a cæteris
 distinctus, etiam a Sacerdotio; non quidem adæquate, sed inadæquate.

Nec obstat, quod supra diximus, nempe SS. Patres asserere, ma-
 xime S. Leonem, Epist. 84. ad Anastasium Thessalonicensem Epi-
 scopum, cap. 4. Subdiaconatum esse Ordinem quartum a capite, hoc
 est, Episcopatum. *Hoc*, inquam, *non obstat*, nec ex eo inferre licet
 Episcopatum non esse solum verum Sacerdotii complementum, sed
 Ordinem adæquate, et omnino distinctum a Sacerdotio; siquidem
 SS. Patres, maxime S. Leo, dum asserunt Subdiaconatum esse quar-
 tum Ordinem ab Episcopatu, tantum numerant personas, quæ ratione
 Ordinis Ecclesiastici concurrunt ad instituendam Hierarchiam; cum
 autem ejusmodi personæ distribui possint in quatuor classes diversas,
 videlicet Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, et Episcoporum,
 hinc fit, ut a Subdiaconatu ad Episcopatum quatuor numerentur Ec-
 clesiastici Ordines. Ad prædictam autem personarum, sive Ministrorum
 Ecclesiasticorum distinctionem, parum refert, quod inter Ordines, quibus
 insigniuntur ejusmodi personæ distinctio sit adæquata, vel inadæquata;
 essentialis et specifica, aut minime essentialis, nam Presbyterorum ab
 Episcopis personæ non sunt minus realiter distinctæ, quam Subdia-
 conorum a Diaconis, quamvis Ordinis Episcopalis a Sacerdotali distin-
 ctio sit solum inadæquata; Ordinis vero Subdiaconatus a Diaconatu sit

adæquata. Idcirco autem Sanctus Leo recenset Episcopatum, tamquam primum Ordinem, et caput aliorum, quia vult ostendere, quod si inferioribus Ordinibus insigniti teneantur ad servandum cœlibatum, multo magis ad id tenentur Episcopi; scribit enim præfato cap. 4. *Cum extra Clericorum Ordinem constitutis, nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur; ut et qui habent, sint tamquam non habentes, et qui non habent, permaneant singulares: Quod si in Ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio servandum est, ne aut Levitico Ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria nedum frenasse detegitur?* Ita S. Leo, quibus (ut apparet) hos Ordinum gradus magis distinguit ratione personarum, quæ ipsis Ordinibus insigniuntur, quam ratione ipsorum Ordinum adæquate sumptorum.

PETES: *Quid sentiendum sit de Chorepiscopis, de quibus Canones et antiqua Ecclesiæ monumenta tam sæpe loquuntur.*

RESPONDEO, Chorepiscopi nomen idem significare, ac oppidi, seu pagi Episcopum, vel Vicarium, aut oppidanum Episcopum, qui videlicet extra urbem in pagis, vicis et oppidulis Episcopi vices agit; unde antiqui Canonum Interpretes Chorepiscopos nonnumquam Latine Episcoporum vicarios interpretantur. Ita Ferrandus Diaconus, in *Breviario*, cap. 79. *Chorepiscopi, inquit, idest, Vicarii Episcoporum.* Et S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 6., ubi scribit: *Chorepiscopi, idest, Vicarii Episcoporum, juxta quod Canones ipsi testantur, instituta sunt ad exemplum 70. Seniorum, tamquam Sacerdotes, propter sollicitudinem pauperum. Hi in vicis et villis instituti, gubernant sibi commissas Ecclesias, habentes licentiam constituere Lectores, Subdiaconos, Exorcistas. Presbyteros autem et Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscentur. Hi autem a solo Episcopo civitatis, cui adjacent, ordinentur.* Hanc amplissimam potestatem Chorepiscopis attribuit Sanctus Isidorus, secundum Canones Græcos, nempe Can. 13. Concilii Ancyrani, 14. Neocæsariensis, et 10. Antiocheni. Verum hoc forte eis Chorepiscopis concedebant præfati Canones, quod essent veri Episcopi, sed absque Diœcesi, et subditi Diœcesanis Episcopis, a quibus eorum auctoritas limitari poterat.

Duplex namque genus erat Chorepiscoporum; aliqui enim revera erant Episcopi consecrati, sed absque plebe, ut constat ex Concilio Reghiensi, anno 439. celebrato, in quo Armentarius in Episcopum a duobus Episcopis sine conscientia Metropolitanus ordinatus, Chorepiscopatus officio fungi permittitur. *Similiter constat ex Can. 8. Concilii Nicæni, quo statuitur quod cum duo erant in urbe Episcopi, unus Catholicus, alter hæreticus, si Hæreticus ad Catholicam fidem converteretur, tum Catholicus pacis causa poterat illi permittere, ut in aliqua parte Diœcesis Chorepiscopum ageret.* Alii vero Chorepiscopi erant simplices Sacerdotes instituti ad formam 70. Discipulorum, non autem duodecim Apostolorum, ut præclare docet S. Damasus, Epist. 1.

vel. 5., ubi inter cætera scribit de Chorepiscopis: *Quod enim Episcopi non sint, qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, nec nominentur Episcopi, si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quidquid enim inter Episcopos, aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint, necesse est, ut superius jam prælibatum est, ut irritum fiat. Quia quod non habent dare non possunt. Et in eadem Epistola post aliquot periodos: Quis hominum, licet more humano loquamur, dare potest quod non habet? Præsertim cum Pontifices non erant, ea, quæ solis Pontificibus debentur, dare non poterant. Et propterea magis vulnerabant capita, quæ per manus impositionem tangebant, cum ea, quæ eis collata non erant, per aliquam benedictionem darent. Et ideo quidquid ex supradictis ministeriis Pontificalibus præsumebant irritum erat, et nihil factis proficiebat. Sed magis juxta Prophetam, maledictionem pro benedictione, si ratum est dicere, conferebant. Quapropter per illam illicitam manus impositionem, ut paulo superius prælibavimus, vulneratum caput illi, qui videbantur aliquid accepisse, habebant. Et ubi vulnus infixum est, necesse est medicinam adhibere, qua infixa sanetur macula, idest, reiterari necessum est quod legitime actum non est, aut collatum minime approbatur, si perfectum esse debet. Nam quomodo honorem possit retinere, qui ab illo acceperit, qui potestate dare legitime non habuit, invenire non possum, etc.*

Similia decernit S. Leo, Epist. 86., et Joannes III, Epistola unica, his verbis: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non esse Episcopum, qui minus quam a tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitanæ, fuerit factus Episcopus. Ideoque illos, quos Chorepiscopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, fiunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere perspicuum est. Quoniam si nomen non habent, quomodo officium possunt habere? Si ergo Episcopi non sunt, et Presbyteri, quorum vicem gerunt, quia ad exemplum septuaginta olim fiebant, esse despiciunt, quid erunt? Sæpius (ut observat Morinus *Exercit.* 14. cap. 2. num. 8.) ea Epistola repetit argumentum a septuaginta Discipulis, quibus successerunt Chorepiscopi, deductum, hocque, et alia quæ profert, auctoritate Pontificum Damasi, et Leonis confirmat. Similiter Concilium Hispalense secundum, cap. 7., severe increpat Agapium quemdam Cordubensem Episcopum, qui Chorepiscopus delegare solebat ad Episcopalia munera administranda, Confirmationis Sacramentum conferendum, Altaria erigenda, Ecclesias consecrandas, virgines benedicendas, etc. Hocque imposterum fieri prohibet, nec plus licere vult Chorepiscopis quam Presbyteris; quia, inquit, *Juxta Canones unum sunt, Pontificatus apicem non habent.**

Sed nihil evidentius desiderari potest, imo fingi, quam Leonis III ad Episcopos Galliæ responsum. Cum enim tempore Caroli Magni gravissimæ querelæ adversus Chorepiscopos a Galliæ et Germaniæ plurimis Episcopis excitatæ essent, quarum potissima causa erat, quod plurimi negarent, eos esse Presbyteros, vel Diaconos, aut Subdiaconos, qui a Chorepiscopis videbantur quasi sacrati, nec Sacerdotale eos debere peragere officium, nisi forent a canonice ordinatis Episcopis consummati; affirmabant quoque a Chorepiscopis ordinatos vulneratum potius, quam Episcopaliter sanctificatum, per illam manus impositionem habere caput. Ideo, inquit Morinus, plurimi Laici eorum Missas fugie-

bant, eorumque liberos ab iis confirmari volebant, *ne magis vulnus, quam benedictionem acciperent*. Cum hæc, inquam, quæstio in Gallia et Germania varie et nutantibus sententiis agitaretur, statuerunt Episcopi Archiepiscopum e suis Romam ad Leon. III mittere, qui ab eo ancipitis istius quæstionis decisionem referat. Quid vero respondit Pontifex Archiepiscopo ad eum misso? Quæstionem a Prædecessoribus suis jam definitam esse, nec alia definitione opus esse: *Dixit enim nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis ordinatum; nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec Virginem consecratam, nec quemquam confirmatum; neque quicquam, quod de Episcopali ministerio præsumpsere, esse peractum. Sed quidquid ex his ab iis illicite erat præsumptum, omnia a canonicè ordinatis Episcopis debere rite peragere, et in meliorem statum reformare, quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum*. Hoc Arno Archiepiscopus, a Collegis suis Romam missus, responsum a Sede Apostolica tulit. Quo accepto, Galliæ et Germaniæ Episcopi Synodum Ratisbonæ habuerunt, in qua Apostolicæ Sedis decretum promulgarunt, et observare statuerunt, videlicet: *Quidquid a Chorepiscopis Episcopaliter præsumptum est, a canonicè ordinatis Episcopis peragi debere, nec ullum usque de Episcopali ministerio a Chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod aliquis horum accipere potuisset, quoniam quod non habuit quis eorum dare non potuit*. Quibus vero potissimum rationibus freti ita decernunt? Nam Episcopi non erant, quia nec canonicè a tribus Episcopis ordinati. Ideo de Episcopali ministerio nihil agere potuerunt; et idcirco non ostendit gestum, quod præfixi agere putaverant, quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Ideo namque nulla causa permitti, ut videatur iteratum, quod de causis memoratis a canonicè ordinatis Episcopis cognoscitur regulariter peractum. Hæc leguntur Tom. 2. Conciliorum Galliæ ad annum 800. selectorum capitulorum, lib. 4. cap. 1. Multa quoque in eandem sententiam sequentibus capitibus, quæ brevitatis causa prætermitto. Deprehenduntur etiam capitulari, lib. 7. cap. 187. et cap. 329., et lib. 6. cap. 116., consentit Isaacus Lingonensis, Tit. 11. cap. 30. *Si quis non ab Episcopo, sed a Chorepiscopo, qui non est Episcopus, sed Vicarius Episcopi, etc.* Refertur quoque Capitular., lib. 7. cap. 313. Concilium Metense quod est postremum eorum, quæ de ipsis mentionem faciunt, Can. 7. adversus eos, eorumque statum decernit, *Ut Basilicæ a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, roboratum est. Quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentiï, et Leonis, vacuum est et inane, quidquid in summi Sacerdotii Chorepiscopi egerunt ministerio. Et quod et ipsi iidem sint, qui et Presbyteri sufficienter inveniantur*. Est igitur non modo certissimum, sed etiam manifestissimum, Chorepiscopos illos, de quibus antiqua Ecclesiæ monumenta mentionem faciunt tam frequentem, Episcopos non fuisse, sed tantum Presbyteros dignitate cæteris Presbyteris præeuntes, Diœcesis partem aliquam sub Episcopi proprii auctoritate regentes, quibus ideo nonnulla munera Episcopalia in oppidis et pagis exercenda committentur, pro Episcopi arbitrio, in quibusdam Provinciis plura, in aliis pauciora.

Unde Ebbo Archiepiscopus Rhemensis, in statuto de Ministris Ec-

clesiæ Rhemensis, de Chorepiscoporum officio sancivit: *Chorepiscopi ministerium est omnem Sacerdotem totius regionis sibi commissæ conversationem corrigere, atque dirigere, idest, conficiendis divinis Sacramentis, et baptisterio omnium intellectum aperiens excitare, populum regionis prædicare, confessiones exigere, Pœnitentiam cum discretione, caute imponere, hospitalitatem sectari, infirmos visitando obsequia benignitatis et benedictionis, et sanctæ unctionis inferre. Communioni sanctæ dignos fieri, populos assidua Communione exercere, mortuos cum commendationibus animæ, et orationibus dignis obsequiis sepulturæ venerabiliter tradere, pro vivis etiam, ac defunctis totius Ecclesiæ filiis rationabili assiduitate exorare. Insuper vero omnia quæcumque intra Ecclesiam, et extra Ecclesiam, in claustro, et in omnibus habitationibus a maximo usque ad minimum quemcumque viderit negligere, secundum ecclesiasticum correptionis modum semper corripiat, et omnem veram Religionem prior ipse faciendo, omnes facere doceat. Hæc in appendice ad Flodoardum in hist. Ecclesiæ Rhemensis. Ita Morinus.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SINGULIS ORDINIBUS SIGILLATIM ET IN SPECIE.

JAM satis superque constat ex dictis, Ecclesiasticos Ordines esse numero septem, et eorum quoslibet materia et forma constare. Restat autem de singulis inquirendum et determinandum, quæ sit eorum natura, materia, et forma, ac distinctum munerum exercitium; quod ut fiat planius et brevius, singulos Ordines sub distinctis titulis in hoc Articulo expendemus, procedendo ab inferioribus ad superiores, juxta ritum quo conferri solent.

§ I. — DE OSTIARIIS: — Inter quatuor minores Ordines primus et omnium infimus est *Ostiariorum*, qui et *Janitores*, et *Æditui* dicti sunt; de quibus ita scribit sententiarum Magister: *Ostiarium, inquit, idem et Janitores sunt, qui in veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, ut non ingrederetur in illud, immundus. Dicti autem Ostiarium, eo quod præsent foribus templi. Ipsi enim tenentes clavem omnia intus et extra custodiunt, atque inter bonos et malos habentes judicium, et dignos recipiunt, indignos respuunt. Unde et eis, cum ordinantur, claves Ecclesiæ dantur ab Episcopo, et dicitur eis: Sic agite, tamquam rationem Deo reddituri de rebus, quæ clavibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto, vendentes et ementes ejecit de templo. Ipse enim se Ostiarium significans, dicit: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Ita sententiarum Magister, quibus complectitur omnia, quæ spectant ad Ordinem Ostiariatus, nimirum illius antiquitatem, munia seu officia, necnon et materiam et formam. Porro hujus Ordinis dignitas adumbrata fuit in veteri Testamento; nam 1. Paralip., cap. 9. numerantur 4000. ejusmodi Janitorum, qui secundum vices suas custodiebant ostia domus Domini, seu templi Salomonis. Ad eorum autem similitudinem instituti sunt in novo Testamento Janitores, seu Ostiarii, qui januis Ec-*

clesiæ præsent, et earum curam habent, et omnia ejus interiora atque exteriora custodiunt, sicut observat S. Isidorus Hispalensis Episcopus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 14. et constat ex Concilio Aquisgranensi sub Stephano IV cap. 4.

Porro Ostiariorum in Ecclesia antiquitatem et existentiam aperte demonstrant SS. Patres utriusque Ecclesiæ, Orientalis videlicet et Occidentalis; illius enim meminerunt S. Dionysius, cap. 3. lib. *De Ecclesiast. Hierarch.*, et Epist. ad Demophilum, quæ est octava; Ignatius Martyr, seu quisquis est auctor Epistolæ ad Antiochenos; Clemens Romanus, lib. 2. *Constitutionum*, c. 25. Concilium Laodicenum, Can. 24. S. Epiphanius, Hæresi 80. et Eusebius Cæsariensis, lib. 6. cap. 43. Similiter e Latinis Patribus plurimi idem testantur, maxime Cornelius Papa in fragmento Epistolæ, quod refert Eusebius mox laudatus, Concilium Romanum sub Sylvestro, cap. 2. Concilium Carthagenense quartum, cui præsens aderat et subscripsit S. Augustinus: Concilium Toletanum primum sub Innocentio primo celebratum; S. Paulinus Episcopus Nolanus, Epist. 6. ubi ab hoc Æditui sive Ostiarii gradu, ait se militiam Ecclesiasticam voluisse exordiri; Imperatores, Valentinianus, Valens, et Gratianus, lege *Presbyteros* cod. *De Episcopis, et Clericis*; Gelasius Papa, in Epist. ad Episcopos Lucaniæ; S. Gregorius, lib. 1. *Dialog.*, cap. 3. et lib. 3. cap. 15. ac 17. ubi refert Constantinum quemdam Theodorum, et Evandium Sacerdotio auctos, Mansuenariosque dictos Ecclesiarum S. Stephani, et Petri Romæ, Ostiariorum functiones obivisse; et alii passim, maxime omnes Theologi principes cum Concilio Florentino et Tridentino.

Quantum autem ad materiam et formam, seu ritum conferendi illius Ordinis, conveniunt omnes Theologi, *materiam remotam* Ostiariatus esse claves Ecclesiæ; *proximam* vero traditionem earundem clavium, quas Episcopus ordinans porrigit ordinando; *formam* vero consistere in his verbis: *sic agite, quasi reddituri Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Quæ utique forma etiam traditur in Concilio Carthagenensi quarto.

Sunt tamen qui existimant, etiam pulsationem campanæ, aut traditionem funis campanalis, spectare ad materiam hujus Ordinis; antiquitus enim, inquit Morinus, exercitatione 13. num. 2. sola traditio clavium erat in usu, ut constat ex Can. 9. Concil. Carthagenensis IV, ex Ordine Romano, et ex antiquissimo Gelasiano. Sed funis traditio et campanarum pulsatio ab antiquis exemplaribus non commemorantur. Sicut tamen Ecclesia priorem materiam instituit, sic potuit et secundam. Secundam autem primum non instituit, eo quod primis illis sæculis consuetum non erat fideles ad Ecclesiam per campanarum pulsationem convocare; sed invalescente illa consuetudine, adjunctum est antiquæ materiæ istud pulsationis genus. Insuper admonitio, quæ Ostiariis ordinandis nunc fit ab Episcopo, antiquitus ab Archidiacono fieri solebat, ut in Can. 9. Concilii Carthagenensis IV, et in antiquis, plerisque Ritualibus edicitur.

Verum reclamant cæteri Theologi: *primo*, quia eam solam materiam diserte exprimunt verba formæ. *Sic agite*, etc. *Secundo*, qui ejusmodi verba eo tempore pronuntiantur ab Episcopo, quo ab eodem traduntur claves Ecclesiæ; non autem eo tempore, quo traditur campana,

aut funis ad eam pulsandam: at materiæ in Sacramentis et Ordibus applicatio fieri debet eo tempore, quo pronuntiantur verba formæ. *Tertio*, quia materiam Ordinis tradere et applicare solius est Episcopi ordinantis, cum ad solum Episcopum de jure pertineat Ordinum collatio: at campana aut funis campanæ non traditur ab Episcopo, sive ab Ordinate, sed ab Archidiacono. *Quarto* denique, quia ejusmodi materiæ recentioris et superadditæ ad primævam nulla plane fit mentio in sacris Canonibus, et antiquis Ritualibus, aut apud SS. Patres; imo nec Stephanus Eduensis, nec Ivo Carnotensis, nec Hugo a S. Victore hujus ritus meminerunt.

Munia autem et *Officia Ostiariorum* sunt: *primum*, claudere et aperire januas Ecclesiæ, certis quidem horis, necnon eas obserare infidelibus, et reserare Fidelibus, sicut monet Episcopus in exhortatione, quam ad eos habere debet in ipso Ordinationis ingressu, quæ legitur in Pontificali Romano; ubi etiam eosdem hortatur, ut, quemadmodum clavibus materialibus Ecclesiam visibilem aperiunt, et claudunt, ita etiam invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium dictis et exemplis claudant diabolo, et aperiant Deo. Nec solum claudere Ecclesiæ januas infidelibus, sed etiam iis, qui inter fideles indigni sunt, quales maxime censentur excommunicati, energumeni, peccatores publici, et scandalosi denunciati, Christianæ Religionis et veritatis derisores et impugnatores, ac notorii Clericorum percussores, ut docet S. Ambrosius, Epist. 23. S. Chrysostomus, Homil. 41., et aliqua ex parte Martinus V, in sua Constitutione edita in Concilio Constantiensi. — *Secundum Ostiariorum munus* est curare ne quis laicorum propius ad Altare accedat, dum sacra mysteria celebrantur, ut observat Catechismus Romanus, num. 33. *Tertium* munus est pulsare campanas et populum fidelem ad templum convocare, ut divinis mysteriis et Officiis intersit. Hinc est, quod in Pontificali Romano Episcopus ordinans, Deum orans pro iis, quos in Officium Ostiariorum eligere dignatus est, postulat, ut sit fidelissima cura in domo Dei diebus ac noctibus, ad distinctionem certarum horarum, ad invocandum nomen Domini fideles convocare; unde hæc pulsatio tantam apud veteres Christianos venerationem obtinuerat, ut campanas pulsaturi super pelliceis induerent, ut insinuat Concilium Coloniense sub Adulpho Archiepiscopo in suis Decretis, Can. 13. — *Quartum* et ultimum ex præcipuis Ostiarii muneribus est esse Ecclesiæ Thesaurarium, ut indicat Catechismus Tridentinus, num. 33. unde colligit magnam in antiqua Ecclesia hujus Ordinis dignitatem fuisse. Nam Thesaurarii officium, qui erat idem Sacrarii custos, quod ad Ostiarios pertinebat, inter honestiores Ecclesiæ functiones etiam nunc habetur.

Has omnes Ostiariorum functiones luculenter explicat Pontificale Romanum in exhortatione, quam ad hoc Ordine initiandos habere debet Episcopus his verbis: *Suscepturi, filii charissimi, Officium Ostiariorum, videte quid in domo Dei agere debeatis. Ostiarium oportet percutere cymbalum et campanam, aperire Ecclesiam et sacrarium, et librum ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam vestram illarum rerum, quæ intra Ecclesiam sunt, aliquid depereat, certisque horis domum Dei aperiat fidelibus, et semper claudatis infidelibus. Studete etiam, ut sicut materialibus clavibus Ecclesiam visibilem ape-*

ritis et clauditis, sic et invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis vestris claudatis diabolo, aperiatis Deo, ut divina verba quæ audierint corde retineant, et opere compleant, quod in vobis Dominus perficiat per misericordiam suam.

§ II. — DE LECTORIBUS. — Secundus Ordinum Ecclesiasticorum gradus est Lectorum: « Lectores autem, *inquit sententiarum Magister*, a legendo, sicut Psalmistæ a Psalmis canendis, vocati sunt; « illi enim prædicant populis, quid sequantur; isti cantant, et exci-
« tant ad compunctionem audientes; licet quidam Lectores ita mi-
« serabiliter pronuntient, ut quosdam ad luctum et lamentationem
« compellant. Iidem etiam Pronuntiatores vocantur, qui populo ante
« nuntiant, quia tam erit claram eorum vox, ut etiam longe posito-
« rum aures adimpleat.

« Ad Lectorem autem pertinet Lectiones pronuntiare, et ea, quæ
« Prophetæ vaticinaverunt, populis prædicare, ut jam ex officio in
« Ecclesia legat Prophetias et Lectiones. Unde et ei, vidente populo,
« traditur ab Episcopo codex divinarum Lectionum, et dicitur: ac-
« cipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris offi-
« cium, partem cum his, qui bene verbum Dei ministraverunt. Qui
« ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instru-
« ctus, ut sensus verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte
« legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. At-
« tendat quid indicative, quid interrogative sit legendum, ubi sit in
« oratione facienda distinctio: hæc enim male servata intellectum tur-
« bant, et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet
« vox Lectoris. Hoc officium implevit Christus, cum in medio senio-
« rum librum Isaïæ aperiens distincte ad intelligendum legit: *Spiri-*
« *tus Domini super me*, etc. Ex quo Lectoribus datur intelligi, qua
« gratia spirituali clarere debent qui alii verbum Dei annuntiant. Hic
« Ordo formam et initium a Prophetis accepisse videtur, quibus di-
« citur: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* ». Hæc sen-
tentiarum Magister.

Quibus omnia paucis explicat, quæ spectant ad Ordinem Lectorum: primo quidem hujus Ordinis dignitatem et antiquitatem in veteri Testamento adumbratam, et ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio celebrem; hujus namque Ordinis et officii meminit Tertullianus, lib. *De Præscriptionibus*, cap. 41. ubi reprehendens hæreticos, quod Ordinationes eorum temerariæ sint, leves et inconstantes, ut id probet, statim addit: *Alius hodie Episcopus, cras alius, hodie Diaconus, qui erat Lector*, etc. Idem quoque S. Cyprianus significat Epist. 24. ubi ait se fecisse Saturum, qui antea Confessor fuerat, Lectorem. Meminit pariter S. Gregorius Nazianz., Orat. 3. quæ est prima in Julianum Apostatam, ubi observat eum ante suam apostasiam fuisse Lectorem in Ecclesia, et post apostasiam instituisse, ut in templis Gentilium essent Lectores, ad instar eorum, qui sunt in Ecclesia Catholica.

Secundo, designantur munia Lectorum quorum primum est legere, non solum Scripturam Sacram veteris Testamenti, sed et omnes novi Testamenti libros, necnon et eos omnes, qui possunt conferre ad fidelium eruditionem et pietatem. Non enim Lectoribus permissum est

solum legere Propheticas et Apostolicas scripturas, ut contendit Hugo Victorinus, lib. 2. *De Sacramentis*, p. 3. cap. 7. sed etiam omnes utriusque Testamenti libros, ut aperte tradit Concilium Laodicenum, Can. 59. ubi expresse habetur, *quod non oportet privatos et vulgares aliquos Psalmos dici in Ecclesia, nec libros non canonicos, sed solos Canonicos veteris et novi Testamenti*; et Concilium Carthaginense tertium, Can. 46. ubi statuitur, ut præter Scripturas canonicas in Ecclesia nihil legatur sub nomine divinarum Scripturarum.

Quod autem præter Scripturam sacram, etiam legi possint in Ecclesia omnes piæ et probatæ instructiones, colligitur ex eodem Concilio, Can. 23. ubi diserte præscribitur, *ut quicumque sibi preces aliunde describit, non eis utatur, nisi prius eas cum instructoribus fratribus contulerit*; quod explicatius sanxit Concilium Milevitanum secundum, Can. 12. his verbis: *Placuit, ut preces, vel orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive recommendationes, sive manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, et comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum*. Et citato mox Canone 47. Concilii Carthaginensis III, legi etiam permittuntur Martyrum Passionum, dum anniversarii dies illorum celebrantur. Ex Concilio autem Toletano IV, licitum est Doctorum orthodoxorum scripta in Ecclesia publice legi.

Secundum munus Lectorum est, ut observat Catechismus Romanus, n. 34. prima Religionis Christianæ rudimenta, sive Catechumenis et baptizandis, sive etiam fidelibus baptizatis adhuc rudioribus tradere: ita ut Lectoris proprium munus sit, non solum legere sacras utriusque Testamenti Scripturas, sed etiam id, quod legit, rudioribus et Neophytis exponere per modum instructionis familiaris; quod utique significare videntur verba, quæ proferuntur ab Episcopo ordinante; nam in Pontificali Romano habetur: *Lectorem oportet legere ea, quæ prædicat*; nam *prædicandi* verbum plus aliquid significat, quam *legere*, quippe prædicator exponere debet quæ pronuntiat.

Tertium munus Lectorum erat legere coram Episcopo eam divinarum Scripturarum partem, quam deinde Episcopus populo exponebat; quod utique munus et officium notissimum ex Sermonibus et Homiliis veterum Doctorum, seu Patrum, præsertim vero S. Augustini, qui passim ubi ex Psalmis vel altera quacumque Scripturæ parte ad populum verba fecit, hujus officii Lectoris meminit; unde S. Cyprianus, Epist. 33. et 34. docet officium Lectorum esse legere Evangelium, non quidem in Missa, sed extra Missam; quippe Lectori licitum erat olim in publicis fidelium et Ecclesiæ Conventibus Evangelium legere; non quidem e pulpito, seu majori suggestu, et tempore divini Officii, id enim solum Presbyteris et Diaconis licitum est; sed tantum extra divinum officium, et ad jussionem Episcopi mox concionem ad populum habituri.

Quartum ipsius munus est, non solum sacros et pios libros in Ecclesia coram fidelibus legere, sed etiam Cantoris et Psalmistæ officium implere; jam enim diximus, Cantorum et Psalmistarum officium esse veluti Lectoratus appendicem, et Lectoribus Cantores et

Psalmistas veluti coadjutores fuisse adjunctos, ut vel eo præcinente, cæteri succinerent, vel ad ejus imperium Cantores Psalmos et Hymnos intonarent.

Lectorum officium et munus egregie explicat Ivo Carnotensis, Serm. *de excellentia sacrorum Ordinum*, his verbis: *Hic quidem, qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instructus, ut et sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione pronuntiationis, intellectum auditoribus auferat. Attendat quid sit indicative legendum, quid sit interrogative; ubi sit in oratione subdistinctio, media distinctio; quia et hæc male servata intellectum perturbant, et Grammaticorum typum ad risum provocant. Auribus enim et cordi consulere debet Lector. Cui subscribit Concilium Aquisgranense, Can. 3. ubi ait: Vox Lectoris simplex erit et clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem et subrusticum effugiens sonum, non humilis, nec adeo sublimis, non fracta, non tenera, nihilque femineum sonans, neque commotu corporis, sed tantum cum gravitatis specie, auribus enim et cordi consulere debet Lector, non autem oculis, etc.*

§ III. — DE EXORCISTIS. — Oxorcistarum Ordo tertius est inter Minores, qui ideirco dicti sunt Exorcistæ, quod Exorcismis, idest, adjurationibus sacris, quasi totidem verborum tormentis et spiritalibus flagris, dæmones ab obsessis corporibus egredi compellant, *voce quidem humana, sed potestate divina*, ut loquitur S. Cyprianus, Epist. 66.

In primitiva autem Ecclesia Exorcistæ erant in duplici differentia: quidam enim vim habebant dæmones ejiciendi ex gratia gratis data, et absque ulla ordinatione, de quibus intelligendus est S. Clemens, lib. 8. *Constitutionum*, cap. 26. dum ait, *Exorcistam non ordinari*. Alii vero erant Exorcistæ per Ordinationem, qui videlicet suæ Ordinationis virtute potestatem habebant dæmones ab energumenorum corporibus ejiciendi, quales sunt de quibus agimus. Hujus autem Ordinis aperte meminerunt utriusque Ecclesiæ, tum Orientalis et Græcæ, tum Ecclesiæ Latinæ Patres atque Scriptores antiquissimi, ut videre est apud Baronium, Tom. 1. *Annalium, ad annum Christi, 59*.

Præcipuum Exorcistarum munus est, invocare nomen Domini, atque etiam manus imponere super eos, qui ab immundis spiritibus vexantur; unde Episcopus in admonitione, quam præmittere debet eorum ordinationi, eos sic alloquitur: *Accipitis itaque potestatem imponendi manum super energumenos, et per impositionem manuum, gratiam Spiritus sancti, ut verbis Exorcismi pellantur spiritus immundi a corporibus obsessis*. Et in oratione, quæ finem imponit huic ordinationi, Deum precatur Episcopus, ut per impositionem manuum, et oris officium, potestatem et imperium habeant, qui sic ordinantur, spiritus immundos coërcendi.

Quod utique officium et alia ad hunc Ordinem spectantia præclare explicat sententiarum Magister, *his verbis*: « Ad Exorcistam pertinet
« Exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos, et
« Catechumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere spi-
« ritum mundum, qui spiritibus immundis imperet, et malignum
« expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno, ne medi-

« cina, quam alii facit, sibi non prosit, et dicatur ei: Medice, cura
 « teipsum. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum
 « Exorcismorum, et dicitur eis: Accipite, et habete potestatem impo-
 « nendi manus super energumenos, et Catechumenos. Hoc officio usus
 « est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et
 « muti, dicens: Epheta, quod est, adaperire: per hoc docens, nos
 « spiritualiter habere et aperire aures præcordiorum hominum ad
 « intelligendum, et ora ad confitendum, ut pulso dæmone, Spiritus
 « sanctus vas suum recipiat. Hoc officio usus est Christus, cum dæ-
 « moniacos multos sanavit. Hic Ordo a Salomone videtur descendisse,
 « qui quemdam modum exorcizandi invenit, quo dæmones adjurati
 « ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati Exorcistæ
 « vocati sunt, de quibus Christus in Evangelio: *Si ego in Belzebug*
 « *ejicio dæmonia, filii vestri, scilicet Exorcistæ, in quo ejiciunt?* »

Idcirco autem Christus Dominus hanc dæmones expellendi pote-
 statem inferioris Ordinis Ministris committere voluit, ut facilius et
 efficacius protereretur ipsorum dæmonum superbia: nimirum ut eos,
 quibus nihil elatius est, magisque superbum, tanto magis deprimeret,
 subjiciendo eos non solum præstantioribus, sed etiam inferioribus Ec-
 clesiæ Ministris. Ne quis tamen dedignaretur hoc subire munus exor-
 cizandi, Christus ipse et Apostoli exemplo nobis præiverunt, exorci-
 zando energumenos, et dæmones ejiciendo.

Tanta porro in ipsis Ecclesiæ primordiis erat energumenorum
 multitudo, ut undique etiam a Gentibus et Paganis ad Ecclesiam
 adducerentur, suis Exorcismis, et precibus, invocato Christi nomine,
 liberandi; quemadmodum intelligi potest ex Justino Martyre, et Ter-
 tulliano, qui passim testantur exorcizandi munus fuisse commune
 omnibus Christi fidelibus, etiam non ordinatis, eo quod omnes tunc
 ex gratia gratis data pollerent dono abigendi dæmones e corporibus
 arreptitiorum, per invocationem nominis Christi; tunc enim ad ædi-
 ficationem Ecclesiæ, debitamque fidei propagationem longe frequen-
 tior erat et omnino conveniens miraculorum et ejusmodi curationum
 usus.

Jam vero munus exorcizandi dæmones, maxime juxta formam ab Ec-
 clesia præscriptam, non convenit omnibus Christi fidelibus, sed solum
 Ministris ad id specialiter ordinatis; ita enim statuitur in Concilio
 Laodiceno, Can. 26. ubi legimus, quod *hi, qui non sunt ab Episcopis*
ordinati, tam in Ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint.
 Vel ut Gratianus, dist. 69. cap. 2. ait: *Non oportet exorcizare eos,*
qui necdum ab Episcopis sunt promoti, neque in Ecclesiis, neque in
domibus.

Nec obstat, quod Christus Dominus dixerit universim de omnibus
fidelibus in eum credituris: In nomine meo dæmonia ejicient. Hoc,
 inquam, non obstat; nam eodem modo a Christo dictum est: *In no-*
mine meo dæmonia ejicient, quo ibidem additur: *Linguis loquentur*
novis, serpentes tollent: at non omnes Christi fideles linguis loquuntur
 novis, aut serpentes tollunt: sic ergo necesse non est, ut omnes dæmonia
 ejiciant. Prædicta igitur Christi Domini promissio ita debet intelligi, ut
 fidelibus promissa sit potestas expellendi dæmones e corporibus ener-
 gumenorum; non quidem pro omnibus et singulis, sed pro aliquibus

tantum; idque non semper, sed positis dumtaxat certis quibusdam conditionibus, videlicet urgente necessitate, ubi nimirum ipsa res ita postulaverit ad majorem Dei gloriam, juxta divinæ voluntatis et providentiæ leges, posito nempe quod ejusmodi potestatem quis acceperit, vel immediate a Deo, per aliquod gratiæ gratis datæ donum; vel per ministerium hominum, et ab Ecclesia per ordinationem, de qua hic agitur; supposito etiam quod in iis, quæ pertinent ad executionem hujus Ordinis, exorcizans non recedat a regulis, quæ ab eo servari debent, ut muneri suo non desit, et eo recte defungatur.

Quarum *prima* est, ut exorcizans non utatur ullis ritibus novis, aut diversis ab iis, quos Ecclesia præscribit, ac servare solet, nec adhibeat ignota quædam vocabula, ut Hebraica vel Syriaca, neque etiam ad aures energumeni tacite loquatur; quia hæc omnia superstitionem redolent, et pactum aliquod sancitum cum dæmone.

Secunda est, ut nihil fiat, nisi invocato Christi nomine; verissimum quippe est id, quod de dæmonibus observat Lactantius, lib. 2. *Institutionum divinarum*, cap. 16. *Justos, inquit, idest, cultores Dei, metuunt, cujus nomine adjurati de corporibus abscedunt, quorum verbis tamquam flagris verberati, non modo dæmones se esse confitentur, sed etiam nomina sua edunt: quia nec Deo, per quem adjurantur, nec justis, quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberari se, et ardere, jamjamque exire proclamant.*

Tertia regula est, ut cum dæmone, nonnisi verbis imperativis, comminatoriis, et coactivis utatur exorcizans; namque, ut ait S. Augustinus, lib. 10. *De Civitate Dei*, cap. 22. *Vera pietate homines omnem potestatem inimicorum, contrariamque pietati, exorcizando ejiciunt, non placando;* hinc est, quod, sicuti observat Joannes Michrologus, lib. *De Observationibus Ecclesiasticis*, cap. 7. Exorcismi non concludantur hac vulgari formula, *Per Christum Dominum nostrum*, sicut aliæ preces, et orationes Ecclesiasticæ, sed his verbis: *Per eum, qui venturus est judicare sæculum per ignem;* quia ejusmodi clausula comminationem importat ultimi judicii, cujus adventum dæmones maxime pertimescunt.

Quamvis autem Exorcistarum potestas, ex Exorcismorum Ecclesiæ virtus sit maxima, nihilominus fatendum est, adjuratos per eam dæmones non semper abigi, aut saltem non statim; Deo interdum ita permittente occultis de causis, sive ad aliorum terrorem et instructionem, ut miraculi veritas postmodum clarius appareat, sive ad punitionem, majoremque energumenorum probationem, sive propter infirmam fidem Ministri, et indignitatem patientis, aut circumstantium.

§ IV. — DE ACOLYTHIS. — Quartus Ecclesiasticorum Ordinum gradus, isque inter Ordines, qui Minores dicuntur, ultimus et supremus, est Acolythorum; vel, ut volunt, Acoluthorum: putat enim Dominicus Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. esse duplex nomen hujus Ordinis, nempe Acolythus, et Acoluthus, et utrumque græcum esse, prius autem significare idem, quod *non prohibitum*, eo quod non prohibeatur ignem accendere, et alia hujusmodi ministrare; posterius autem idem denotare, quod *famulum*, et ministrantem, qualis est pedissequus. Nam licet Acoluthus cum cereo accenso non subsequatur, sed antecedit

Presbyterum, postea tamen subministrat Subdiacono urceolos cum vino et aqua, et tunc videtur ipsum, quasi pedissequus, sequi.

Verum, (inquit Vazquez, disp. 236. n. 29.) manifeste fallitur Sotus; neque enim est duplex illud nomen græcum pro hoc Ordine sub duplici illa significatione, sed unum tantum, nempe Acolutheos, corrupto autem ν , et mutato in υ , passim dicitur Acolythus, a verbo græco ἀκολουθῆω Acolutheo, quod significat, *sequor, sector, obsequor, famulor, sum proximus*, ut notant periti linguæ Græcæ; quamvis autem sit nomen græcum ἀκόλουθος Acolythus, latine, *solutus, liber, nullus imperio parens*; tamen in hunc Ordinem non recte convenit. Et ita Lindanus, lib. 4. *Panoplîæ Evangelicæ*, cap. 78. sub finem, recte notavit, quosdam minus perite existimasse, Ecclesiæ Acolythos dictos fuisse, quasi non prohibitos. Parum autem refert, quod ille, qui dicitur Acolythus, subsequatur, aut præcedat; nam hoc ipso, quod comitatur, ut famulus, a prædicto verbo græco recte deducitur Acoluthus, cum ex famulis quidam dominum præcedant, quidam autem subsequantur.

Dicitur autem Acoluthus, alio nomine Ceroferarius; quod nomen, tamquam magicum, pro sua solita dicendi licentia, irridet Calvinus, lib. 4. *Institut.*, cap. 19. § 23. cum tamen eo utatur Concilium quartum Carthaginense, cap. 6. ubi tamquam Ordinem Ecclesiasticum numerat; ac proinde non est credendum Acolythos, nullos alios fuisse, nisi cubicularios Episcoporum, ut falso contendit Calvinus. *Hæc Vazquez.*

Tria autem sunt distincta Acolythorum officia, ut observatur in Pontificali Romano, ubi Pontifex in admonitione ad Acolythos ordinandos, ait: *Acolythum oportet ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum, et aquam ad Eucharistiam administrare.* Primum itaque Acolythi munus est, Ceroferarium ferre, idest, candelabrum, quo defertur cereus, et idcirco a quibusdam Acolythi appellantur *luminis et cerei gestatores*. Porro de hac luminis gestatione in Ecclesia, præsertim quando legendum est Evangelium, meminit S. Hieronymus, lib. *Adversus Vigilantium*, ubi sic habet: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur lumina jam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Addit Concilium Aquisgranense: et ad significandam spiritualem fidei lucem, quæ per Evangelium nobis affulget, adversus erroris tenebras. Deferuntur autem a duobus Acolythis duo luminaria, propter geminam dilectionem Dei, et proximi, vel propter duo Testamenta, quibus genus humanum illuminatur; vel, sicut habet Amalarius Fortunatus, lib. 3. *De-Officiis Ecclesiasticis*, cap. 18. *Duo cerei, qui ante Evangelium deferuntur, designant legem, et Prophetas præcessisse Evangelicam doctrinam. Revocare debet in memoriam hæc luminum gestatio, id quod a Christo Domino dictum est: luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est; unde Pontifex in admonitione, ordinandos sic alloquitur: Non enim Deo placere poteritis, si lucem Deo manibus præferentibus, operibus tenebrarum inserviat, et per hoc aliis exempla perfidiæ præbeat.*

Secundum Acolythi munus est, luminaria Ecclesiæ accendere; idcirco enim, cum ordinatur, accipit candelabrum cum cereo non ac-

censo, *ut sciat se* (inquit Concilium Carthaginense quartum, Can. 6.) *ad accendenda Ecclesie luminaria mancipari*. Tertium officium est, vinum et aquam in urceolis, sive ampullis ministrare, ad conficiendum Christi Sanguinem; unde idem Concilium statim subdit: *Accipiat, et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi*. Aliud antiquitus etiam erat Acolythorum munus et officium, nempe transmittendi ac deportandi Episcoporum et Ecclesiarum Epistolas, et eleemosynas ad eos, ad quos dirigebantur, ut videre est apud S. Cyprianum. Aliud etiam nunc observatur in Ecclesia officium, nempe gestare thuribulum cum igne, et incenso, seu thure. Cujus etiam officii meminit Honorius Augustodunensis in libro, qui inscribitur *Gemma animæ*, cap. 4. ubi etiam observat, quod dum Acolythus thuribulum versat in omnem partem, eo ipso designat S. Joseph, qui Christum Dominum hinc, et inde deportavit; aut etiam S. Paulum, qui prædicando, Christi odorem portavit per totum mundum.

Dignitas hujus Ordinis supra cæteros Minores et non sacros intelligi potest ex eo, quod omnibus ejusmodi Ordinum inferiorum Ministris, ad altare propius accedat, et quod iis etiam immediatius, ac directe magis inserviat Eucharistiæ conficiendæ, præparando nempe materiam consecrando calici necessariam in vasis non sacris. Hunc Ordinem vulgo comparant rerum Ecclesiasticarum tractatores cum iis, qui in templo Salomonis, et in tabernaculo lucernas quotidie accendebant.

Idem docet sententiarum Magister, dist. 24. scribens: *Hoc officium Dominus se habere testatur. dicens: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Hujus officii formam illi gerebant in veteri Testamento, qui lucernas candelasve componebant igne cælesti, ad illuminandas tenebras Aquilonares.*

Movetur autem controversia apud Theologos circa materiam hujus Ordinis; nam S. Bonaventura in explicatione, dist. 24. part. 2. dub. 2. et alii cum ipso, contendunt materiam essentialem hujus Ordinis consistere in sola traditione Ceroterarii cum cereo: *tum* quia illud videtur esse præcipuum hujus Ordinis officium, cereos in Ecclesia accendere, et deterre, ex quo videtur desumptum Acolythi, et Ceroterarii nomen; ac subinde essentialis hujus Ordinis materia potius videtur constituenda in traditione candelabri, quam urceoli. Imo neutrius traditio videtur spectare ad essentiam hujus Sacramenti; quippe solus Episcopus conferre potest Ordinis Sacramentum, ac subinde ipsius solius est porrigere materiam, et proferre verba cujusque Ordinis: at Episcopus non tradit ordinando Ceroterarium, seu candelabrum, et urceolum; siquidem in Concilio Carthaginensi quarto, Can. 6. statuitur: *Acolythus non ordinatus, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt Exorcismi, dicente sibi Episcopo: Accipe, et commenda memorie, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.*

Verum cæteri Theologi cum nostro Aureolo existimant, hujus Ordinis materiam essentialem et necessariam per se et adæquate consistere simul in utraque traditione ceroterarii, et urceoli; inde tamen non sequitur, quod hujus Ordinis sit duplex materia, nisi dumtaxat partialis, quod alienum non est a ratione, et natura Ordinis, et Sacra-

menti, quemadmodum constat ex Sacramento Eucharistiæ, quod per se et adæquate constituitur ex consecratione panis et calicis, quæ sunt omnino distinctæ, quippe cum diversam habeant materiam et formam. Idem quoque patet in ordinatione Sacerdotis, cujus duæ partes sunt essentielles omnino diversæ, quoad materiam et formam: una nimirum, qua potestatem accipit in Corpus Christi verum ad confiendendam Eucharistiam; altera vero, qua potestatem accipit ad absolvendos fideles a suis peccatis.

Nec obstat, quod utramque materiam Acolythus olim acciperet ab Archidiacono; nam post accepta hæc instrumenta sui Ordinis, se conferebant ad Episcopum, qui iterum utramque materiam ipsi porrigebat, proferendo ad cujusque porrectionem verba formæ convenientis, quæ habetur in Pontificali Romano, his verbis concepta: Accipite Ceroferrarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipatos esse. Similiter et hanc: Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.

§ V. — DE SUBDIACONIS. — Subdiaconus Græce dicitur ὑποδιάκονος quasi Subminister; quia nimirum debet inservire Diacono, et ei obedire. Apud sanctum autem Dionysium, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 3. dicitur λειτουργος, quo nomine S. Maximus Martyr et Pachimeres in *Commentario* ad hunc locum, Subdiaconum volunt intelligi; sumpto tamen latius Hyppodiaconi, seu Subdiaconi vocabulo, pro his omnibus Ecclesiasticorum Ordinum gradibus Diaconatu inferioribus; quo sensu Ostiarii, Exorcistæ, Lectores, et Acolythi, dici possunt Subdiaconi, quia Diaconis subjiciuntur. Verum hæc nominis Subdiaconi generica acceptio non officit, quin etiam specificè usurpetur, ad significandum peculiarem Ordinem ab aliis distinctum, Diaconatu quidem inferiorem, sed quatuor minoribus Ordinibus superiorem.

Subdiaconi autem gradum et Ordinem ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio cognitum fuisse constat, non solum ex Auctoribus jam pluries laudatis, sed etiam ex Can. 42. Apostolorum, et pluribus aliis veterum monumentis. In cujus utique veritatis confirmationem laudare possemus SS. Januarium, Magnum, Innocentium, et Stephanum, qui cum essent S. Sixti Papæ Subdiaconi, cum ipso ejusque Diaconis, Felicissimo et Agapito, passi sunt in persecutione Valeriani, et S. Romulum Ecclesiæ Diospolitaneæ Subdiaconum, qui anno secundo persecutionis a Diocletiano excitatæ cum Præsidi in Christianos sævienti, se Christianum esse professus esset, securi percussus est. Subdiaconi institutionem declarat Concilium Carthaginense quartum, tit. 5. his verbis, *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium.*

Idem docet S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. 10. ubi scribit: « Subdiaconi, qui apud Græcos Hyppodiaconi vocantur, « in Esdra inveniuntur, et appellantur ibi Nathinæi, idest, in humi- « litate Deo servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanaël, qui in « Evangelio Joannis divina admonitione commonitus, Salvatorem me- « ruit confiteri, quique etiam ad primum Divinitatis indicium fidelis « enituit, protestante Domino, ac dicente: *Ecce vere Israëlita, in quo*

« *dolus non est.* Denique isti oblationes in templo Domini suscipiunt
 « a populis, isti obediunt officiis Levitarum, isti quoque vasa Corporis
 « et Sanguinis Christi Diaconibus ad altare offerunt. De quibus qui-
 « dem placuit Patribus, ut, qui sacra mysteria contrectant, casti sint,
 « et continentes ab uxoribus, et ab omni carnali immunditia sint liberi,
 « juxta quod illis, Propheta dicente, jubetur: *Mundamini, qui fertis*
 « *vasa Domini.* Hi igitur, cum ordinantur, sicut Sacerdotes, et Levitæ,
 « manus impositionem non suscipiunt, sed patenam tantum, et calicem
 « de manu Episcopi, et ab Archidiacono scyphum aquæ cum aqua-
 « manili, et manutergium accipiunt ».

Idem docent Rabanus Maurus, lib. 1. *De Institutione Clericorum*, cap. 8. Ivo Carnotensis Serm. *De excellentia Sacrorum Ordinum*, et Auctor Epistolæ ad Rusticum Narbonensem. Ex quibus apparent varia Subdiaconorum officia, quorum

Primum est, aquam ad ministerium Altaris præparare; quod utique non debet intelligi solum de aqua, quæ vino miscenda est in calice consecrando, sed de ea, quæ necessaria est ad abluendos extremos Sacerdotis digitos, unde etiam manutergium una cum urceolo in sua ordinatione accipit.

Secundum officium est ministrare Diacono: hac enim ratione Subdiaconi dicuntur, idest, Diacono subjecti et famulantes, maxime in iis, quæ ad Eucharistiæ confectionem et celebrationem necessaria sunt; quapropter a præfatis Auctoribus assimilantur Nathinæis, qui, ut notavit Lyranus in cap. 1. lib. 1. *Esdrae*, serviebant ad deferendam aquam, ligna, et alia necessaria pro ministerio Levitarum in Ordine ad sacrificia celebranda.

Tertium officium est, pallas altaris et corporalia abluere; nomine autem pallarum significatur quodlibet genus lintheaminis, quo altare operitur, et quod præparatur ad celebrationem sacrificii, qualia sunt mappa, purificatoria, et corporalia, ex quibus mappa præcipue dicitur palla, eo quod, inquit Guillelmus Durandus Mimatensis Episcopus, lib. 4. *De rationali divinatorum officiorum*, cap. 29. Altare operiens illud palliet, sive abscondat; vel, ut volunt alii, eo quod ipsa palam, et foris apparere debeat. Horum ergo lintheaminum mundatio spectat ad officium Subdiaconi.

Quartum officium Subdiaconi est, calicem et patenam Diacono subministrare, ut illa subinde una cum pane et vino Diaconus Sacerdoti porrigat; quo utique munere propius accedit Subdiaconus ad Sacerdotis officium. Hinc est, quod in ejus Ordinatione ipsi tradatur ab Episcopo calix vacuus cum patena similiter vacua. Ex quibus colligitur, Subdiacono semper concessam fuisse facultatem sacra vasa tangendi, quemadmodum discrete significat S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolicarum*, c. 21. ubi refertur constitutio S. Thomæ Apostoli de Ordinatione Subdiaconi, in qua peragenda Episcopus sic Deum precatur: *Domine Deus, qui in tabernaculo testimonii Aedituos fecisti SS. vasorum custodes, et ipse nunc respice in hunc famulum tuum, qui ad ministerium Subdiaconi electus est, et tribue ei Spiritum sanctum, ut vasa administrando tibi facta digne attrectet.* etc. Quod etiam constat ex præfato Canone Concilii Carthaginensis, necnon et Scriptoribus sacris supra laudatis.

Nec obstat, quod scribit Bellarminus, lib. De Sacramento Ordinis, cap. 1. videlicet, antiquitus non fuisse permissum Subdiaconis sacra vasa tangere. Hoc, inquam, non obstat; quippe cum illius sententia nullo legitimo fundamento nitatur; nam quod profert ex Conc. Laodicensi, Can. 21. his verbis expresso: Non oportet Subdiaconos habere locum in Diaconio (idest, secretario) et dominica vasa contingere, ipsius sententiæ non multum patrociniatur; nam (ut observat Morinus, Exercit. 12. cap. 3. n. 7.) respondet Balsamon hoc Canone Subdiaconis prohiberi vasa sacra contingere, cum Corpus et Sanguinem Christi continent, hoc enim est Diaconorum proprium; non autem cum sunt Christi Corpore et Sanguine vacua. Aliter occurrit Zonaras, ita ut Græci moris imperitus Balsamoni videri possit contrarius. Respondet igitur Zonaras: Quod ita intelligendum est, ut Diaconorum munera obire, ac panem et vinum, quæ in sacrificium offeruntur, contingere non liceat; non enim permittitur ipsis ea deferre. Quibus alludit ad Græcorum morem, qui magna cum pompa deferre solent sacra symbola a sancta propositionis mensa ad divinum Altare, ut sacrificentur. Diaconus enim præcedentibus lampadibus, et subsequentibus Clericis super humeros sanctum panem defert, Sacerdos vero calicem manibus, et hoc apparatu gyro per Ecclesiam facto, omnibusque interim ante sancta symbola procumbentibus, ad Altare accedunt Sacerdos, et Diaconus, eaque super Altare reponunt. Hanc pompam vocare solent Græci magnum introitum, ut a parvo distinguant, qui fit cum sancta Evangelia legenda deferuntur. Hic ritus apud eos antiquissimus est, fitque quoties Missa celebratur.

Prohibent igitur Laodicensi Patres, secundum Zonaræ sententiam, Subdiaconum ingredi Diaconium, in quo est mensa propositionis, et sancta antitypa ad sacrificium præparantur, et in illo magno introitu ea cum Sacerdote deferre; quem ritum in hunc usque diem diligentissime observant. Hanc interpretationem confirmat Aristæus in brevissima sua canonum interpretatione: *Non tangant, inquit, vasa dominica Ecclesiæ Ministri, ἀλλὰ παρ'ἑρεων ἢ διακόνων τῆ ἱερᾷ τραπέζῃ τὰντα σπρωσάγοντα, sed a Sacerdotibus et Diaconis ad sacram mensam deferantur.* Non igitur contradicit Zonaras Balsamoni, sed aliquid insuper addit. Nec etiam contradicit perpetuæ Subdiaconorum in vasa sacra prærogativæ. Quamvis enim patenam antitypis onustam illis non liceat in ista solemnitate deferre, non inde consequitur, eos sacra vasa tangendi licentiam non habere. Græcos videmus in hunc usque diem utrumque præstare: solus Diaconus sacra vasa in ea solemnitate defert, et Subdiaconi sacra vasa tangunt et contrectant.

Nec etiam magis urget id, quod Bellarminus addit, Ordinem Subdiaconatus olim non fuisse inter Ordines sacros; namque si quando Subdiaconorum Ordo non fuit habitus inter Ordines sacros, id repetendum non est ex defectu facultatis ad tangenda vasa sacra, sed ex defectu obligationis ad cœlibatum, seu ad continentiam perpetuo servandam; namque Subdiaconis numquam prohibitum fuit sacra vasa tangere, sed his aliquando licitum fuit uxorem ducere, aut saltem ducta uti. Licet ergo tunc Subdiaconis licitus non esset sacrorum vasorum contactus, quia tamen eorum Ordini nondum erat annexum continentię votum, idcirco neque tunc habebatur eorum Ordo inter Or-

dines sacros, sicut alias a nobis explicatum est. Quod autem addit Bellarminus, Subdiaconis postea fuisse concessum tangere vasa sacra, ut patet, inquit, ex Canone *non liceat*, dist. 23. falsum est, quia ejusmodi Canon desumptus est ex Concil. Braccharensi; ante istud autem tempus Subdiaconi gaudebant facultate tangendi vasa sacra, sicuti constat ex Clemente Romano citato supra, c. 2. Concilii Carthaginensis IV. Prædictus ergo Canon, *non liceat*, nihil arguit, quam possessionem prædictæ facultatis in Subdiaconis ad tangenda vasa sacra, non autem primam ejus possessionem, sicuti supponit Bellarminus. Secundo, si quid probaret ejusmodi Canon, eo etiam probaretur, istam facultatem pertinere ad Acolythos; id quod nequidem ipse Bellarminus admisit.

Conveniunt tamen Theologi, idque confirmat Ecclesiæ consuetudo, per summi Pontificis concessionem, facultatem tangendi sacra vasa posse concedi initiatis inferioribus Ordinibus, ubi id necessitas postulat et exigit; nam, ut observat Morinus, exercit. 12. n. 9. antiquitus non modo licebat Subdiaconis sacra vasa tangere, sed etiam Acolythis. Id licebat in Ecclesia Braccharensi, ut ex collectione Martini Braccharensis deducitur Can. 41. *Non liceat quemlibet ministeria tangere, nisi Subdiacono, aut Acolythro in secretario tangere vasa sacra.* Eadem erat Romanæ Ecclesiæ et aliarum consuetudo, antiquis Ritualibus hoc testantibus. Id potissimum de patena demonstratur. In antiquo Ordine Romano de officio Missæ, coll. 6. editionis Parisiensis anno 1624. *Calicem autem Subdiaconus accipit sequens, et dat Acolythro, et ille revocat in paratorium.* Idem reperitur coll. 14. et 21. *Calix autem ille est vino plenus mixto cum Sanguine Christi.* Col. 75. in fine Ordinis Officii Parasceves: *Subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter Subdiaconus patenam cum Corpore Domini.* De patena vero sæpius ab Acolythro contrectata, coll. 10. *Cumque Episcopus Pater noster finierit, accipiens Archisubdiaconus patenam ab Acolythro, offerat eam Archidiacono.* Et coll. 15. *Venit Acolythus sub humero habens syndonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque ad medium canonem,* etc. Item coll. 20. et alibi non semel. Itaque ea, quæ de vasis sacris, atque etiam de aliis instrumentis edicuntur, non sunt ita stricte intelligenda, ut ex usu celeberrimæ Ecclesiarum aliis etiam Ordinibus convenire non possint, sed ut principaliter, et ex officio huic Ordini conveniant; nonnumquam tamen, et ex causa per alium Ordinem exerceantur. *Ita Morinus.*

Exinde tamen inferre non licet, quod aliquando vel Acolythis, vel aliis minoribus Ordinibus initiatis licitum fuerit ex officio sacra vasa tangere. Neque enim id evincunt, quæ a Morino proferuntur auctoritates. Non quidem ea, quæ petitur ex collectione Martini Braccharensis; primo, quia universim loquitur de vasis Ministerii, quæ ibidem appellantur vasa dominica, quorum alia sunt sacra, alia non sacra; quemadmodum constat ex veteri Ordine Romano citato supra, capite, qualiter celebrandum sit Officium Missæ, ubi sacri ministerii vasa dicuntur et recensentur, aquamanile, idest, vas manuale, patenæ, calices, et scyphi, atque pugillares sive aurei, sive argentei, annulæ argenteæ, ad vina fundenda paratæ, collatorium aureum, sive argen-

teum, et conlatorium; nam ex illis vasis ministerii sacra non sunt, aquamanile, scyphi, annulæ, et conlatorium; eorum vero omnium conrectationem et dispositionem omnimodam in secretario vult esse penes Subdiaconum, aut Acolythum, id quod intelligi debet proportione servata, et convenienter ad utriusque ordinem, seu potestatem; videlicet de Acolytho quantum ad non sacra, de Subdiacono autem quantum ad omnia, etiam sacra. Id enim statuitur exclusive ad Lectores, et inferioris gradus Ministros, quemadmodum patet ex Can. 28. Concilii Braccharenensis primi, sive secundi, ubi dicitur, quod non liceat quemlibet ex Lectoribus sacra Altaris vasa portare. Et Can. 66. Concilii Agathensis, ubi sic legitur: non oportet insacros Ministros licentiam habere Sacrarium ingredi, et contingere vasa dominica. Uterque Canon refertur apud Gratianum, prædicta dist. 25. *Deinde*, calix iste, quem ibi tenere dicitur Acolythus, appellatur scyphus, et calix major, atque distinguitur a calice sancto, quo utitur Pontifex ad Altare; et calix ille, seu scyphus, nihil aliud esse videtur, quam vas non sacrum, in quo ponebatur vinum commune, et non consecratum, cui admiscebatur aliqua pars sanguinis transfusa ex sacro vase; seu calice sancto, quo usus fuerat Pontifex ad consecrationem, in illum scyphum, seu calicem majorem, et non consecratum, quem tenebat Acolythus.

Quantum Subdiaconi munus est, oblationes populi suscipere, et super Altare ponere, ut colligitur ex admonitione Episcopi ad ordinandos, in qua eos sic alloquitur: *Oblationes, quæ veniunt ad Altare, panes propositionis vocantur: de ipsis oblationibus tantum debet in Altari poni, quantum populo possit sufficere, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat.* Porro inter multa, quæ antiquitus offerebantur ad Altare, solebant fideles offerre panem et vinum in usum Sacrificii, et sacræ Communionis; quapropter Subdiaconi munus erat de ipsis panibus tantum ad Altare deferre, quantum populo sufficere posset ad Communionem, ne si plures panis partes consecratæ remaneant, putrefactioni subiaceant, ut constat ex mox dictis.

Quintum munus est, Epistolam in Missa solemniter recitare, et decantare; quod utique officium Subdiacono committitur in ejus ordinatione, dum ei traditur ab Episcopo liber Epistolarum. Cujus utique officii tamquam ad Subdiaconum pertinentis meminit Martinus Bacharenensis in sua collectione canonum, his verbis: *Si Subdiaconus secundam duxerit uxorem, inter Lectores vel Officiarios habeatur, ita ut Apostolum non legat;* quo loco, legere Apostolum, perinde est, ac legere Epistolam; quia lectio ut plurimum in Officio Missæ peti solet ex Epist. S. Pauli, qui per antonomasiam appellatur Apostolus; et solus plures rescripsit Epistolas canonicas, quam ullus Apostolorum. Quæ sanctio desumpta videtur ex Can. 3. Concilii Toletani primi, cujus sunt hæc verba: *Subdiaconus autem, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerat, removeatur, et habeatur inter Ostiarios vel Lectores; ita ut Evangelium, vel Apostolum, seu Epistolam non legat.* Ubi signanter Concilium dicit lectionem Epistolæ spectare ad officium Subdiaconi, et esse unum ex muneribus, quæ Subdiacono conveniunt vi suæ ordinationis.

Nec obstat, quod in Mychrologo, c. 8. legatur: *Solis Subdiaconis inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus*

induti Epistolam legant ad Missam; quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex Ecclesiastica concessione meruerunt obtinere. Hoc, inquam, non officit; siquidem Mycenrologus nihil aliud intendit, quam quod Ecclesia Romana Subdiaconis concesserit, ut sacris vestibus induti Epistolam legant ad Missam; non autem simpliciter, quod Epistolam legant: hanc enim facultatem Subdiaconos habere vi suæ Ordinationis, ibidem satis aperte significat, nam statim subdit: Unde et rationabile esse videtur, ut ipse Sacerdos sibi Epistolam legat, quam ut aliquem nondum ordinatum sibi adsciscat ad legendum; nam B. Hormisda a S. Petro quinquagesimus tertius Papa, cap. 3. illum deponit, quicumque non ordinatus, officium ordinati usurpavit. Censet ergo lectionem Epistolæ spectare ad officium Subdiaconi vi suæ ordinationis, nec ab alio posse legitime usurpari.

Nec pariter officit quod scribit Amalarius Fortunatus, lib. 3. *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. 11. *Miror qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut Subdiaconus frequentissime legat Lectionem ad Missam, cum hoc non reperiatur ex Ministerio sibi in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo. Subdiaconus, ut monstratum est, dicitur, quia sub Diacono est positus. In quibus rebus illi subditus sit, consecratio ejus et canonica institutio monstrant; idest, ut in his ministret Diacono, quæ aguntur circa Altaris officia. Nam primi ævi tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod non erat scriptum. Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut Subdiaconus legeret Epistolam, sive Lectionem. Hoc, inquam, non obstat, nec inde concludere licet, publicam Epistolæ lectionem in Ecclesia non spectare ad Subdiaconi officium: tum quia Amalarius non negat id suo tempore fuisse in praxi, sed tantum miratur, unde praxis illa originem duxerit: tum quia dum ait, Subdiacono non fuisse commissum legere Epistolam, dum fuit consecratus, non videtur loqui de consecratione, quæ fiebat suo tempore, sed de ea, quæ fiebat tempore Apostolorum, quemadmodum intelligi potest ex ratione, qua ibi utitur ad confirmandam suam propositionem; nam, inquit, primævo tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum, hoc est, eo tempore, quo Diaconi primum fuerint instituti ab Apostolis; hæc enim ratio, qua a Diaconis concludit ad Subdiaconos, satis aperte demonstrat, eum loqui de institutione ipsorum Subdiaconorum facta ab ipsis Apostolis, antequam scriptæ essent Apostolicæ Epistolæ. Nec certe negari potest, quin ante Amalarii tempora spectaverit ad Subdiaconi officium Epistolas in Missa legere, ut perspicue colligitur ex præfato Canone 4. Concilii Toletani, quod ante Amalarium annis 400. et amplius celebratum est.*

Sextum Subdiaconi officium est, custodire portas, et obserare fores Ecclesiæ, non quidem priores, quibus fideles omnes in templum debent ingredi, hoc enim Ostiariorum munus erat, sed fores, vel portas Sanctuarii, seu Sacrarii, in quo divina celebrantur mysteria. Quod utique munus colligitur ex S. Maximo, qui in Commentario, ad c. 5. Ecclesiasticæ Hierarch., S. Dionysii, ait: Non quod Diaconi fores tunc custodierint. nunc vero Subdiaconi. Similiter Pachimeres in eundem locum, ait: Discernit, et separat sacros a profanis, observat portas.

Diaconi enim tunc portas obtinebant, nunc vero Hyppodiaconi. Hanc autem sacrarii portarum custodiam unum ex præcipuis Subdiaconorum muneribus fuisse, apparet ex Euchologio Græcorum, in quo Episcopus Subdiaconum ordinans, ita precatur: *Inde illi amorem honestatis, vel decoris domus tuæ, ut adstet portis sanctis templi tui.* Quod pariter indicat Concilium Laodicen., Can. 22., his verbis: *Quod non oportet Ministros, vel brevi tempore fores relinquere, et orationi vacare.* Ministri autem nomine Subdiaconos interpretantur Balsamon, Harmenopulus, et Zonaras, qui pariter notat, hunc morem desuevisse. *Quod si, inquit, hoc tempore nequaquam ad fores Ecclesiæ assident Subdiaconi, non est cur miremur; multi enim alii Ecclesiæ mores nunc quidem omnino immutati sunt.*

Ut autem facilius innotescat, quale fuerit antiquitus hoc Subdiaconorum officium, observandum est ex Morino, exercit. 11. cap. 4. num. 4., quod antiquissima Ecclesiarum Christianarum divisio bipartita fuit: Sanctuarium erat, deinde navis Ecclesiæ, seu atrium. In Sanctuarii medio erat Altare, et in eo considebant Episcopi, et Presbyteri, stabant Diaconi. Alii Clerici illud non ingrediebantur, dum Officia Ecclesiastica celebrabantur, nisi in transitu, propter aliquod ministerium præstandum. A duobus sanctuarii lateribus duo erant Conclavia; S. Clemens ea vocat Pastophoria, S. Paulinus Conchas, nos ea vocaremus Capellas. Utrumque Conclave erat quasi pars sanctuarii; et in utraque porta erat, qua de navi Ecclesiæ ingressus erat in Conclave, et de Conclavi regressus in navim. Ideo una porta dicebatur situs Borealis, altera Australis. Ita conspiciuntur adhuc Romæ in omnibus antiquis Ecclesiis, quæ non sunt ab annis ducentis a fundamentis reffectæ. Græcarum Ecclesiarum sanctuaria hanc figuram non obscure exprimunt; omniaque saltem habent, et necessario aliquid Conclavis Borealis vicarium. Pars illa sanctuarii primaria, in qua erectum erat Altare, cancellis erat ab atrio laicorum divisa, et insuper magno velo; quo quæcumque in Sanctuario peragebantur, ab oculis Laicorum occultabantur, donec contracto velo, et expulsis profanis, oculis fidelium paterent. In istis cancellis sanctuarii erat porta lateralibus longe major, quæ velo prædicto extenso occludebatur, et contracto aperiatur. Hæc Major porta vocabatur, atque etiam nunc vocatur Porta sancta.

Ut Sanctuarii erant portæ, sic et Ecclesiæ, quibus universi, laici, sive Clerici in Ecclesiam, orandi gratia, intrabant. Per illas ab area et porticu erat ingressus in Ecclesiam. Deinde perambulatio ab Ecclesia et Atrio in Sanctuarium. Postquam ab atrio Ecclesiæ demptus est Chorus, et Cantorum locus, additæ sunt Choro portæ.

Cum igitur jubentur Subdiaconi portas Ecclesiæ diligenter custodire, portæ Sanctuarii intelligendæ sunt, non priores et exteriores Ecclesiæ portæ: illarum enim cura Ostiariis demandata erat, ut docet S. Clemens, lib. 2. *Constitut.*, cap. 57. *Janitores sunt introitus virorum custodiendi causa; Diaconissæ vero mulierum.* Cum de Ostiariis actum est, pluribus hoc demonstravimus. Itaque Subdiaconi invigilabant sanctis portis, caventes sedulo, ne quis profanus sanctuarium ingrederetur. Id diserte docet Simeon Thessalonicensis, in *Theoria Subdiaconi.* *Custodit portas sacras, inquit, ne quis profanorum intra San-*

ctuarium ingrediatur. Hoc restringendum est, ubi Ostiarii fuerant.... Nam munus illud humile in Ecclesiis Græcorum rarum fuit; atque ubi fuit, *Χειροτονιῶν* numero non accensebatur. Cum igitur nulli erant Ostiarii, quod ubique, et semper fere contingebat, ad Subdiaconos utrumque Officium spectabat. *Ita Morinus.*

Materia autem hujus Ordinis, ut definit Concilium Florent., in Decreto Eugenii, est calicis vacui et patenæ vacuæ superpositæ traditio. Sic etiam Conc. Carthaginense quartum, Can. 5., ubi hæc habet: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuum, et calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua, et mantile, et manutergium.* Ex quibus patet, materiam hujus Ordinis esse calicem et patenam superpositam vacuos, quia hæc materia traditur ab Episcopo; urceolos vero et manutergium non pertinere ad materiam essentialem, quia traduntur ab Archidiacono. Sic etiam traditio libri Epistolarum (quidquid dicant alii) non videtur pertinere ad materiam essentialem, quia traditur post vestes, quibus Episcopus Subdiaconum induit, ut patet ex Pontificali; vestes autem illæ non pertinent ad materiam. Hinc Concilium Florent. et Carthaginense non meminerunt libri Epistolarum. Unde Magister sententiar., et S. Thom., in 4. dist. 25. qu. 1. ar. ad 2. Durandus, ibid. qu. 3. et alii ibidem, dicunt, characterem Subdiaconi imprimi in traditione dicta calicis et patenæ. Et ratio illorum est, quia per illam materiam confertur character, quæ indicat præstantiorem actionem ordinandi. Cum igitur traditio calicis, et patenæ indicet præstantiorem actionem, quæ est ministrare Sacerdoti vasa Corporis Christi, in illius materiæ traditione imponitur character, non in traditione urceoli aquæ, et libri Epistolarum, quæ non indicat tam præstantem actionem, neque tam propinquam Corpori Christi.

Hic autem observandum est, Subdiaconos ratione sui Ordinis duobus obligationibus constringi. *Primo* namque tenentur ad Cœlibatum, sive continentiam perpetuo servandam, ut definitum est in Concilio Eliberitano, Can. 33., his verbis: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, et Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios.* Idem legitur in Conc. Turonensi secundo, cap. 20. *Si inventus fuerit Presbyter cum sua Presbyteria, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut Subdiaconus cum sua Subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur, et depositus ab omni officio Clericali, inter Laicos se observare cognoscat, eo tamen permissio, ut inter Lectores in Psallentium choro colligatur.* Concilium Aurelian. idem prohibet fere sub eadem pœna. Præcessit autem Turonense secundum, annis 20. et ultra, et refert il se decernere juxta priorum Canonum statuta. Itaque ante Concilia ista jam cœlibatus in Gallia Subdiaconis imperabatur, et a Conciliis nationalibus consuetudo illa confirmabatur. Eadem decernit Concil. Antisiodorensis, cap. 21. *Non licet Presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum Presbyteria sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec Diacono, nec Subdiacono.*

Unde S. Leo hoc decrevit, vel potius consuetudinem illam jam in Ecclesia Romana, et plurimis aliis inolitam confirmavit Epist. 82. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: *Cum extra Clericorum Or-*

dinem constitutis nuptiarum societati, et procreationi filiorum studere sit liberum; ad exhibendum tamen perfectæ conscientie puritatem, nec Subdiaconibus quidem carnale connubium conceditur, etc. Quod si in hoc Ordine, qui quartus a capite est, dignum sit custodiri, quanto magis in secundo, aut tertio servandum est? Ne aut levitico ministerio, aut Presbyterali honore, aut Episcopali excellentia, quispiam idoneus existimetur, qui se a voluptate uxoria necdum frænasse detegitur. Unde Concilium Trid., Sess. 24. Can. 9. anathemate damnat eos, qui dixerint, sacris Ordinibus initiatos non teneri ad perpetuo servandam continentiam.

Fateor tamen, hanc legem non ubique terrarum Subdiacones semper constrinxisse; siquidem (ut observat Morinus exerc. 12. cap. 5. n. 2.) obligationem servandæ continentie nonnulli summi Pontifices, et aliqua Concilia ultra Diaconos non extendunt; nam Siricius Pontifex Epist. ad Himerium Tarraconensem Metropolitanam, ultra Diaconos regulam illam non profert, quem sequitur ipsius Successor Innocentius primus Epist. 2. cap. 9. et Epist. 3. c. 1. Concilium Toletanum I. eodem tempore celebratum c. 1. ita decernit: *Diaconi, vel integri, vel casti sint, et continentis vitæ, etiamsi uxores habeant in ministerio constituentur; ita tamen ut si qui etiam ante interdictum, quod per priores ante nos Episcopos constitutum est, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Nihil de Subdiaconis. Pœna autem Diaconis cum uxoribus incontinenter viventibus inflicta demonstrare videtur, prohibitionem illam ad Subdiaconos nihil pertinuisse. Concilium Carthag. V. c. 3. Placuit Episcopos, et Presbyteros, et Diaconos, secundum priora statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab Ecclesiasticorum arceantur officio: cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesie consuetudinem observari debere. Refertur dist. 84. c. 4. Nec in Gallia Narbonensi, nec in plerisque Hispaniæ partibus, centum post Innocentium annis hæc consuetudo in Subdiaconis vigeat. Tantum enim c. 9. Concilii Agathensis Decretum Siricii Papæ renovatur, quod in Diacono subsistit. Ita quoque decernitur, c. 22. et 23. Concilii Arausicani. Uniuscujusque Ecclesie, ut vult Concilium Carthaginense V. consuetudo servabatur.*

Imo etiam tempore S. Gregorii Papæ Subdiaconatus nondum per universam Ecclesiam Romanam videbatur annexum habere continentie votum; sic enim scribit ad Petrum Siciliæ Subdiaconum, lib. 1. Epist. 42. *Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerunt, ut more Romanæ Ecclesie nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur; ut qui usum ejusdem continentie non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari, atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Unde videtur mihi, ut a præsentis die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præsumant, nisi qui se vix castum promiserit, etc. Eos autem, qui post prohibitionem factam, se a suis uxoribus continere noluerint, nolumus promoveri ad sacrum Ordinem. Quia nullus debet ad ministerium Altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata. Post illud sæculum vix reprehendetur fieri mentio Subdiaconorum conjugum, aut si conjuges*

commemorati fuerint, conjugio utentium. Quod si hoc reperiatur, non amplius toleratur; sed ut canonibus contrarium severe vindicatur, novoque Canone eadem cœlibatus lex hac occasione innovatur. Itaque post sexcentos a Nativitate Christi annos, cœlibatus per universum Occidentem subdiaconatui erat lege perpetua conjunctus. *Ita Morin.*

Secundo Subdiaconi virtute suæ ordinationis obligantur ad recitandas Horas Canonicas, seu Officiûm divinum, ut expresse habetur in Concilio Basileensi, Sess. 21. c. 9. ubi Concilium supponit hanc obligationem constringere omnes Clericos in sacris Ordinibus constitutos, quales sunt Subdiaconi; unde licet expresse non constet, quando, et ubi id præceptum primo fuerit, constat tamen de antiquitate hujus consuetudinis, quæ vim habet legis et præcepti. Hanc autem obligationem recitandi Horas Canonicas Theologi et Canonistæ repetunt ex alterutro ex triplici titulo: nempe ex beneficio Ecclesiastico, professione solemni in Religione approbata, et Ordine sacro, cujus initium fit in Subdiaconatu.

§ VI. — DE DIACONATU. — Diaconi vocabulum Græcum est, idem plane significans, quod Minister sive famulus apud Latinos. Unde generatim tribui potest cuicumque famulo et obsequenti. Nihilominus cum usus Ecclesiasticus hanc vocem Latini juris fecerit, strictius usurpatur ad significandum hominem initiatum eo sacro Ordine, qui proxime Sacerdoti famulatur in mysteriis sacris celebrandis, et ultimum gradum obtinet, quo ad Sacerdotium ascenditur. Appellantur etiam interdum a SS. Patribus Levitæ, nimirum ex similitudine Levitici ministerii, quo veteris Testamenti Sacerdotio Ministri subserviebant. Unde S. Ivo Carnotensis. *sermone de excellentia sacrorum Ordinum*, præclare ait: « Diaconorum Ordo in veteri Testamento a
« Tribu Levi habet exordium; præcepit enim Dominus Moysi, ut post
« ordinationem Aaron, et filiorum ejus, rursus Tribus Levi ad divini
« cultus ministeria ordinaretur et consecraretur Domino, et serviret
« pro Israël coram Aaron, et filiis in tabernaculo Dei, ipsique gesta-
« rent arcam, et tabernaculum, et omnia vasa ejus, et in circuitu
« tabernaculi ipsi castra construerent, et transportando tabernaculum
« ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti autem annis, et
« supra, jussi sunt servire tabernaculo. Quam regulam SS. Patres, et
« in novo Testamento constituerunt; quoniam hæc ætas ad portanda
« onera robusta est, quod illi Ordini a Moyse institutum est; quod
« etiam in novo Testamento representatur, cum Diaconis super sini-
« strum humerum stola ponitur, et casula in diebus jejunii super
« eundem humerum complicatur. Quia quidquid laboris et sustinen-
« tiæ in hac vita toleramus, tamquam in sinistra portamus, donec in
« dextera, idest, in æternitate requiem habeamus.

« Hic Ordo in novo Testamento ab Apostolis initium sumpsit,
« quando, sicut legitur in Actibus Apostolorum, septem viros boni te-
« stimonii plenos Spiritu S. ad hoc officium elegerunt, et oratione
« præmissa, manus eis imposuerunt. Exinde Apostoli et eorum Suc-
« cessores decreverunt, ut in omni matrice Ecclesia septem Diaconi
« circa aram Christi sublimiori gradu tamquam columnæ Altaris as-
« sisterent, non sine aliquo septennarii mysterio, in quo significatur,

« ut septiformis gratiæ spiritu præfulgentes, sancti sint corpore, et
 « spiritu. Hic enim numerus cum constet quaternario, et ternario,
 « quaternarius refertur ad corpus, propter quatuor elementorum in
 « corpore consonam complexionem; ternarius vero ad animam, pro-
 « pter triplicem animæ virtutem, propter quam jubemur Deum tri-
 « pliciter diligere, idest, toto corde, quod refertur ad intellectum: tota
 « anima, quod refertur ad voluntatem: tota mente, quod refertur ad
 « memoriam.

« Hi sunt septem Angeli, quos legimus in Apocalypsi tuba ca-
 « nentes: Angeli, quia nuntii: tuba canentes, idest, alta mysteria de
 « interna aspiratione foris resonantes. Hi sunt septem candelabra au-
 « rea, idest, lucem Evangelii in manibus, idest, in operibus præfe-
 « rentia, et ad omnem ignis, idest, tribulationis examinationem pro-
 « bata: hi quoque sunt tonitrua septem, bestiales mentes terribili
 « comminatione, vel quodam terribili tonitru commoventia. Tale to-
 « nitru emittebat Joan. Baptista, quando dicebat: *Genimina viperarum,*
 « *quis dabit vobis fugere a ventura ira?* Et Dominus in Evangelio:
 « *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem*
 « *mittetur.* Et in hunc modum plurima. Isti in modum præconis ma-
 « nifeste admonent cunctos ad orandum, et ad genuflectendum: isti
 « evangelizant, isti Sacramenta dispensant. Sacerdotibus non licet
 « calicem Domini in Missa tollere, nisi traditus eis fuerit a Diacono.
 « Levitæ hostias super Altare ponunt: ipsi mensam Domini compo-
 « nunt: ipsi Altare mysteriorum aperiunt: ipsi albis vestibus induti,
 « Altari assistunt ». Ita Ivo Carnotensis, cui per omnia concordat
 S. Isidorus, lib. 2. *De Officiis Ecclesiast.*, c. 8. et Rabanus Maurus,
 lib. 1. *De Institut. Clericorum*, c. 7. necnon et sententiarum Magister,
 dist. 24. tit. *De Diaconis*, quibus complectuntur omnia Diaconorum
 officia, tam in ordine ad Corpus Christi verum in Eucharistia confi-
 ciendum et ministrandum, quam in ordine ad corpus mysticum,
 nempe fideles docendos et sanctificandos.

Primum itaque Diaconi officium est, Sacerdoti adesse in templo
 Dei in iis, quæ spectant ad mysterium et Sacrificium Missæ cele-
 brandum; ipse enim Sacerdoti offerenti quodammodo cooperatur; ipse
 est qui materiam consecrandam a Subdiacono acceptam Sacerdoti por-
 rigit; ipse Sacerdotis brachia sustentat, cum vini calicem consecrandum
 offert Deo, simulque cum eo dicere solet: *Offerimus tibi, Domine, ca-
 licem salutaris.* Refert etiam S. Clemens Romanus, lib. 2. *Constitu-
 tionum*, cap. 57. olim id quoque muneris Diacono incubuisse, ut inter
 Missarum solemniam post discessum Catechumenorum, alta voce mo-
 neret fideles Sacrificio adstantes, *ne quis contra aliquem*; item *ne quis
 in hypocrisi*, idest, simulatione; quasi diceret, *Mysteriis nemo intersit,*
 neque huic Sacrificio et Sacramento, quod est vinculum pacis, unionis,
 et charitatis, qui aliquem odio, simulatione, aut inimicitia prosequitur:
 nemo adsit fictus in fide, vel moribus simulans id quod verum non
 est, et tamen esse debet.

Secundum Diaconi officium est, Evangelium in Missa solemniori
 alta voce recitare, seu cantare, ut constat ex S. Gregor., lib. 4. *Epistolar.*
 Epist. 44. ubi dicit Lectionis Evangelicæ officium, adstante universo
 Clero, a Diaconis esse persolvendum, Psalmos vero et reliquas Le-

etiones per Subdiaconos, vel, si necessitas id postulaverit, per minores Ordines exhiberi oportere. Hujus etiam ritus, seu officii, tamquam Diaconorum proprii, et meminerunt S. Clemens, lib. 2. *Constitutionum Apostolicarum*, cap. 57. ubi postquam Lectori lectionem ex veteri Testamento et Apostolorum scriptis attribuit, Evangelii lectionem Diacono expresse assignat; et S. Hieron. Epist. 48. *Ad Sabinianum Diaconum*, ubi eum objurgans, inter cætera ait: *Tu exanguis, et pallidus, ut suspicione omni careres, Evangelium Christi, quasi Diaconus legitabas;* et S. Augustinus, Ser. 4. *De S. Steph.* cap. 3. de eo sic loquitur: *Diaconus erat, Evangelia legebat, quæ legis et audis et tu.* Et Concilium Vasense secundum, sive tertium celebratum anno 529. ita decernit, Can. 2. *Si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum non potuerit prædicare, SS. Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur; si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Evangelio locutus est, legere, quare indigni judicentur SS. Patrum expositiones publice recitare?* Quibus aperte constat, proprium Diaconorum officium esse Evangelium in cœtu fidelium publice legere.

OPPONIT MORINUS, exercitatione 9. cap. 1. n. 5. ex Amalario, lib. 2. cap. 8. *De Officiis Ecclesiasticis*, Diaconos primitus fuisse ordinatos sine facultate legendi Evangelia. *Secundo* ab eo tempore, quo constitutum est, quod Diaconus legeret Evangelium, hæc lectio ad sacrificium non pertinebat; quippe cum hanc Evangelii lectionem audire poterant plurimi, quibus fas non erat adesse sacrificio. *Tertio*, diu praxis apud plures Ecclesias inolevit, ut non Diaconi, sed initiati inferioribus Ordinibus Evangelium publice legerent; nam in Ecclesia Africana hoc officio fungebantur Lectores, ut constat ex S. Cypriano, Epist. 33, et 34. in quibus agitur de Aurelio, et Celerino ordinatis in Lectores; in Hispania autem eo munere fungebantur Subdiaconi, sicut habetur ex Can. 2. et 4. Concilii Toletani primi: igitur non est peculiare Diaconi officium, Evangelium legere. — **Nego consequentiam**, et ad *primum* et *secundum* dico, verum quidem esse ab ipso nascentis Ecclesiæ primordio Diaconos fuisse ordinatos absque libro Evangeliorum, et facultate ea legendi. cum nondum essent scripta. Nec aliud certe voluit Amalarius, ait enim: *Primævo tempore Diaconus non legebat Evangelium, quod nondum erat scriptum. Sed postquam statutum est a Patribus nostris, ut Diaconus legeret Evangelium, statuerunt, ut et Subdiaconus legeret Epistolam.* Licet ergo aliquamdiu ordinati fuerint Diaconi absque libro Evangelii, eo videlicet tempore, quo nondum scriptum erat; inde non est consequens, quod nonnisi multorum annorum decursu hanc Diaconi facultatem legendi Evangelium habuerint. Licet etiam divina mysteria aliquamdiu celebraverint Apostoli absque ulla Evangelii lectione, id tamen non duravit per plures annos: sed tantum usque ad id tempus, quo scripta fuerant Evangelia; cum enim viventibus Apostolis Evangelium extiterit, quid prohibere potuit, quominus ab iis legeretur in Missa, et mysteriorum celebratione, maxime cum ipsemet Morinus, n. 15. *ibid.* fateatur, Evangelii solemnem in Missa lectionem ab Apostolis ortum habuisse? quomodo autem ab Apostolis ortum habuisset, nisi hæc lectio ab ipsis fuisset usurpata? Nec obstat, quod qui Sacrificio Missæ adesse non poterant, audire consueverint Evangelii lectio-

nem; Missa enim, quæ dicebatur Catechumenorum, non erat omnino distincta ab ea, quæ dicebatur fidelium, nec duæ erant Missæ omnino diversæ; sed tantum unius et ejusdem Missæ duæ partes totales, quarum una referebatur ad aliam, ut principium ad finem, et ea quæ ad Sacrificium præparat, ad eam quæ Sacrificium consummat et absolvit. Quapropter quidquid pertinuit ad eam Missæ partem, quæ dicitur Missa Catechumenorum, etiam ad Sacrificium Missæ pertinuisse dicendum est.

Ad tertium autem dico, nusquam licitum fuisse Lectoribus et Subdiaconis Evangelium solemniter legere in publico fidelium cœtu, sed tantum privatim, et sine ulla solemnitate, ut jam diximus agendo de Lectoribus et Subdiaconis. Nec aliud certe voluit Concilium Tolet. ait namque: Subdiaconus, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio, in quo ordinatus fuerit, removeatur, et habeatur inter Ostiarios et Lectores; ita ut Evangelium et Apostolum non legat. Videlicet inter Missarum solemnia, idest, nequidem eo modo, quo in Ecclesia legi possunt a Lectoribus extra solemnia Missarum; nam quod addit Morinus, nempe Subdiaconum hoc canone et prohibitione legendi Evangelium et Apostolum relegari ad Ostiarios vel Lectores, omnino vanum est; namque, ut Evangelium aut Apostolum non legeret Subdiaconus ex officio, si revera utriusque lectio ad ejus officium pertinisset, non erat necesse eum relegare ad Lectores et Ostiarios; sed satis erat eum ab officio Subdiaconatus remove. Si autem contendas, per hunc Canonem prohiberi lectionem Evangelii et Apostoli intra Missarum solemnia, respondebo nihil aliud prohiberi, quam ne Subdiaconus, de quo ibi agitur, utrumque legat in Missa, eo modo quo legere potest, videlicet Epistolam ex proprio officio, Evangelium autem ex defectu præsentia Diaconi, ad supplendam scilicet ejus vicem, illud tamen exequendo sine stola.

Tertium Diaconi munus erat olim, Christi fidelibus sub utraque specie communicaturis calicem, sive Sanguinem Christi dispensare; cujus utique consuetudinis meminit S. Cyprianus, Serm. De lapsis, circa finem, ubi scribit: Solemnibus adimpletis, Diaconus calicem præsentibus offerre cœpit. Unde in vita S. Laurentii legitur, eum dixisse S. Sixto: Experire, utrum idoneum Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem. Imo etiam poterant interdum Christi Corpus ministrare, ubi necessitas postulabat, ut decernit Concilium Carthaginense quartum, cap. 38. his verbis: Ut Diaconus præsentente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi, si necessitas cogat, eroget. Quod etiam aliis momentis probavimus, agendo de Ministro dispensandæ Eucharistiæ.

Quartum Diaconi officium est, baptizare; ita Pontificale Romanum, et antiquus Ordo Romanus: quo sensu autem hoc officium ei competat, repete ex his, quæ diximus de Ministro Baptismi.

Quintum Diaconi officium est, prædicare verbum Dei, et Evangelium populis annuntiare. et explicare; cujus utique officii meminit Pontificale Romanum, necnon et Catechismus Romanus: unde in Concilio Vasensi secundo, Can. 4. præcipitur, quod si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per seipsum hoc potuerit non prædicare, SS. Patrum Homiliae a Diaconis recitentur.

Hoc tamen officium, inquit Estius dist. 24. § 26. non ipsis competit ex vi suæ ordinationis; quippe cum non ad id munus proprie ordinati sint; sed ut summaria quadam Evangelii expositione plebem præparent ad solidiorem et exactiorem verbi Dei explicationem, quæ fit per Sacerdotem. Nec vero hoc ipsum iis permittitur, nisi in absentia Sacerdotis, vel Episcopi, vel certe iis iubentibus, et id quidem e loco humiliore; quemadmodum Catechismus Parochorum admonet, nimirum ut intelligant munus illud sibi non jure Ordinis, sed sola Superioris delegatione competere. Sic legimus Actor. 8. Philippum Diaconum sua prædicatione Samaritanorum animos præparasse, ut apti fierent capiendis majoribus fidei mysteriis, quæ audituri erant ex prædicatione Apostolorum Petri et Joannis. Simili exemplo Ephrem Diaconus ad plebem in Ecclesia Edissena conciones habuit, et S. Vincentius, ut testatur Breviarium Romanum, supplebat in prædicatione verbi Dei vices Episcopi sui. Hinc B. Gregorius, lib. 4. *Epistolarum*, cap. 88. quod est Epist. 44. valde reprehensibile esse dicit, « ut in Diaconatus « Ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis « officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat ». *Et paulo post*: « inter Missarum solemnities a cantu abstinere, et solum Lectionis « Evangelicæ officium eos exsolvere præcipit ». Idemque officium Diaconis tribuit S. Augustinus, Serm. 4. B. Stephano. Quod sane usque in hodiernum diem ita eis proprium esse intelligitur, ut Diaconorum ordinatio per libri Evangeliorum dationem perficiatur, ut expressum habemus in Decreto Florentino. Unde et verbis Episcopi potestas eis confertur Evangelii legendi pro vivis, et defunctis.

Sextum Diaconi officium erat, Ecclesiæ thesauro, sive oblatis a fidelibus eleemosynis præesse, et eas pauperibus erogare, juxta Episcoporum, vel Presbyterorum sententiam et decretum; quemadmodum colligi potest ex Apostolo 2. ad Cor., cap. 8. *Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus in Evangelio per omnes Ecclesias*, nempe Silam, qui ordinatus fuerat comes peregrinationis S. Pauli, ut cum eo gratuitas fidelium oblationes colligeret, ut explicat Baronius ad annum Christi 51. n. 64. Tum etiam ex S. Leone, Serm. *De S. Laurentio*, ubi de illo ait: *Non solum ministerio sacramentorum, sed etiam ex dispensatione Ecclesiastica substantiæ præeminebat*. Similia legere est apud S. Ambrosium, lib. 2. *De Officiis*, cap. 28. neenon et S. Augustinum, Serm. *De S. Laurentio*.

Potissimum vero Diaconis cura incumbere eorum omnium, qui propter confessionem Domini nostri Jesu Christi in carcere erant detrusi; unde Cæciliano a Donatistis crimini imputatum est, quod cum Archidiaconus esset, Martyribus necessaria non modo non suppeditasset, sed etiam suppeditari prohibuisset, ut testatur Optatus Milevitanus, lib. 1. Eorum pariter curæ et sollicitudini committebantur egenorum, viduarum, pupillorum, ægrotantium, atque peregrinorum æducatio et protectio, ut nempe ex fidelium eleemosynis omnia iis ad victum et vestitum necessaria suppeditarent, ut decernitur in Conciliis Cartaginensi IV, Can. 43. et Aurelianensi I, Can. 20., neenon et a S. Clemente, Epist. 1. ubi varia perstringens Diaconorum officia, inter cætera scribit: *Diaconi Ecclesiæ tamquam oculi sunt Episcopi, oberrantes, et circumstantes cum verecundia actus totius Ecclesiæ, et*

perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri præcipitio, et proximum esse peccato, ut referant hæc ad Episcopum, etc. Negligentiores quoque, et eos, qui rarius ad audiendum verbum Dei accedunt, nec sollicite ad Episcopi tractatum conveniunt, ipsi commoneant, et hortentur, etc. Sed eos, qui secundum carnem ægrotant, sollicite perquirant, et plebi, si forte plebs ignorat, indicent de his, ut ipsi visitent eos, et quæ necessaria sunt, præbeant eis, cum conscientia ejus, qui præest. Quod tamen etiamsi clam fecerint, non peccabunt. Sed et de peregrinis similiter Episcopo suggerant referendis, et cætera his similia, quæ ad cultum Ecclesiæ, et disciplinam ejus pertinent, Diaconis cura sint.

Alia pariter antiquitus erant plura Diaconorum officia, nempe Episcopis et Presbyteris adesse in regendis parœciis, ut colligitur ex Concilio Eliberitano, Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero, aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debet.* Idem colligitur ex Can. 7. Concilii Tarraconensis, anno 517. celebrati: *De Diæcesanis Ecclesiis, vel Clero, id placuit definiri, ut Presbyteri, vel Diaconi, qui inibi constituti sunt, cum Clerici septimanas observent, idest, ut Presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat ei Diaconus similiter.* Dictum est illis a Concilio 6. Græcorum. c. 7. privilegium, ut ante Presbyteros, et etiamnum Episcopos, Diaconus in certo casu sedeat, extra quem licet Officiis Ecclesiasticis honorificis fulgeant, prohibentur cum Presbyteris sedere, nedum præsidere. *Quoniam in nonnullis Ecclesiis Diaconos Officia Ecclesiastica habere didicimus, et ex hoc nonnullos eorum arrogantia et licentia fretos ante Presbyteros sedere; statuimus, ut Diaconus, etiamsi in dignitate, idest, in quovis sit Officio Ecclesiastico, ante Presbyterum ne sedeat, præterquam si proprii Patriarchæ, vel Metropolitanæ vicem gerens, adsit in alia civitate super aliquo capite.*

Tantus porro honor Diaconis delatus, sed præsertim negotiorum Ecclesiasticorum cura et factio iis ab Episcopo demandata, continuique cum his de iis rebus tractatus, et inde facilis ad eos accessus, occasionem ambitionis illis dederunt, eorumque animum ita insolenter extulerunt et inflarunt, ut sæpius auderent Presbyteris sese æquare, et etiamnum præsidere. De hac Diaconorum insolentia plurimum conqueritur Auctor quæstionum utriusque Testamenti, S. Augustino antiquior, cujus opus illius operibus inseritur, multisque argumentis quæst. 101. eorum insolentiam retundit. Præcipuam autem eorum insolentiæ occasionem eam refert, quam adnotavimus: *Immemores enim elatione mentis, eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse Ministros, non considerant quid illis a Deo decretum sit, et quid debeant custodire; sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes Dominicæ, et officialitas, quæ per suggestiones malas, seu bonas nunc plurimum potest. Aut timentur enim, ne male suggerant, aut emuntur, ut præsent.*

Eodem tempore S. Hieronymus acerrime restitit huic Diaconorum insolentiæ, ut videre est Epist. 85. ad Evagrium: *Audio quemdam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconos Presbyteris, idest, Episcopis anteferet. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse Presbyteros, quos et Episcopos, quis patiat ut mensarum et viduarum Minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Cor-*

pus, Sanguisque conficitur? Tandem postquam hanc insolentiam multis exagitavit, aliam illius occasionem aperit, paucitatem scilicet Diaconorum, et Sacerdotum turbam: *Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium in leges Ecclesiæ vindicas? Omne, quod rarum est, plus appetitur. Plegium apud Indos pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterum in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, et stant Diaconi, licet paulatim increbrescentibus vitiis, inter Presbyteros, absente Episcopo, sedere Diaconum viderim, et in domesticis convivii benedictiones coram Presbyteris dare.* Causa istius ambitionis a S. Hieronymo reddita admodum est probabilis; Diaconorum illa paucitas diutissime Romæ observata; æstimationis primum, deinde fastus plurimum contulit. Ab antiquo enim Romæ septem tantum creari solebant Diaconi, ut testantur Sozomenus, lib. 7. c. 19. et S. Sylvester in Synodo Romana 294. Episcoporum, cap. 6. Anacletus, Ep. 1. Cornelius Papa apud Eusebium, lib. 6. *Historiæ*, cap. 35. S. Ambrosius, in 1. ad Timoth., c. 3. hoc generaliter de Episcopalibus Ecclesiis docet: *Nunc septem Diaconos esse oportet, et aliquantos Presbyteros, ut bini sint per Ecclesias, et unus in civitate Episcopus.* Addit Stephanus Æduensis, cap. 7. *De Sacramento Altaris: Statutum Apostolica præceptione, ut Vicario Christi in Sancta Sanctorum introeunte, septem in sublimiori gradu mensæ Altaris assistentes serviant.* Et Ivo Carnotensis, Serm. *De Excellentia Ordinum, Successores Apostolorum decrevisse, ut in omni matrice Ecclesia septem Diaconi circa aram Christi sublimiori gradu tamquam columnæ Altaris assisterent.* Idem etiam voluit Concilium Neocæsariense antiquissimum, Can. ult. quem repetit et innovat Concilium Aquisgranense, cap. 64. Burchard. lib. 2. cap. 219.

Quantum autem *ad materiam et formam Diaconatus*, varia est Theologorum sententia; *quidam* enim cum Durando, dist. 24. contendunt, materiam essentialem solam esse manuum impositionem Episcopi; *alii* autem cum S. Thoma ibidem quæst. 2. art. 3. volunt, materiam Diaconatus esse solam traditionem libri Evangeliorum. *Tertia* vero sententia, quæ mihi videtur probabilior, censet materiam integram Diaconatus essentialiter includere manuum impositionem, et traditionem libri Evangeliorum; sicque constare duabus materiis et formis partialibus; quippe Episcopus imponendo manus supra caput ordinandi. dicit: *Accipe Spiritum sanctum ad robur et ad resistendum diabolo, et tentationibus ejus, in nomine Domini.* Cum vero ei tradit librum Evangeliorum, ait: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini.* Primam materiam et formam tradit Concilium Carthaginense IV, Can. 4. ubi ait: *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput ejus ponat.* Secundam vero tradit Concilium Florentinum in decreto Eugenii, et constat ex Concilio Tridentino, et Catechismo, ac Pontificali Romano.

§. VII. — DE SACERDOTIO, SEU PRESBYTERATU. — « Presbyterorum « Ordo, (*inquit Ivo Carnotensis Serm. De Excellentia Ordinis*) a filiis « Aaron sumpsit exordium, qui cum Episcopis in pluribus commune « habent Officium; et qui nunc Presbyteri vocantur, tunc Sacerdotes

« vocabantur; et qui nunc sunt Pontifices, tunc dicebantur Sacerdo-
 « tum Principes. Distat autem hoc tantum inter Pontifices, et hujus
 « temporis Sacerdotes, quia scilicet solis Pontificibus addicta est Cle-
 « ricorum Ordinatio, Basilicarum dedicatio, Chrismatis consecratio,
 « et manus impositio, et communis super populum benedictio; cum
 « in aliis Sacramentis, catechizandi, Missam celebrandi, in Ecclesia
 « verbum faciendi ad populum, communis utriusque sit dispensatio.
 « Sed summis Sacerdotibus ea, quæ prætaxavimus, idcirco reservata
 « sunt, ne eadem potestatis auctoritas ab omnibus vindicata, insolentes
 « redderet, et soluto obedientiæ vinculo, scandalum generaret.

« Qui autem græce dicuntur Presbyteri, latine dicuntur Seniores,
 « non tam ætate, quam prudentia, et morum maturitate. Unde dicitur
 « in libro *Sapientiæ: cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita*
 « *immaculata*. Presbyteri quippe successores et vicarii sunt septua-
 « ginta Discipulorum, qui præcedebant Dominum Jesum in omnem
 « civitatem et locum, quo ipse erat venturus. Ita Presbyteri, qui
 « adjutores sunt Episcoporum, rudes populos initiant, baptizando uni-
 « tati Ecclesiæ incorporant, et omnibus Sacramentis usque ad manus
 « impositionem populo Dei ministrant. Episcopi vero successores sunt
 « Apostolorum, qui ex necessitate adjutorium et supplementum sui
 « officii, quo facilius plebes innumeras regere possint, ministerium
 « sibi expetunt Sacerdotum; sicut Moyses in Eremito 70. viros pru-
 « dentes elegit, quorum consilio et auxilio immensam multitudinem
 « populi Israël facile gubernaret.

« Sive autem sint minoris Ordinis, sive summi Ordinis Sacerdotes,
 « vicem Christi summi Pontificis gerunt, dum populos delinquentes
 « ad Pœnitentiam vocant, et orationum suarum medicamento sanant.
 « Unde Apostolus 2. Cor. 5. dicit: *Deus erat in Christo, mundum*
 « *reconcilians sibi... et posuit in vobis verbum reconciliationis. Obsecula-*
 « *mus pro Christo, reconciliamini Deo*. Funguntur itaque, ut dictum
 « est, officio mediatoris, dum pro populo Deum interpellant, dum
 « pœnitentes absolvendo reconciliant. Unde oportet, ut sicut Mediator
 « Dei et hominum, per hoc, quod fuit particeps nostræ mortalitatis,
 « mundum reconciliavit, per hoc, quod fuit particeps Divinitatis,
 « absolvit, ita utriusque Ordinis Sacerdotes, tamquam boni media-
 « tores, et peccatoribus compatiantur per conscientiam suæ infirmi-
 « tatis, et Dei pacem habeant per eminentiam sanctitatis. Mediator
 « enim, ut ait Apostolus, unius non est; quia utrique parti, quam
 « pacificare vult, amicus est. Quales debeant esse Presbyteri, idem
 « Apostolus scribens ad Titum ita commemorat: *Hujus rei gratia*
 « *reliqui te Cretæ, ut... constituas per civitates Presbyteros, sicut et*
 « *ego disposui tibi. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios*
 « *habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet*
 « *enim Episcopum sine crimine esse. Qua sententia ostendit etiam Pres-*
 « *byteros sub Episcoporum nomine taxari. Hæc Ivo Carnotensis, quibus*
 « *similia habent Sanctus Isidorus, lib. 2. De Ecclesiasticis Officiis, cap. 7.*
 « *et Rabanus Maurus, lib. 1. De Institutione Clericorum, cap. 6. ubi inter*
 « *cætera ait: Ideo Presbyteri Sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut*
 « *Episcopi, idest, in confectione Divini Corporis et Sanguinis, et in Ba-*
 « *ptismate, et in officio prædicandi. Quibus utique verbis tria capitalia*

designat Sacerdotum munia et officia; nempe conficere Eucharistiam, baptizare et prædicare.

In Pontificali autem Romano quinque officia Sacerdotis præscribuntur, nempe offerre, seu sacrificare, benedicere, quia convenit Sacerdotibus benedictio panum, aquæ, cereorum, et aliorum terræ fructuum; baptizare, et præesse: non quod quilibet Sacerdos hoc ipso, quod ordinatur, jurisdictionem Pastoris in aliquos habeat; sed quod recipiat jurisdictionem, quam vocant activam, cui si ab Episcopo subditi assignentur, jurisdictionem completam Pastoris in eos habebit. Hæ autem quinque functiones conferuntur Sacerdoti per primam suam Ordinationem, quibus additur alia, nempe auctoritas ligandi et absolvendi a peccatis, per posteriorem Ordinationem acceptam.

Duplex enim est partialis Sacerdotis inauguratio: *prima* est, qua accipit auctoritatem in Corpus Christi verum conficiendum et ministrandum. Quæ utique confertur per traditionem calicis cum vino et aqua, et patenæ cum hostia non consecrata, ut docet Concilium Florentinum in decreto Eugenii, ubi hæc verba habentur: *Sextum Sacramentum est Ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem. Et paulo post: Forma Sacerdotii talis est: Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia, pro vivis, et mortuis: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Secunda* vero ipsius Ordinatio et inauguratio fit per impositionem manuum Episcopi dicentis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. Sicut enim Christus Dominus has in suum Corpus verum et mysticum contulit Apostolis diversis temporibus: primam quidem in ultima Cæna, secundam autem post Resurrectionem; sic Ecclesia Christum imitata confert per Episcopum primam potestatem, antequam Episcopus ordinans et Missam celebrans pervenerit ad consecrationem, ut videlicet recenter inaugurati Sacerdotes cum ipso consecrent; secundam vero potestatem confert, postquam seipsum, et Sacerdotes recenter ordinatos communicavit.*

Porro quod hæc manus impositio sit materia partialis ordinationis Sacerdotum, constat ex Concilio Tridentino, Sess. 14. cap. 3. ubi agens de institutione Extremæ-Uctionis, definit Ministros Sacramenti Extremæ-Uctionis, esse *Presbyteros, quo nomine non ætate seniores, aut primates populi intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum Presbyterii.* Ergo Presbyteri ordinantur partialiter per impositionem manuum. Idem Concilium, Sess. 23. Can. 4. *Si quis, inquit, dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere: Accipe Spiritum sanctum, aut per eum non imprimi characterem, etc. Ubi insinuat dari Spiritum sanctum, cum dicitur Sacerdoti ordinando: Accipe Spiritum sanctum: at tunc fit manus impositio, ut patet ex Pontificali: ergo et per illam datur Spiritus sanctus. Idem definitur in Concilio Carthaginensi quarto, Can. 3. ubi statuitur: Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente, et manum super caput illius tenente, etiam omnes Presbyteri, qui præsentibus sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.*

Idem decernunt summi Pontifices, docentes manuum impositionem

necessariam esse in Ordinatione Diaconi, et Presbyteri. Hoc præ cæteris significat S. Clemens Romanus, lib. 8. *Constitutionum Apostolorum*, ubi refert Sanctum Thomam Apostolum dixisse: *Cum Presbyterum ordinas, Episcopo, impone ipse manum capiti Presbyteri*. Similiter S. Damasus, Epist. 40. ubi de Chorepiscopis, ordinandi jus illicite usurpantibus, ait eos magis vulnerasse capita, quæ per manus impositionem tangebant, quam ea, quæ ipsis collata non erant, per aliquam benedictionem dedisse. Cui omnino affine est id, quod in eundem sensum habet Innocentius I, in Epist. ad Episcopos Macedoniae, cap. 3. *Cum nos, inquit, dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impositionem habere caput, ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda*. Sanctus Leo Magnus, Epist. 83. ad Episcopos Africae, ubi expendens hæc Apostoli verba: *Manus nemini cito imposueris*, inter alia sic habet: *Quid est, inquit, cito manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis?* Sanctus Gregorius Magnus in fine Registri decreto 5. *Quia ordinando, inquit, Episcopo Pontifex manum imponit, Evangelii vero lectionem Minister legit, confirmationis vero hujus Epistolam, Notarius excipit, sicut Pontificem non decet manum, quam imponit, vendere, Minister, vel Notarius non debet in Ordinatione ejus, vocem suam, vel calamum venundare*. Alexander secundus, sicuti refertur apud Gratianum, Can. *Ex multis* 2. parte decreti causa 1. quæst. 3. ubi sic habetur: *Chalcedonense Concilium unum ex principalibus, simili pœna condemnat eos, qui Ecclesie beneficium interventu pecuniæ acquirunt, et eos qui sacram manus impositionem, per quam Spiritus sanctus confertur, mercari dignoscuntur; utrosque enim auctoritate inexpgnabili, illos a beneficio, istos a sacro Ordine jubet expelli*.

Idem docent SS. Patres, maxime S. Dionysius, cap. 5. *De Hierarchia Ecclesiastica*, ubi declarat omnem consecrationem fieri per manus impositionem Pontificis. *Pontifex, inquit, qui ad Pontificiam consecrationem est eVectus, utroque genu flexo ante Altare, supra caput habet Scripturas a Deo traditas, manumque Pontificis, atque hoc modo a Pontifice, qui ipsum consecrat, sanctissimis appreciationibus consecratur. Sacerdos vero utroque poplite ante Altare flexo, in capite habet dextram Pontificis, et hoc modo ab illo Pontifice, qui illum consecrat, sanctis invocationibus consecratur. Porro Diaconus unum genu flectens ante divinum Altare, supra caput habet dexteram Pontificis ipsum consecrantis, et ab eo consecratur invocationibus ad Ministrorum consecrationem accommodatis. Unicuique autem eorum signum Crucis a consecrante Pontifice imprimitur, et singulis sancta prædicatio, perficiensque salutatio adhibetur, cunctis præsentibus Ecclesiasticis, una cum Pontifice consecrante, consalutantibus illum, qui in aliquem dictorum Ordinum sacrorum est cooptatus.*

Idem docent cæteri Patres Græci, præsertim S. Basilius, in Epist. ad Amphilochium, cap. 2., ubi loquens de quibusdam hæreticis, clarissime significat Sacerdotium per impositionem manuum conferri: *Defecerat, inquit, collatio successionis serie interrupta; qui enim primum excesserunt, sacris Ordinibus erant initiati, et per impositionem manuum Patrum spirituale donum habebant; qui autem abrupti sunt, Laici ef-*

fecti, nec baptizandi, nec ordinandi habebant potestatem. Et in Epist. ad Nicopolitas, ubi de quibusdam loquitur, quos significat non debere recipi ad Communionem: *Ne, inquit, postea facta pace seipsos in sacro cœtu numerandos esse contendant, quod impositionem manus ipsorum susceperint.* S. Ephrem, in Homil. seu tractatu *De Sacerdotio*, qui primus omnium occurrit inter ejus opera: *Non potestas, inquit, ineffabilis, quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacerdotum.* Et in vita S. Abrahami, cap. 5. narrat, eum per impositionem manuum ordinatum fuisse Presbyterum. Sanctus Gregorius Nazianzenus, Orat. 20. in laudem S. Basilii de Patre suo redeunte ab ordinatione Basilii in Episcopum Cæsariensem sic habet: *Redit firmus, et valens a manuum impositione, et unctione.* S. Gregorius Nyssenus, Nazianzeni frater, in vita S. Gregorii Thaumaturgi, ubi de eodem Thaumaturgo narrat, quod cum vir sanctus intelligeret se quæri, ut in Episcopum consecraretur, in varias solitudines et latibula, honoris declinandi studio se receperit, ubi fugiens et latitans comprehendi non posset, Phœdinus Amasæ Episcopus, qui in eo inquirendo nihil reliquerat intentatum, divino tandem impulsu actus, nil curans interjectum spatium, quo a Gregorio divellebatur; loco manus impositionis, inquit Nyssenus, adhibuit ei sermonem, quo eum absentem Deo consecrabat; ex quibus verbis patet, veteres per manus impositionem solitos fuisse consecrare præcipuos Ecclesiæ Ministros. Et quia Phœdinus revera non potuerat ei tunc absentem manum imponere, et eum ordinare, idcirco statim subjicit idem S. Nyssenus, omnia deinde in eo peracta esse instituta, quæ in omni ordinatione jure fieri solent. S. Chrysostomus ad hæc Apostoli verba 1. Timoth. 4. *Cum impositione manuum Presbyterii*, expresse docet, per impositionem manuum, ipsam intelligi debere ordinationem; qua de re in prædictum Apostoli locum consuli possunt adhuc omnes ejus Interpretes, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, Primasius, Sedulius, et alii. Et Homil. 14. in Acta Apostolorum, ubi ait, ad præsentiam impositionis manuum Deum gratiam operari. De eodem S. Chrysostomo rem valde miram narrat Simeon Metaphrastes in ejus vita; videlicet cum Chrysostomus Presbyter ordinaretur a Flaviano Episcopo Antiocheno, et Flavianus ei manum imponderet, cœlitus delapsam esse columbam in caput ejus, quo significaretur in ea cæremonia dari Spiritum sanctum, qui in forma columbæ tunc visibiliter apparebat.

In idem conspirant Latini Patres, maxime S. Cyprianus, Epist. 68. ad Clerum et plebem in Hispania consistentes, ubi Sabino manum impositam fuisse narrat, ut in locum Basilidis ordinaretur Episcopus. S. Ambrosius, lib. *De Dignitate Sacerdotali*: *Homo, inquit, manum imponit, et Deus largitur gratiam.* Idem ait ipse, sive quisquis est Auctor Commentariorum, qui sub nomine S. Ambrosii circumferuntur, in omnes S. Pauli Epistolas, ad cap. 4. prioris ad Timoth., ubi observat gratiam ordinatoris dari per Prophetiam et manuum impositionem. Optatus Milevitanus, lib. 1. *Contra Parmenianum*: *In Donatum, inquit, sunt hæc sententiæ latæ, quod confessus sit se rebaptizasse, et Episcopis lapsis manus imposuisse, idest, eos iterum ordinasse, quod ab Ecclesia alienum est.* S. Hieronymus, in cap. 28. Isaiæ, ubi explicans vocem illam *Χειροτονία*, *Ordinatio, inquit, non solum ad imprecationem vocis, sed*

etiam ad impositionem impletur manuum. Et S. Augustinus, lib. 5. *De Baptismo*, contra Donatistas, cap. 20. *Si ergo, inquit, ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur? quæ omnia tamen et fiunt, et valent etiam per homicidas.* Et lib. 5. *De Gestis*, cum Emerito Donatistarum Episcopo: *Invocatio, inquit, nominis Dei super caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Donati; non enim suscipio Episcopum, si quando est ordinatus, super caput ejus Donatus est invocatus.* Unde paulo post ibidem sic infert: *In errante, et deserente milite, crimen est desertoris, character non est desertoris, sed Imperatoris.* Vult ergo S. Augustinus, in Ordinatione character imprimi per impositionem manuum, invocato Christi nomine super caput ordinandi. Et Serm. 2. *De iisdem Gestis*, cum Emerito: *Cæteri autem, inquit, non aderant Ordinationi ejus, quando ei manus imposita est.*

DICES: Concilium Florentinum in decreto Eugenii pro instructione Armenorum, assignans materiam Sacramenti Ordinis, ait, *illud esse, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem: igitur censet, non aliam desiderari materiam ad Sacramentum Ordinis, præter instrumentorum porrectionem.* Deinde, Gregorius IX, cap. *Presbyter Extra de Sacramentis non iterandis*, juxta doctrinam ab Innocentio III traditam ibidem cap. *Pastoralis*, ait, quod si in Ordinatione Presbyteri aut Diaconi prætermissa fuerit manus impositio, illa Ordinatio non est iteranda; sed caute supplendum est, quod incaute omissum fuerat: sed si impositio manus esset materia essentialis, deberet Ordinatio non tantum suppleri, sed etiam iterari: igitur, etc. *Denique*, Pontificale Romanum eos, quibus manus impositio facta est, sive ad Diaconatum, sive ad Presbyteratum, appellat adhuc Ordinandos; nam præscribit: *Moneat Episcopus ordinandos, ut instrumenta, quibus character imprimitur, tangant: igitur non censet, manuum impositionem quidpiam conferre ad Ordinationem, sed eam tantum fieri per instrumentorum porrectionem et contactum.* — **Nego consequentiam**, et ad *primum respondeo*, Pontificem in eo decreto non attigisse omnem Ordinationis ritum et materiam, sed eam proposuisse materiæ partem, de qua instruendi et admonendi erant Armeni, qui fortasse, inquit Bellarminus, in hoc ritu, non autem in traditione instrumentorum, ab Ecclesia Romana dissentiebant. Deinde Concilii propositum fuit assignare rem aliquam subsistentem pro materia hujus Sacramenti, sicuti fecerat in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, et Extrema Unctione, in quibus Sacramentis assignavit pro materia aquam, Chrisma, panem triticeum, et vinum de vite, et oleum olivæ. *Denique*, Concilium voluit assignare certam materiam, per quam sufficienter etiam in ratione signi materialis unus Ordo distinguitur ab alio, cujusmodi non est manuum impositio, utpote quæ fiat in Sacerdotio, et Diaconatu: sed aliorum, et diversorum instrumentorum porrectio; licet enim eadem manuum impositio, per diversam formam applicata, habeat vicem materiæ, et di-

stineti signi formalis, sicut constat ex diversis Græcorum Ordinationibus, in quibus eadem manus impositio, per diversas verborum formas applicata, habet diversam significationem; tamen Concilium assignare voluit diversitatem Ordinum per ipsamet signa materialia, quibus in Ordinatione utitur Ecclesia Romana, utpote cum hæc signa sint magis distincta, et Ordinum distinctiva. *Adde quod*, idem Concilium tacite etiam complexum sit ipsam manuum impositionem; quippe remittit ad Pontificale Romanum, quantum ad materias et formas adhibendas in Ordinationibus.

Ad secundum respondet Arcudius, Gregorium loqui de impositione manus præparatoria, quæ est quædam dispositio ad Ordines, quæ si omittatur, non propterea Sacramentum iterari debet: sed ista manus impositio, veluti res accidentalis, est supplenda.

Ad Innocentium autem respondet, ipsum auctoritate Pontificia hæc non dixisse, sed hæc Commentaria scripsisse antequam esset Pontifex, et quatenus erat privatus Doctor. *Addi potest*, hos Pontifices ita statuisse generatim; ita quod cum in Sacramentis conferendis duo sint Rituum genera, quorum aliqua sunt tantum accidentalia, quales sunt cæremoniæ jure Ecclesiastico præscriptæ, ad majorem videlicet Sacramentorum auctoritatem, et reverentiam; alia vero sunt essentialia, ut materia, et forma, ex quibus totum, quod essenziale est, in Sacramento constituitur; censent illi Pontifices, quod ubi aliquid accidentale prætermissum est, non sit Sacramentum iterandum, sed caute supplendum jure Ecclesiastico, quod incaute fuerat omissum; ubi vero aliquid essenziale prætermissum, servatis aliunde omnibus accidentalibus, nihil de ipsis accidentalibus iterandum est, sed supplenda solum ea pars essentialis, quæ fuerat prætermissa. Sic in celebratione Missæ, si quis, consecrato pane, calicem non consecraverit, sed tantum benedixerit, non debet iterari consecratio panis, neque calicis benedictio, sed tantum ipsius consecratio. Volunt itaque Pontifices, quod in Sacramentis, in quibus duplex est materia partialis, quando una adhibita est, alia omissa, non debet repeti quæ fuerat adhibita, sed tantum ea quæ fuerat prætermissa.

Ad tertium dico cum Arcudio ibidem, quod illa manus impositio non fit ab Episcopo, Presbyteris ei assistentibus ante porrectionem instrumentorum, et Ordinationem tantum inchoat, non autem perficit, nequidem quantum ad potestatem offerendi Sacrificium, et consecrandi panem et vinum in Christi Corpus et Sanguinem. Unde non mirum, quod Pontificale moneat Episcopum, ut jubeat Ordinandos tangere instrumenta; si enim non tangerent, cum illa sint conjuncta manui Episcopi, non tangerent Episcopum; nec consequenter assequerentur potestatem. Unde merito dixit, quod in ea porrectione instrumentorum imprimatur character, quia tangendo illa, ordinati conjungunt se Pontifici, seu extensioni manus Pontificis, ratione cujus imprimatur character, et assequuntur Ordinem sacrum.

Porro quanta sit, quamque sublimis et veneranda Sacerdotum dignitas et excellentia, facile colligi potest ex multiplici capite: *primo* quidem ex ipso nomine Sacerdotis, et Presbyteri; Sacerdos enim dicitur, quasi *sacrum dans*, ex mente Petri Blesensis, Serm. 2. *De vita, et officiis Præsulum, et Clericorum*. Dat enim sacrum de Deo, idest,

orationem: sacrum Dei, hoc est, Carnem et Sanguinem Christi: sacrum pro Deo, idest, vivendi exemplum. *Presbyteri* autem vocabulum senectutem sonat, non tam numero annorum, quam morum gravitate et sanctitate attendendam, juxta illud Sap. 4. *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Secundo* ex duplici, qua pollent, auctoritate, absolvendi homines, et consecrandi Corpus Christi: per unam enim Sacerdos homines in cælum promovet ab infernorum et peccatorum vinculis, quibus alligabantur, solvendo: per alteram vero facit hominem Deum ad terram descendere, consecrando. Quanta autem sit hæc potestas, ex his S. Bernardi verbis colligitur, Serm. *Ad Pastores in Synodo congregatos: Quantam dignitatem vobis contulit Deus, quanta est prærogativa Ordinis vestri? Deus prætulit vos Regibus, et Imperatoribus, prætulit Ordinem vestrum omnibus Ordinibus; imo, et ut altius loquar, prætulit vos Angelis, Archangelis, Thronis, et Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem, sic non Angelis, sed hominibus, solisque Sacerdotibus Domini Corporis et Sanguinis commisit consecrationem.* Similia habet S. Ambrosius, lib. *De Dignitate Sacerdotali*, cap. 2. *Ecce aurum non pretiosius est plumbo, quam regia potestate altior est dignitas Sacerdotalis.* Sanctus Chrysostomus, Homil. 4. in illud Isaiæ, *In anno quo mortuus est Rex Ozias*, et lib. 1. *De Sacerdotio*, cap. 4. *Alii sunt, ait, termini Regni, alii Sacerdotii. Hoc regnum illo majus est, Sacerdotii jus e supernis descendit, etc.* Item ibidem. *Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ. Rex maculas corporis remittit; Sacerdos autem maculas peccatorum: ille cogit, hic exhortatur: ille necessitate, hic consilio: ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia: ille bellum gerit cum barbaris, hic adversus dæmones: major hic principatus, propterea Rex caput manui Sacerdotis submittit, et ubique in Scriptura Sacerdotes ungebant Reges.*

Tertio, eadem excellentia colligitur ex variis nominibus, et gloriæ titulis, qui Sacerdotibus solent attribui tum in sacris Codicibus, tum in sanctorum Patrum scriptis. *Numerorum* 1. Sacerdos appellatur Mediator, per hæc verba: *Tuli Levitas, ut orent pro eis, ne sit in populo plaga.* Secundo, appellatur Christus 1. *Paralip.* 16. *Nolite tangere Christos meos.* Tertio, nuncupatur Angelus, Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ab ore ejus, Angelus enim Domini est.* Quarto, vocatur et tuba, et custos, Isaiæ 58. *Quasi tuba exalta vocem, etc.* Isaiæ 62. *Super muros tuos posui custodes.* Quinto, appellatur Deus, Exodi 22. *Diis non detrahes.* Sexto, *sal*, et *lux*, Matth. 5. *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi.* Septimo, *Dei coadjutor*, 1. Corinth. 3. *Dei adjutores sumus.* Octavo appellatur *homo Dei*, sicut minister Regis, homo Regis appellatur, ex eo quod res regias debeat curare. Nono, *legatus Christi*, 2. Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur.*

PETES 1. *Utrum instrumenta, quæ sunt Ordinum materia debeant ab ordinando tangi, et ab Episcopo porrigi?*

RESPONDEO PRIMO, necessum esse, quod qui ordinatur physice tangat instrumenta, quæ pertinent ad materiam Ordinis, quem su-

scipit. Cujus utique veritatis non leve argumentum præbet Pontificale Romanum; nam agens de Ritibus singularum Ordinationum, ubi loquitur de porrectione instrumentorum, quibus quilibet Ordo confertur, iis utitur verbis, quæ diserte significant res illas, seu instrumenta, quæ porriguntur ab Episcopo, ab ordinato debere tangi. Favet etiam Concilium Carthaginense quartum; nam Can. 5. agens de Subdiaconatu, dicit: *Accipiat*, etc. ubi de traditione instrumentorum agit: Porro non potest hæc accipere, nisi tangendo; neque enim proprie quis dicitur accipere aliquid corporeum, nisi saltem manu illud attingat. Id etiam ostendit usus et continua Ecclesiæ praxis, quæ tam sollicite curat, ut instrumenta illa omnia, in quorum porrectione Ordinatio consistit, saltem simul ab ordinato tangantur; signum enim est, quod ejusmodi contactus ex parte ordinati sit necessarius ad legitimam Ordinationem; neque enim in re gravi et magni momenti, qualis est Ordinatio sacra, licet a communi Ecclesiæ ritu et praxi recedere.

Respondeo ad secundum, omnino necessum esse, quod Episcopus ordinans per seipsum instrumenta porrigat ei, quem ordinat; hoc enim indicat Concilium Carthaginense quartum, Can. 5. et sequentibus, ubi dum agit de porrectione instrumentorum, quæ tradi solent ordinandis, ait: *Accipiat Ordinandus de manu Episcopi, vel tradat ei Episcopus*, etc. His enim loquendi formulis Concilium significat, omnino requiri ad Ordinationem, quod prædicta instrumentorum porrectio seu traditio fiat ab ordinante.

Nec obstat, quod dum idem Concilium agit de Ordinatione Acolythi, ait, illum ab Episcopo doceri quidem debere, qualiter in officio suo agere debeat, sed ab Archidiacono debere accipere candelabrum cum candela, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ lumina mancipari. Hoc, inquam, non obstat, siquidem hic ritus videtur immutatus et emendatus per Pontificale Romanum, ubi habetur, *quod Episcopus Acolytho tradat candelabrum cum candela*. Suadet etiam ratio: quippe ab eo tradi et applicari debet materia Sacramenti, a quo pronuntiatur forma, et Sacramentum confertur: sed solus Episcopus formam profert, ac subinde ab eo etiam materia Ordinationis porrigi debet. Hinc Clemens VIII iterum ordinare jussit sub conditione aliquos, qui a Sagiensi Episcopo fuerant ordinati, ostensa solum, non autem tradita ipsis Ordinum materia, ut refert Izambertus, disp. 3. *De Sacramento Ordinis*, cap. 8. et Gamachæus, Tract. *De Sacramento Ordinis*, cap. 11. At si porrectio instrumentorum ab Episcopo facienda, et eorumdem contactus ab ordinando non essent omnino necessariæ, summus Pontifex non jussisset sic ordinatos iterum ordinari sub conditione: igitur, etc.

DICES 1: Si contactus esset necessarius ex parte ordinandi, maxime vel quia ille necessarius est ad acceptionem, et traditionem; vel quia requiritur ad verificationem verborum formæ: sed neutrum dici potest. Non quidem primum; multa enim quotidie possunt alteri valide tradi absque ullo hujusmodi contactu physico; nam, ut Petrus, Paulo domum, equum, etc. donet, non est necesse, quod Paulus hujusmodi sibi donata contingat. Non etiam secundum; siquidem verborum formæ prolatio non simul completur cum ipso contactu instrumentorum; dum enim Episcopus ait: *Accipe*, ordinandus, vel forte non tangit eodem

instanti instrumenta, et sic vel falsa esset forma; vel tamdiu non tangit, quamdiu proferuntur verba formæ: igitur contactus ille non est necessarius. — **Nego consequentiam**, et *primam partem antecedentis* distinguo: contactus ille non est necessarius ad traditionem et donationem generice spectatam, *concedo*: in particulari autem specie, qualis requiritur ad Ordinationis validitatem, *nego*. Fateor equidem contactum corporalem et physicum non esse necessarium ad omnem traditionem, et donationem in genere; sed inde non sequitur, quod interdum non requiratur in speciali aliqua donatione, qualiter requiritur in Ordinationibus; quod utique non provenit ex immediata institutione Christi, sed ex ordinatione Ecclesiæ, cui Christus auctoritatem fecit, materiam, et formam, et ritum aliquorum Sacramentorum designandi, et determinandi in particulari. Porro hujusmodi contactum Ecclesia requirit, ut constat ex continua ejus praxi. *Ad secundum* dico, quod ad validitatem formæ non requiratur, ut ordinandus tamdiu tangat instrumenta, quamdiu proferuntur verba; sed sufficit, quod in aliquo instanti ea tangat; siquidem contactus ille moraliter censetur perseverare, donec perficiatur integra Ordinatio.

DICES 2: Ut quis alteri rem donet, non est necesse, quod propriis manibus eam ipsi porrigat; vere enim censeretur quis alteri librum donare, designando ipsum librum, etc. dicendo: *accipe hunc librum*: igitur non opus est, quod Episcopus instrumenta ordinando propriis manibus tradat. — **Respondeo ad antecedens**, hæc quidem esse vera secundum communem usum et modum loquendi; non autem secundum Ecclesiæ praxim, quæ dum instrumentorum porrectionem, seu traditionem determinavit pro materia ordinationis, voluit eam ita fieri, ut instrumenta physice tangerentur, non solum ab ordinando, sed etiam ab ordinante, ut scilicet Sacramentum complete conferretur ab ipso Episcopo.

PETES 2. *Utrum omnes septem Ordines veram Sacramenti rationem habeant?*

AFFIRMO tamquam probabilius, idque veluti certum supponere videtur Doctor, dist. 24. nu. 9. ubi ait: *In hoc patet, quomodo sunt septem Ordines, qui sunt institutiones in Ordinibus, et illi septem dicuntur contineri sub Sacramento Ordinis, vel magis proprie sub Sacramento Ordinationis, in quantum est unum Sacramentum.* Quod evidentius significat num. sequenti, ubi inquirens qualiter Sacramentum Ordinis sit unum: « Respondeo, *inquit*, unitate generis propinqui, si-
« cut virtutes morales dicuntur esse tres secundum genus, justitia,
« fortitudo, temperantia, et in prima divisione virtutis moralis hæ
« primo occurrunt; tamen in speciali quælibet istarum ulterius divi-
« ditur, ut dictum est lib. 3. Est etiam alia unitas inter Ordines.
« Congruum est enim prius recipere Ordinem inferiorem, quam su-
« periozem, nec tamen ille Ordo est simpliciter necessarius, ita quod
« si prætermittatur, nihil sit, ut apparet *Extra de Clerico per saltum*
« *promoto*, ubi habetur, quod non est iterandum quod est factum,
« sed, quod fuit prætermissum caute est supplendum; et per con-
« sequens nonnihil fit in collatione Ordinis superioris, etsi non fuerit
« Ordo inferior prius collatus; ista tamen unitas Ordinis non est illa,

« propter quam Ordo, vel Ordinatio est unum Sacramentum; sed « magis unitas prior, scilicet generis ». *Ita Doctor*, quibus aperte significat, omnes Ordines invicem convenire in unitate et ratione Sacramenti. Idem pariter docet S. Bonaventura, eadem distinct. part. 1. art. 2. quæst. 4. necnon et S. Thomas ibidem, quæst. 2. art. 1. et plures alii veteres Theologi.

Idque probari potest primo ex Concilio Florentino jam sæpius laudato, ubi postquam dixit Ordinem esse Sacramentum, et ejus materiam esse rem, quæ traditur ab Episcopo in Ordinatione, et formam esse verba, quibus res illa traditur, et speciatim id declarasset in Ordine Sacerdotali, Diaconali, et Subdiaconali, subjungit, *sic etiam debere intelligi in reliquis Ordinibus*: igitur censet etiam in inferioribus Ordinibus reperiri materiam et formam Sacramenti; ac proinde existimat, omnes Ordines veram Sacramenti rationem obtinere. Idem pariter indicat Concilium Tridentinum; quamquam enim hanc veritatem diserte non explicet, attamen cum Sess. 22. c. 2. dixisset Ordinem distribui in septem species, cap. sequenti absolute pronuntiat, Ordinem vere esse Sacramentum novæ Legis, ubi nullam distinctionem facit inter Ordines, qui sint Sacramenta, et qui non sint; quibus significat se nullum Ordinem a ratione Sacramenti excludere. Quod evidentius declarat Can. 3. nam cum præmisisset, in Ecclesia Catholica aliquos Ordines esse majores, et alios minores, statim subdit: *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit*. Ubi cum nullum discrimen proferat inter Ordines, qui habeant rationem Sacramenti, et qui non habeant, haud dubium est, quod existimet omnes prorsus Ordines Sacramenti rationem obtinere. Hoc ipsum luculenter declarat S. Augustinus, lib. *De bono conjugali*, cap. 24. ubi testatur in omnibus ordinatis permanere Sacramentum Ordinationis, etiamsi plebi congregandæ non serviant, vel propter culpam ab officio removeantur. Censet itaque omnes Ordines habere vim Sacramenti, propterea quod semel accepta amitti non possint, propter characterem perpetuum, qui in singulis Ordinibus confertur.

Subscribit etiam S. Hieronymus in lib. *Adversus Vigilantium*, ubi dicit, *Episcopum Diaconos, aliosque Clericos ordinantem Christi Sacramenta tribuere*. Quibus verbis significat, omnes generatim Ordines habere rationem et dignitatem Sacramenti.

Favet etiam ratio: *primo* quidem, omnes esse Sacramenta non obscure colligitur ex eo, quod perantiqua sit in Ecclesia horum septem Ordinum mentio; non enim aliunde, quam ex divina traditione, et institutione ad nos usque pervenisse credendum est. — *Deinde*, id quod est signum sensibile divinitus institutum, et gratiæ causativum, habet veram rationem Sacramenti: at tales sunt omnes Ordines, quilibet enim eorum est signum sensibile, ratione suæ materiæ et formæ. Similiter est divinitus institutum; quamvis enim Christus Dominus materiam et formam Sacramentorum non designaverit in specie, sufficit quod utramque designaverit in genere, committendo Ecclesiæ auctoritatem hujusmodi signa designandi in specie, sicque saltem in genere est horum signorum institutor. — *Postremo*, per hæc signa datur gratia; quippe cum in hujusmodi Ordinum receptione homines Deo conse-

crentur, ut significat Cajus Papa in Epist. 1. quæ est ad Felicem, c. 6. ubi recenset minores Ordines, quibus ad Sacerdotium et Episcopatum ascenditur, his verbis: *Ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, qui ordinari merentur, idest, sit primo Ostiarius, deinde Lector, postea Exorcista, inde sacretur Acolythus.* Ubi notandum est verbum, *sacretur*, quod non nisi Ordini a Christo in Sacramentum instituto convenire videtur.

DICES 1: Omne Sacramentum est a Christo institutum: at Diaconatus non fuit a Christo institutus, neque etiam reliqui Ordines inferiores, ut docet Anacletus Papa, Epist. 3. cap. 2. Sic enim ait, de Episcopatu et Sacerdotio loquens: *Amplius quam isti duo Ordines Sacerdotum, nobis nec a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* Idem asserit Damasus, Epist. 5. his verbis: *Nom amplius, quam duos Ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, idest, duodecim Apostolorum, et septuaginta Discipulorum.* Similiter S. Cyprianus, lib. 2. Epist. 9. docet, *Diaconos non a Christo, sed ab Apostolis institutos esse; ergo Diaconatus non est Sacramentum a Christo institutum.* —

Respondeo, Anacletum eo loco non loqui de singulis Ordinibus, sed solum de duplici Ordine Sacerdotii, nempe Presbyteratus et Episcopatus; ita ut ejus verborum sensus sit, duos solum Ordines Sacerdotii, nempe Presbyteratum et Episcopatum nobis reliquit Deus, et Apostoli docuerunt; agit enim contra eos, qui Primates, seu Patriarchas, veluti altero Ordine initiatos, et ab Episcopis distinctos esse volebant; unde ait: *Ordo Sacerdotum, fratres, bipartitus est, et sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari.* — Quod utique confirmat ex eo, quod Christus solum elegit duodecim Apostolos, quibus Episcopi successerunt; et sexaginta Discipulos, quorum successores sunt Sacerdotes. Ex quibus sic concludit: *Amplius quam isti Ordines Sacerdotum, nec a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt.* In eundem sensum conspirat S. Damasus loco citato, ubi duos tantum Ordines Sacerdotum agnoscit; siquidem ibi reprimit quorundam Episcoporum supercilium, qui se veluti medios inter Episcopos et Presbyteros, subindeque tertium Ordinem Sacerdotum sibi fingebant; unde ibidem ait: *Si nec Episcopi sunt, et plusquam Presbyteros esse ambiunt, per quod ostium intrabunt, cum hi tantum duo Ordines (Sacerdotum) in Ecclesia legantur?* Ad S. Cyprianum dico, Christum equidem nullum per seipsum ordinasse in Diaconum, sicut ordinavit Episcopos et Sacerdotes; sed tantum facultatem fecisse Episcopis, ut Diaconos instituerent. Ex quibus tamen inferre non licet, ipsum non instituisse Diaconatum in Sacramentum; neminem enim Matrimonio junxit, nec confirmavit, nec oleo infirmorum unxit; nihilominus tamen inde non sequitur, quod non instituerit Sacramentum Matrimonii, Confirmationis, et Extremæ-Uctionis.

DICES 2: Subdiaconatus olim non erat Ordo sacer: igitur nec Sacramentum. *Patet antecedens ex Can. Nullus, dist. 60. cap. 4. ubi sic legitur: Nullus in Episcopum eligatur, nisi in Sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus; sacros autem Ordines dicimus Diaconatum et Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia; Subdiaconos vero, quia et ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus; si tamen spectatæ sint Religionis, et scientiæ.* —

Respondeo primo, negando consequentiam; non enim idem est Ordo sacer, et Sacramentum; siquidem minores Ordines sunt Sacramenta, nec tamen sunt sacri. *Respondeo secundo ad antecedens,* Ordines vocari sacros duplici titulo; nimirum, vel quia habent solemne castitatis et continentiae votum, vel quia proximius inserviunt ad Eucharistiam conficiendam. Quamvis autem Subdiaconatus ab initio non fuerit Ordo sacer in universa Ecclesia priori titulo, tamen posteriori semper fuit Ordo sacer, quippe proximius accedit ad Eucharistiam, quam alii Ordines minores.

INSTABIS: Si Subdiaconatus fuisset Ordo a Christo institutus et sacer, non potuisset omitti in superiorum Ordinum susceptione; siquidem juxta Christi Domini institutionem gradus est faciendus a minoribus Ordinibus ad superiores: sed superiores Ordines suscipi possunt sine Subdiaconatu; nam in Concilio Sardicensi, Can. 13. sic habetur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quam Lectoris, et Diaconi, et Presbyteri ministerium peregerit; ita et per singulos gradus, si aestimatus fuerit dignus, ascendat ad culmen Episcopatus.* Cujus rei exempla non pauca de SS. Chrysostomo, Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, Cæsario Episcopo Arelatensi, et aliis multis sic ordinatis, non præmisso Subdiaconatu, referunt Arcudius, c. 9. et Morinus, exercitatione 11. cap. 2. *Adde quod* Subdiaconi poterant ordinari a Chorepiscopis, ut patet ex Concilio Antiocheno, c. 10. sed Chorepiscopi erant simplices Sacerdotes, qui Sacramentum Ordinis conferre non poterant, ut docet S. Damasus, Epist. 5. Igitur Subdiaconatus non habet rationem Sacramenti Ordinis. — **Respondeo ad primum, primo** quidem argumentum illud nimis probare; inde namque pari ratione inferre liceret, Diaconatum non habere rationem Sacramenti Ordinis: cujus tamen contrarium docent omnes pene Theologi contra Durandum; siquidem ipse Morinus ibidem profert varia Sanctorum exempla eorum, qui ad Presbyteratum et Episcopatum, omisso Diaconatu, promoti sunt. Id præsertim refert de S. Austregesilo Bituricensi Episcopo, in cujus ordinatione Diaconatus omissus est, ut refert Auctor antiquus apud Surium 20. Maji, his verbis: *Abiit Austregesilus Antisiodorum, et a beato Aunario Episcopo, decisa cæsarie, Clericus effectus est, et ordinatus. Deinde ad memoratum Æthereum profectus est, qui jam Lugduni factus Episcopus, cum ingenti gaudio humanissime eum excepit. Presbyterumque, et Abbatem B. Nicerii Episcopi, et Confessoris ordinavit.* — *Dico secundo,* per dispensationem quidem divinitus inspiratam, aliquos potuisse promoveri ad superiores Ordines absque susceptione inferiorum; quod tamen traduci non potest ad praxim et exemplum. — *Dico tertio,* quod dum aliqui leguntur promotos fuisse ad superiores Ordines, omissis inferioribus, id non debet semper intelligi de omissione Ordinum inferiorum, quantum ad receptionem characteris, sed solum quoad exercitium et ministerium; ita quod eodem die et eadem hora omnes prorsus Ordines susceperint, maxime cum exigeret Ecclesiarum quarumdam necessitas; unde præfatus Canon Concilii Sardicensis vetat, ne quis imposterum fiat Episcopus antequam inferiorum Ordinum ministerium peregerit; quippe tunc temporis non eadem vigeat, nec urgebat necessitas, quæ plerumque in primitiva Ecclesia occurrebat, ut quis simul omnes Ordines

eodem die susciperet. *Ad secundum* dico, Chorepiscopos fuisse duplicis generis; aliqui enim veri erant Episcopi, sed absque sede, et Ecclesia, ac plebe propria, quales etiam nunc sunt suffraganei; et de his loquitur Concilium Antiochenum, dum ait, Subdiaconos a Chorepiscopis posse ordinari; alii vero erant tantum Presbyteri, qui delegatam sibi ab Episcopis auctoritatem habentes, res Ecclesiasticas administrabant, quales nunc sunt Episcoporum Vicarii generales, de quibus loquitur S. Damasus, cum ait, ab ipsis non posse Subdiaconos ordinari, ut diximus supra.

DICES 3: Quando plures actiones ordinantur ad aliquem effectum spiritualement, illa sola Sacramenti rationem obtinet, quæ hujusmodi effectum immediatum attingit; sic v. g. in Baptismate, licet ad id conferant exorcismus, Catechismus, et alii solemnes ritus servari soliti; attamen sola ablutio cum forma debita habet rationem Sacramenti, quia sola attingit spiritualement regenerationem: sed inter omnes Ordines, qui referuntur ad confectionem Corporis Christi, solum Sacerdotium id immediate præstat: ergo nullus Ordo præter Sacerdotium habet rationem Sacramenti Ordinis. — **Distinguo majorem:** si variæ illæ actiones ad eundem effectum spiritualement tendentes, sint dumtaxat dispositiones, nec per se gratiam sanctificantem in anima producant, quales sunt Catechismus et Exorcismus, *concedo:* si præter illam dispositionem quælibet earum actionum habeat vim producendi effectum spiritualement, nempe gratiam sanctificantem, *nego.* *Ad minorem* dico, quod quamvis Ordines Sacerdotio inferiores per se et immediate non attingant confectionem Eucharistiæ, sed sint tantum veluti ministeria subsidiaria ad eam confectionem efficiendam, duplicem tamen effectum producant in anima, nempe characterem et gratiam sanctificantem; ac proinde censi debent proprie dicta Sacramenta.

ARTICULUS TERTIUS.

DE MINISTRO ET SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

Hic non immoramur in declarandis et aperiendis Sacramenti Ordinis effectibus, puta characterem et gratia sanctificante, necnon et specialibus auxiliis ad Ordinum ministeria debite obeunda necessariis, utpote cum in Tractatu *De Sacramentis in communi*, necnon ex toto hujus voluminis decursu hæc satis superque appareant. Solus itaque in hoc Articulo nobis sermo erit de Ministro et Subjecto Sacramenti Ordinis; quæ duo cum etiam ex pluries dictis de Ministro et Subjecto aliorum Sacramentorum facile colligi possint; ideo omnes, quæ de utroque a cæteris Theologis fusius agitari solent, controversias, paucioribus complectemur sub sequentibus Paragraphis.

§ I. — QUIS SIT MINISTER SACRAMENTI ORDINIS. — **Respondeo,** solum Episcopum esse Ministrum ordinarium hujus Sacramenti; ita namque definitur in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi agens de Sacramento Ordinis, ait: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus;* et ex Tridentino, Sess. 21. cap. 4. ubi docet *Episcopos Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis con-*

ferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse; quarum functionum potestatem reliqui inferiores nullam habent.

Idipsum colligitur ex Scriptura sacra; siquidem Christus Summus Ecclesiæ Pontifex ordinavit Sacerdotes in ultima Cœna, et Apostoli et Episcopi, nempe Paulus et Barnabas *constituerunt per singulas Ecclesias Presbyteros*. Et 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, etc. cum impositione manuum Presbyterii*, hoc est cœtus Episcoporum, ut exponunt Græci Interpretes, inter quos Episcopus erat Paulus, quia ipse 2. Timoth. 1. monet Timotheum, *ut resuscitet gratiam, quæ, inquit, est in te per impositionem manuum mearum*. Et ad Tit. 1. Apostolus ait, se illum reliquisse Cretæ, *ut ea, inquit, quæ desunt corrigas et constituas per civitates Presbyteros*.

Idem docent SS. Patres, maxime S. Dionysius, lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. 5. ubi refert ritum consecrandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, et alios inferioribus Ordinibus initiatos a Pontifice, seu Episcopo. Sanctus Hieronymus, Epist. ad Evagrium, necnon et in Dialogo *contra Luciferianos*, ubi licet Presbyteros Episcopis pares faciat, tamen expresse excipit Ordinationem et Confirmationem, quam non vult fieri posse a simplici Presbytero, sed a solo Episcopo. Neque quantum ad id gravis aliqua movetur difficultas apud Theologos, quæ facile dissolvi non possit ex his, quæ dicta sunt in præcedentibus.

Sed non levis agitur controversia circa Ministrum extraordinarium, an videlicet simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis possit esse Minister extraordinarius hujus Sacramenti, et Ordines, sive majores sive minores, valide conferre; aliqui enim id affirmant de omnibus Ordinibus, ut Vazquez, disp. 243. nonnulli existimant non posse simplicem Sacerdotem conferre majores Ordines ex ulla sibi delegata commissione, bene vero minores; ita S. Thomas, dist. 25. q. 1. art. 1. ubi ait: *Papa, qui habet plenitudinem potestatis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi; et ideo ex ejus commissione, aliquis Sacerdos simpliciter potest conferre Minores Ordines, et confirmare; non autem aliquis non Sacerdos*. Negat tamen verbis immediate sequentibus, Sacerdotem simplicem posse ex commissione Summi Pontificis conferre Majores Ordines; sic enim subjungit: *Nec iterum Sacerdos Majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex Sacerdos*.

Sunt etiam qui id negant quidem de Presbyteratu; concedunt tamen de Diaconatu ac Subdiaconatu; ita Amicus, Martinonus, et nonnulli alii Recentiores. Quorum utique sententiam uti probabiliorem amplector; quam etiam sequitur Hiquæus in *Commentario*, num. 91., ubi ait: Presbyterum ita necessario debere ab Episcopo ordinari, ut nequidem ex commissione ordinari possit a simplici Sacerdote; quod utique probat primo: quia ubi nulla praxis extat in contrarium, ritus servari solitus censi debet esse ex ordinatione divina: sed nusquam legitur concessio facta simplici Sacerdoti ad alium Sacerdotem ordinandum: igitur signum est, quod Sacerdotis ordinatio fieri debeat ab Episcopo, ex institutione divina.

Deinde, Ordines inferiores conferri debent a superiori: sed unus Sacerdos non est superior respectu alterius: igitur non potest eum ordinare.

Fateor tamen, hanc posteriorem rationem esse infirmam; exinde enim sequeretur, quod unus Episcopus non posset alium ordinare; unus enim Episcopus non subditur alteri Episcopo, a quo ordinatur; sed parem cum ipso habet characterem et auctoritatem. Unde potius standum esse censeo in priori ratione; cum enim Ecclesia sollicite provideat in his, quæ spectant ad confectionem et ministrationem Sacramentorum, nec concesserit unquam facultatem simplici Sacerdoti alium ordinandi, signum est, quod hæc dispensatio concedi non possit, maxime cum aliunde simplicibus Sacerdotibus concesserit auctoritatem non solum minores Ordines, sed etiam Diaconatum et Subdiaconatum ministrandi.

Quas utique concessionem a Summis Pontificibus factas referunt Victoria in *Summa*, num. 235., ubi ait, concessam fuisse Abbatibus Cisterciensis Ordinis facultatem conferendi suis Monachis utrumque Ordinem, Diaconatus et Subdiaconatus; cujus concessionis meminit etiam Navarrus, lib. 5. in *Consiliis*, tit. 13. et illam concessionem habet Emmanuel Rodriguez, in *Bullario*, bulla 5. et Vazquez, loco supra laudato, num. 39. ait, illud privilegium haberi in nova compilatione privilegiorum, privilegio 118. et in quodam vetusto codice, qui inscribitur Collecta Bullarum Ordinis Cisterciensis, atque, inquit, in Bibliotheca hujus nostri Collegii Complutensis servatur, cujus verba subjicere placuit: *Ne Monachi dicti Ordinis, pro suscipiendis Subdiaconatus et Diaconatus Ordinibus, extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, Tibi, et Successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis; aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum Successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus et Diaconatus Ordines hujusmodi alias rite conferre, etc. libere ac licite possitis, et possint, auctoritate Apostolica et ex certa scientia, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ, indulgemus.* Quæ Bulla data est Romæ ab Innocentio VIII, anno Domini 1489., et 4. Pontificatus.

Nihilominus Navarrus censet hoc privilegium revocatum esse a Tridentino Concilio, Sess. 23. cap. 8. ubi agens de promotione ad Sacros Ordines, ait: *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur: quod si quis ab alio promoveri velit, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus, permittatur, etc.* Et cap. 10. conceditur quidem aliquibus Abbatibus Tonsuram et Minores Ordines conferre Regularibus sibi subditis; sic enim habetur: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiam si nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre; non meminit autem Ordinum Subdiaconatus, aut Diaconatus.* Unde etiam Vazquez, num. 44. aperte fatetur, quodcumque privilegium concessum Abbatibus, ut ordinare possint suos subditos in Subdiaconos et Diaconos, jam revocatum esse, et solum eis relictum, ut Tonsuram et Minores Ordines conferant.

§ II. — QUINAM SINT CAPACES SUSCIPIENDI SACRAMENTI ORDINIS. — Respondet Doctor, in 4. dist. 25. qu. 1. et 2. incapacitatem ad suscipiendos Ordines esse repetendam ex quadruplici capite: *primo*, ex parte sexus: *secundo*, ætatis: *tertio*, infirmitatis: *quarto*, pœnæ Ecclesiasticæ.

Primo, inquam, ex parte sexus, mulieres sunt incapaces suscipiendi Ordinis, idque jure divino: « Non enim, inquit Doctor, qu. 2. num. 4., « Ecclesia præsumpsisset totum sexum muliebrem privasse sine culpa « sua, actu, qui posset sibi licite competere, qui esset ordinatus ad « salutem mulieris, et aliorum in Ecclesia per eam; quia hoc esse « videretur maximæ injustitiæ, non solum in toto sexu, sed etiam in « paucis personis: nunc autem si de lege divina licite posset compe- « tere mulieri Ordo Ecclesiasticus, posset esse ad salutem, et earum, « et aliorum per eas; et quod dicit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Docere « mulierem non permitto*, intelligens de doctrina publica in Ecclesia, « non est dictum Apostoli tamquam Apostoli statuentis; sed, *non per- « mitto*, quia nec Christus permisit. Cujus argumentum evidens acci- « pitur, quia nec Matrem suam posuit in aliquo gradu Ordinis in « Ecclesia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in sanctitate æqui- « parari. Ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apostolus « innuit 1. ad Cor. 14. nam natura non permittit mulierem, saltem « post lapsum, tenere gradum eminentem in specie humana; siquidem « est dictum in pœnam peccati sui: *Sub viri potestate eris* ».

Quam utique rationem non obscure indicat Apostolus 1. ad Timoth. 2. cum enim dixisset: *Mulier in silentio discat cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio*; statim subdit hujus dicti rationem; quia videlicet mulier in suæ prævaricationis pœnam viro subjecta est: *Adam enim, inquit, primus formatus est, deinde Eva: et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. Quibus verbis Apostolus rationem profert, quare mulier silere debeat in Ecclesia, quia subjecta viro est primum ex creatione, nam ei in adjutorium facta est; deinde in pœnam peccati, siquidem ei dictum est, Gen. 3. *Sub potestate viri eris, et ipse dominabitur tui*: igitur ex divina institutione mulier subjecta est viro; ac proinde nequit esse capax gradus eminentis in Ecclesia, in quo præesset viro, aut publice doceret ex officio.

Hac pariter ratione utitur S. Epiphanius contra Pepusianos, Hæresi 19., qui mulieres in Diaconissas, Sacerdotissas, et Episcopissas ordinabant. Aliam etiam rationem assignat petitam ex ipsa imperfectione sexus muliebris: *Mulier enim, inquit, genus lubricum est, erroneumque, ac intellectu humili præditum, et per illud diabolus suum venenum universo humano generi propinavit*. Addit et alteram rationem, nempe quod nulla mulier ab exordio mundi legatur unquam Sacrificium Deo obtulisse, sive inter fideles, sive inter infideles; et Deus in lege scripta ex solis viris Sacerdotes elegerit, et Levitas ad ministerium Altaris: igitur potiori jure Lex Evangelica postulabat, ut mulieres arcerentur ab omni Ecclesiastico Ordine, et Altaris ministerio. Addit S. Bonaventura. in 4. dist. 25. art. 2. qu. 1., quod in Sacramento Ordinis persona, quæ initiatur, significat Christum Mediatorem, cujus officio fungitur, juxta illud Apostoli 2. ad Cor. 5. *Pro Christo legatione*

fungimur: sed Mediator fuit tantum vir: igitur solus vir est Sacramenti hujus capax, cui hæc mystica significatio ex Christi institutione annexa est.

OBJICIUNT 1: Hæretici Pepusiani illud ad Galat. 3. *In Christo Jesu non est servus, neque liber, neque masculus, neque fœmina*: igitur nulla differentia est inter masculum et fœminam in Lege Christiana, sicut nec circa servum et liberum; ac subinde idem Sacramentum, quod vir potest recipere, etiam recipere poterit mulier. — **Respondeo**, Apostolum eo loco loqui tantum de discrimine inter virum et mulierem, quoad meritum, non vero quoad officium; seu, inquit Doctor, n. 3., quantum ad gloriam consequendam, et ad gratiam habendam, non est distinctio in Lege Christi, inter fœminam et masculum, quia tantam gratiam habere, et tantam gloriam attingere illa potest, sicut iste; sed quantum ad gradum excellentem habendum in Ecclesia bene decet esse distinctionem inter virum et mulierem in Lege Christi, quia hoc consonat Legi naturæ.

OBJICIUNT 2. Tam in veteri, quam in nova Lege fœminæ quædam erant prophetissæ: sed Prophetia non minorem dignitatem importat, quam Ordo Ecclesiasticus: igitur pari ratione mulieres promoveri possunt ad Ordines. *Patet major*: nam Maria soror Moysis Num. 12. et Anna filia Phanuel Lucae 2. et quatuor filiæ Philippi Diaconi, ut patet ex Historia Ecclesiastica, illustrabantur dono Prophetiæ. Insuper mulieri competere potest potestas judiciaria, ut constat Judicium 4. de Debora, quæ judicavit Israël, et ei præfuit: igitur etiam competere potest præfectura Ecclesiastica. — **Respondeo** ad primum negando paritatem, hoc enim discrimen est inter donum Prophetiæ, et Ordinem, quod per donum Prophetiæ non confertur mulieri potestas ulla super virum; per Ordinem autem constituitur ordinatus in gradu superiori super alios; unde si mulier ordinaretur, præeminentiam quamdam haberet in Ecclesia supra laicos; quare licet donum Prophetiæ conveniat sexui muliebri, Sacramentum tamen Ordinis mulieri videtur incongruum; quippe præeminentia et potestas in viros ipsi non convenit. *Ad secundum* respondet Seraphicus Doctor, quod potestas judiciaria sit temporalis, non spiritualis; mulieribus autem licet temporaliter dominari, sed non spirituali dominio; cujus ratio est, quod ille qui dominatur, gerit typum capitis; quoniam ergo mulier non potest esse caput viri, ideo ordinari non potest.

OBJICIEBANT 3. In primitiva Ecclesia erant Subdiaconissæ, Diaconissæ, Presbyteræ, et Episcopissæ, ut videre est in pluribus Conciliis, et SS. Patribus; de quibus locutus videtur S. Paulus 1. ad Timoth. 3. cum ait: *Mulieres similiter pudicas*; nam postquam Timotheo documenta pro Diaconis præbuit, statim subdit: *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus*. Et cap. 5. agens de electione viduarum, ait: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, etc.* Sicut de Diaconis præcipit, cap. 3. cum ait: *Ut unius uxoris vir eligeretur*. Ac subinde censet Apostolus, mulieres esse capaces Ordinis Diaconatus, sicut et viros. — **Respondeo**, quod equidem antiquitus mulieres nonnullæ his nominibus fuerint appellatæ, non quia aliquo Ordine Ecclesiastico ordinatæ essent, sed variis aliis de causis: *primo*

quia, inquit Doctor, n. 6. « in græco uxor Presbyteri potest dici Presbyterissa, ubi Sacerdotes utuntur licite Matrimonio prius contracto. « Sed apud nos Latinos, ubi castitas, non conjugalis, sed simpliciter « est Ordini annexa, Presbyterissa potest dici aliqua bona matrona « vidua, vel perfecta inter alias mulieres; vel forte in Collegio illa, « quæ præest omnibus aliis, ut Abbatissa inter Moniales: sed ista non « habet per hoc gradum altiozem Ordinis; imo nec præeminentiam « respectu alicujus viri. Consimiliter potest dici ad illud de Diaconissa, quod illa, cui competit ex Ordinatione Abbatissæ vel collegii, « legere Homiliam in Matutino, potest dici Diaconissa; sed ille non « est actus alicujus Ordinis ». Ita Doctor, cujus explicationi favent Concilia Turonense, Can. 13. et 20. et Altissiodorense, Can. 21. ubi statuitur: *Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbyteria sua dormire; neque in peccato carnali commisceri, neque Diacono, neque Subdiacono, cum sua videlicet Subdiaconissa, et Diaconissa, idest, conjuge, ante Ordinationem ducta. Vel aliter, his nominibus antiquitus mulieres aliquæ tam in Ecclesia Latina, quam in Græca donabantur, quia videlicet ad Ecclesiasticum aliquem statum, et aliquod ministerium promovebantur; nam, ut observant Michaël Medina, lib. 6. De Continentia, controversia 6. cap. 7. et Pamelius in Commentario ad librum Tertulliani De exhortatione castitatis, n. 72. et Vazquez, disp. 245. cap. 3. n. 19. duo genera harum mulierum peculiaribus illis nominibus nuncupata inveniuntur: quædam enim generali nomine viduæ dicebantur, quæ nulla benedictione aut Ordinatione ad ministerium aliquod consecrabantur; sed tantum ad hoc eligebantur, ut in congregatione viduarum vitam cælibem ducerent, ut constat ex S. Clemente, lib. 8. Constitutionum, cap. 25. ubi refert S. Judam Thaddæum dixisse: *Hæc de viduis constituo: vidua non ordinetur; sed si jamdiu virum amisit, et caste et laudate vixit, cooptetur in gradum vidualem.* Porro hæc viduæ in eum statum viduarum non cooptabantur, nisi votum castitatis emisissent, ut colligitur ex S. Paulo 1. ad Timoth. 5. ubi ipsum hortatur, ut viduas adolescentiores divitet, hoc est in statum vidualem non admittat, cujus hanc rationem profert: *Cum enim, inquit, luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ubi per primam fidem, Concilium Carthaginense quartum, Can. ult. intelligit pactum, et promissionem Christo præstitam, videlicet servandæ continentiae, et desponsationis cum ipso.*

Idipsum docet S. Clemens, lib. 3. Constitutionum, cap. 1. ubi præcipit, *ut adolescentior vidua non cooptetur, quia si postea nupserit, statum vidualem dedecorabit, quia promissionem non servaverit.* Et infra de his viduis loquens, ait: *oportet non temere, neque inconsiderate promissionem facere.* Id etiam constat ex Can. 18. S. Basilii, in Epistola ad Amphilochem, ubi loquitur de delicto Virginum contra sua pacta commisso, et de delicto viduarum similiter, quod, inquit, est secundum a peccato virginum; et addit, viduam non servantem continentiam gravissimo judicio subjectam esse, ut quæ fidem in Christum irritam fecerit; per fidem autem in Christum, nihil aliud nisi votum continentiae intellexit. Atque ita interpretatur S. Basilium Theodorus Balsamon in illum Canonem, concedens viduas in laico habitu perma-

nentes, continentiam in Ecclesiam vovere, et ea de causa ab Episcopis omni corporali studio et providentia dignas haberi consuevisse. — Alebantur enim ex redditibus, et eleemosynis Ecclesiæ, ut notat etiam idem Balsamon in Canonem 24. ejusdem S. Basilli, et fusius docet S. Chrysostomus, lib. 3. *De Sacerdotio*, colum. 17. ostendens, quantas in earum sustentatione Episcopi eo tempore difficultates paterentur, ut ita ex hoc etiam capite, sicut ex aliis, difficultatem status Episcoporum demonstraret. In quem sensum puto dixisse S. Paulum 1. ad Timoth. 5. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt*, sicut explicat Theophilactus, ut honorare idem sit, quod misereri, et necessaria suppeditare. Et multo clarius cum inferius ait: *Si quis fideles habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut iis, quæ vere viduæ sunt, sufficiat*. Ubi plane, inquit Vazquez, denotat, vere viduas ali consuevisse redditibus et eleemosynis Ecclesiæ; vocat autem *vere viduas*, non solum marito, sed etiam parentibus, filiis, et consanguineis orbatas; nam quæ solum caret marito, non videtur omnino vidua, si parentes habeat, aut filios, aut consanguineos; vidua enim Græce dicitur χήρα a verbo χηρῶω, quod est *desolor, destituo, sive orbo*, quod orbata sit, et inde verbum χηρῆνω, quod est *viduam reddo, separo, et separor*, et viduus maneo: et ideo cum dixisset, *Quæ autem vere vidua est*, addidit, et *desolata*, græce, μεμονωμένη hoc est, *sola relictæ*, a verbo μονῶω, quod est, *solum esse facio*, seu *desolor*, et aliquid amplius, quam præcedens denotare videtur. Ita Vazquez.

Quibus addit, quod S. Paulus e contra exhortetur, quod si quis fidelis, videlicet parens, vel filius, vel nepos habeat viduam, vel filiam, vel matrem, vel aviam, alat eam ex propria substantia, ut videlicet omnino orbata parentum subsidio ex redditibus et eleemosynis Ecclesiæ sustentari possint; qua etiam de causa, quia sunt viduæ non omnino orbatae, sed habent aliquod ex parentibus subsidium, quibuscum morantur, idem Apostolus dixit ibidem: *Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et vicem reddere parentibus*; a quibus videlicet quæ necessaria sunt ad victum et vestitum liberaliter accipit; subdit vero de iis, quæ omnino viduæ et probatae sunt: *Quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus*, idest, quia ipsi non incumbit cura domus et familiæ regendæ, nec urget obligatio mutuum obsequium reddere parentibus, ideo magis obsecrationibus instet apud Deum, a quo sperare debet solatium et consolationem suæ viduitatis.

Aliud genus mulierum erat, quas Pepusiani, seu Cataphrygæ, vel Montanistæ contendebant fuisse ordinatas in Sacerdotissas et Diaconissas, de quibus S. Clemens Romanus, lib. 8. *Institutionum*, cap. 19. et 20. ita scribit: *De Diaconissa vero ego Bartholomæus constituo, ut manus ei, Episcopo, imponas, præsentibus Presbyteris, et Diaconis, et Diaconissis*. Ex quo loco etiam constat Diaconissas benedictione aliqua et cæremonia ordinari consuevisse; quod etiam observat Tertullianus, lib. *De exhortatione ad castitatem*, cap. ult. cum ait: *Quantæ igitur (scilicet mulieres) et quæ in Ecclesiis ordinari solent, quæ Deo nubere maluerunt*. Et lib. *De velandis Virginibus*, cap. 9. ubi pro eo quod dixerat in lib. *Ad Uxorem*, cap. 7. *Viduam adlegi in Ordinationem*, ait: *Ad quam sedem præter annos sexaginta non tantum univiræ, idest,*

nuptæ aliquando eliguntur, sed matres, et quidem educatrices filiorum. Constat etiam ex Conciliis, in quibus hæc viduarum ordinatio fuit abrogata; prohibetur enim in Concilio Laodicæno, Can. 11. ubi dicitur, *quod non oporteat eas, quæ dicuntur Presbyteræ, vel Præsidentes, in Ecclesia ordinari.* Verum, non obstante hoc decreto, ejusmodi ordinatio diu viguit apud Græcos; nam in Concilio Chalcedonensi, act. 15. Can. 15. prohibentur Diaconissæ ordinari ante annum quadragesimum; et si post susceptam manuum impositionem nuptiis se tradant, anathematizantur una cum eis qui eisdem copulantur. Idem statuitur in Synodo Trullana, Can. 14; ex quo sequi videtur hanc ordinationem cum benedictione apud Græcos eo usque perseverasse, non obstante præfato Canone Laodicæno.

In Ecclesia vero Latina abrogari cœpit hæc ordinatio in Concilio Arausicano; legimus enim Can. 26. *Diaconissæ omnimode non ordinandæ, si quæ jam sunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita submittant.* Idem sancitum fuit postea in Concilio Epaunensi, Can. 21. his verbis: *Viduarum consecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione nostra pœnitens abrogamus.* Ubi quod Concilium Arausicanum vocavit ordinationem, hoc appellavit consecrationem. Et titulus est, *De Benedictione viduarum*: quia, ut supra diximus, hæc ordinatio cæremonia quadam consecrationis et benedictionis fieri solebat. Eadem lex revocationis renovata iterum fuit in Concilio Aurelianensi 2, Can. 19. ubi ordinatio Diaconissarum benedictio Diaconalis nuncupatur. Verum his non obstantibus Decretis, etiam apud Latinos multo adhuc tempore perseverasse videtur illa Diaconissarum ordinatio; siquidem in Concilio Wormaciensi, Can. 15. legem latam in Concilio Chalcedonensi de ætate ordinandarum Diaconissarum transcriptam legimus, et approbatam.

Quale autem fuerit Diaconissarum munus et ministerium, aliqua ex parte explicat S. Clemens, lib. 2. *Constit.*, cap. 26. ubi cum dixisset, Diaconissam ita venerandam esse, ut repræsentet nobis Spiritum sanctum, aut sicut alia translatio habet, in figura Spiritus sancti honorandam esse; reddit rationem his verbis: *Nihilque eo agit, aut loquatur, absque Diacono; sicut neque Spiritus sanctus quidquam privatim agit, aut loquitur.* Et paulo inferius: *Et ut non contingit credere in Christum sine doctrina Spiritus sancti, sic ad Diaconum, aut Episcopum nulla mulier, sive Diaconissa accedat.* Certe nulla alia de causa, nisi quia Diaconissis ex officio incumberebatur cæteras instruere mulieres de rebus, de quibus cum Diaconis aut Episcopis agere debebant.

Verum præter hoc generale ministerium, erant alia peculiariora in Ecclesia, ad quæ hæc mulieres consecrabantur, ut constat ex S. Clemente Romano variis in locis; nam lib. 2. *Constitutionum* inquit cap. 57. alias 61. Ostiarios mappere consuevisse ad introitum et portam virorum; Diaconissas vero ad portam mulierum, custodiae gratia, quod sane ministerium extra Ecclesiam erat. Cap. autem 15. ait, munus Diaconi fuisse ungere oleo sancto frontem mulierum, quæ baptizabantur; Diaconissarum vero abstergere, ne a viris aspicerentur. Alterius etiam muneris meminit Concilium Carthaginense quartum, Can. 12. *Viduæ, vel Sanctimoniales, quæ ad ministerium baptizandarum mu-*

lierum eliguntur, tam instructæ sint ad officium, ut possint aperto et salvo sermone docere imperitas et rusticas mulieres tempore, quo baptizandæ sunt, qualiter baptizatori interrogatæ respondeant, et qualiter accepto Baptismate vivant.

Aliud etiam munus earum erat, nempe fœminas baptizatas e baptisterio suscipere et levare, ne scilicet viris nudæ apparerent, ut observat S. Clemens, lib. 3. *Instit.*, cap. 14. et S. Epiphanius, Hæres. 79. ubi scribit: *Et ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum Ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur; verum reverentiæ gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut visitationis affectionis, aut laboris; et quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne a viris sacrificantibus conspiciatur, sed a ministrante muliere, cui præcipitur a Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipsius; ita ut ordo bonæ disciplinæ, etc. munitus sit in mensura regulæ.* Ex quo loco aliquantulum obscuro, Pamelius scholio illo 72. in librum Tertulliani *De exhortatione castitatis*, putavit, hoc ministerium Diaconissarum, ex sententia Epiphaniï, fuisse lavare corpus mulierum in balneo, et abstergere ante Baptismum. Nam Catechumenos prius lavari consuevisse, ne sordido corpore ad Baptismum accederent, tritum erat apud veteres.

Michaël autem Medina, lib. 4. *De continentia*, controversia 6. cap. 7. existimavit, hoc ministerium, ex sententia ejusdem Epiphaniï, fuisse ut balnei specie mulierum corpora inspicerent, et viderent, an essent castæ, sicut etiam aliquando fit in virginibus, de quarum integritate dubitatur, ita ut ad hanc inspectionem Diaconissæ essent etiam constitutæ, quod tamen ipse religionis fœminis indignum merito putat; hoc autem colligit ex verbis ejusdem Epiphaniï in compendiaria vera doctrina, non parum ante finem, quæ est post Hæresim 80. ubi ita scribit: *Sed et Diaconissæ constituuntur in ministerium mulierum solum propter reverentiam, si opus fuerit balnei gratia, ac visitationis, et inspectionis corporis.* Quæ sane verba nihil aliud significant, quam alia quæ citavimus ex Hæresi illa 79.

Ex his omnibus, inquit Vazquez n. 52. constat, nullas mulieres nullo tempore in Latina aut etiam Græca Ecclesia in Sacerdotissas ita fuisse ordinatas, ut offerre possent sacrificium, sicut Cataphrygæ contendebant; neque fuisse ordinatas in Episcopissas, ut alias etiam ordinare possent, aut munus aliquod proprium Episcoporum exercere; neque in Diaconissas, aut Subdiaconissas, sed ad ea munera, tam intra Ecclesiam, quam extra, quæ diximus. Ex quo inferri non licet, posse etiam fœminas ordinari in Episcopissas et Subdiaconissas ad sacrificandum, neque in ullo Ordine Ecclesiæ constitui, per quem ad Sacerdotium ascenditur, vel quo quis aliquo modo præparatur.

§ III. — QUÆNAM ÆTAS REQUIRATUR AD DEBITAM ORDINUM SUSCEPTIONEM. — Priusquam huic quæstioni faciat satis Doctor, dist. 25. q. 2. n. 3. distinguit triplicem modum suscipiendi Ordines: *primo*, debita cum reverentia, et omni dispositione convenienti: *secundo*, licite, et juxta legum et constitutionum Ecclesiasticarum præscripta: *tertio* valide quidem, licet non licite, nec debite. Quibus ita præmissis,

respondet *primo*, puerum ante usum rationis non posse suscipere Ordinem debita cum reverentia; quippe cum non sit rationis compos, nec subinde possit cum animi præparatione ac devotione convenienti ad suscipiendam in collatione Ordinum gratiam accedere. Non etiam potest licite, cum enim continentiaë votum sit annexum Ordinibus sacris, infans usu rationis nondum compos non potest ad Ordines promoveri licite, quia votum continentiaë, quod est adjunctum Ordini sacro, neque tacite, neque expresse emitti potest ante usum rationis et libertatis; siquidem votum debet esse promissio voluntaria Deo facta; quam utique promissionem emittere non potest infans rationis et libertatis usu orbatus. *Adde quod*, Ecclesiaë sanctionibus et legibus constitutum sit, ut nonnisi certa ac determinata ætate discretionis promoveri quis possit ad Ordines.

Quantum autem ad validam dumtaxat Ordinum susceptionem, conveniunt Doctores communiter, una cum S. Thoma, dist. 25. q. 1. art. 1. Bonaventura, art. 2. q. 2. et Subtili Doctore supra laudato, posse revera puerum ante usum rationis promoveri ad quemcumque Ordinem, paucis reclamantibus cum Durando, q. 2. Quæ utique assertio

Probat primo ex capit. unico *de Clerico per saltum promoti*, ubi consultus Innocentius III ab Episcopo Bononiensi, quid agendum esset circa eum, qui Sacerdotium, Diaconatu prætermisso, acceperat, minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis, respondet Pontifex conferendum esse Diaconatum, nulla facta mentione de Subdiaconatu et minoribus Ordinibus infra annos discretionis susceptis, quibus significari voluit, eos Ordines fuisse valide collatos; alioquin jussisset cum Diaconatu ipsos esse repetendos. *Deinde*, inquit Seraphicus Doctor, alia Sacramenta, in quibus character imprimitur, puta Baptismus, et Confirmatio, possunt valide, imo et licite suscipi a pueris ante usum rationis; quidni itaque similiter Ordo? *Denique*, inquit Subtilis Doctor, ad recipiendam potestatem Ordinis non requiritur. ut quis possit illius potestatis actum statim exercere; Ordo enim est gradus disponens ad ministrandum in determinato gradu Ecclesiastico: igitur potest inesse et communicari talis potestas, antequam quis aptus sit exercere actum ejusdem potestatis.

Quod utique confirmatur a simili ex cap. *Majores*, de Baptismo, ubi Innocentius III docet cum communi Theologorum sententia, quæ per Conc. Trident. probatur, infundi virtutes in Baptismo infantibus, quantum ad habitum, licet ipsi capaces non sint exercendi actus ejusmodi virtutum: igitur pari jure ipsis conferri poterit gradus, et potestas disponens ad sacrum ministerium, quamvis non sint capaces illius actus exercendi.

Probat denique Hiquæus in *Comment.* ad præfatam Doctoris quæst. n. 1. Quia, si quid obsesset, quominus infans valide posset ordinari, etiam in Episcopum, maxime quia ejus consensus requireretur, vel tamquam materia, vel tamquam forma, vel tamquam conditio necessaria ad effectum Ordinationis: sed neutrum eorum dici potest; siquidem certum est, quod materia et forma ordinationis non includat, nec exigat hujusmodi consensum. Neque etiam requiritur ut conditio, quippe talis consensus non magis prærequiritur ad susceptionem Or-

dinis, quam ad receptionem Baptismi, Eucharistiæ, et Confirmationis, quæ independenter a consensu infantium, necnon et eorum parentum, ipsis infantibus conferri posset. Quod etiam verum est de Episcopatu, ut conferri potest per consecrationem ei, cui non confertur aliqua Ecclesia in titulo; et quamvis non recipiat proximam potestatem in Corpus Christi mysticum.

Censet nihilominus Seraphicus Doctor, ad Episcopatum valide suscipiendum requiri usum rationis et libertatis; quoniam, *inquit*, ibi contrahitur matrimonium spirituale, quod utique necessario requirit consensum. *Verum* hæc ratio videtur minus efficax, utpote cum per alios etiam Ordines fiat quædam conjunctio ordinati cum Christo, ac etiam cum Ecclesia, ad cujus ministerium et famulatum ordinatus deputatur. *Adde quod*, valide consecrari possit Episcopus, etiamsi particularem non habeat Ecclesiam sibi in sponsam delegatam; ac subinde hæc ratio non impedit quominus puer æque valide possit promoveri ad Episcopatum, quam ad alios Ordines.

DICES 1: Ille solus est capax suscipiendi Ordinis, qui capax est illius acceptationis; nam in forma ipsius Ordinationis dicitur: *Accipe potestatem.* etc. sed infans non est capax illius acceptationis; hæc enim requirit consensum, cujus puer est incapax: igitur, etc. — **Nego minorem:** *tum* quia simili modo infanti, quando baptizatur solemniter dicitur: *Accipe sal sapientiæ*, et *Accipe signum Crucis Domini nostri Jesu Christi*: igitur si infans in Baptismo sit capax illius acceptationis, quidni pariter capax erit accipiendæ potestatis Ordinis? *Tum* etiam, quia potestas illa, quæ per Sacramentum Ordinis confertur, non traditur per modum contractus donationis, aut pacti, in quo requiritur voluntaria acceptatio; sed confertur per modum efficacis operationis, respectu cujus recipiens mere passive se habet, sicut et in Baptismo, in quo non solum recipit characterem et gratiam sanctificantem, sed etiam potestatem participandi bonis communibus Ecclesiæ, et recipiendi alia Sacramenta.

DICES 2: Absurdum est infantem fieri et nominari Sacerdotem et Episcopum, quippe Sacerdos et Episcopus mediator est inter Deum et homines, et destinatur ad regendam et sanctificandam Ecclesiam, quæ utique infanti competere non possunt: igitur, etc. — **Distinguo antecedens:** absurdum est et illicitum, puerum censi Episcopum et Presbyterum, quantum ad actum, *concedo*: quantum ad potestatem, *nego*. Siquidem utraque potestas conferri potest sine actu, et ab ea infans denominari potest Presbyter et Episcopus, licet nullum ejusmodi potestatis actum exercere possit; sicut dicitur rationalis, etiamsi rationis actualem usum non habeat, et appellatur fidelis ab habitu fidei sibi infuso.

DICES 3: Infans per susceptionem Ordinis transfertur ad alterum statum vitæ, puta a statu Laico ad Clericalem: sed id fieri non potest sine ejus consensu; siquidem non potest obligari præter consensum ad servandas omnes leges Ecclesiasticas Clericis præscriptas, maxime vero ad servandam continentiam sacris Ordinibus annexam: igitur, etc. — **Respondeo, negando minorem:** quia infans suscipiens Baptismum, multo magis transfertur in alium vitæ statum, cum fiat Christianus, ac subinde teneatur ad servandas omnes leges Christianis præfixas;

quam infans suscipiens Ordines, qui ad nullam novam Legem, sive continentiae, sive aliam quamcumque obligatur, quia omnis obligatio susceptioni Ordinum annexa solum ligat illos, qui voluntarie Ordines suscipiunt. Unde communis est Theologorum sententia cum Subtili Doctore in 4. dist. 37. n. 3. quod puer ante usum rationis ordinatus non teneatur ad votum continentiae, quia, inquit Doctor, *nullus tenetur ex voto ad votum factum ab alio, maxime si habet votum contrarium*. Unde Vazquez supra laudatus n. 30. cum Almaino, Soto, et aliis Theologis expresse docet, puerum sic ordinatum non solum non teneri voto continentiae, aut alia obligatione ejus, sed etiam posse renuntiare functioni Ordinum, et uxorem ducere.

Quantum autem ad praequisitam aetatem, ut quis licite ad Ordines possit promoveri, *respondeo*, varias fuisse Ecclesiae constitutiones; nam, ut patet ex Gratiano, dist. 77. cap. 1. et sequentibus, et dist. 88. cap. 1, et 3. vigesimus quintus annus praescribitur pro Diaconatu, et trigesimus pro Presbyteratu. Verum (inquit Vazquez n. 41.) Clemens V, in Concilio Viennensi, ut refertur in Clementina, *Generalem, de aetate, et qualitate ordinandorum*, pro tribus Ordinibus majoribus tempus alio modo definivit, et ad minorem aetatem Ordinationes reduxit, concessit enim, ut in decimo octavo anno ad Subdiaconatum, in vigesimo ad Diaconatum, et in vigesimo quinto ad Presbyteratum quisque promoveri posset.

De minoribus autem Ordinibus nihil statuit, neque certum tempus unquam in Ecclesia definitum fuisse video, sed illud solum in more fuisse, ut nullus, nisi post annos discretionis, ordinaretur. In cap. autem, *Nullus Episcopus, de temporibus Ordinationum in 6.* conceditur, ut infans intraturus Religionem, prima Tonsura initiari possit; per *infantem* autem intelligit Glossa, minorem septem annorum; non autem infantem nescientem loqui; hic enim non diceretur intrare Religionem, sed a parentibus offerri, ut antiquitus fieri consueverat, ex quo textu a contrario sensu colligitur, ante septimum annum non licere prima Tonsura ullum alium insigniri, ut dicitur in Rubrica Pontificalis, *de Ordinibus conferendis*.

Adde quod, in Concilio Tridentino talis qualitas assignatur pro initiando prima Tonsura, ut numquam quis ordinari possit ante decennium, quia non continget ante decennium tali qualitate ullum praeditum esse. Quinimo in Conc. Trid. in quo novissime tempus aetatis ordinandorum assignatum fuit, nulla de aetate ad minores Ordines mentio fit; sed Sess. 23. cap. 4, et 6. *De reformatione*, ubi de prima Tonsura Patres loquuntur, ex cap. eodem 6, et 11. ubi de minoribus Ordinibus sermo est, nihil de aetate ordinandi dicitur; solum autem cap. 6. definitur tempus ei, qui jam prima Tonsura fuerit initiatus, ut ante quartum decimum annum Beneficium habere nequeat.

Porro idem Concilium ibid. cap. 12., definiens aetatem competentem ac necessariam ad sacros Ordines suscipiendos, ita decernit: *Nullus imposterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea aetate constitutos, debere ad hos Ordines assumi, sed dignos dumtaxat, et quorum probata vita senectus sit, Regulares quoque*

nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

Præter defectum ætatis, sunt plures etiam alii defectus, propter quos homines arcentur ab Ordinibus suscipiendis. *Primo* namque excipiuntur *servi*, ut patet dist. 54. toto titulo de servis non ordinandis. *Ratio autem est*, inquit Doctor, dist. 15. n. 9, *quia servus est possessio domini, et ideo non debet ab eo auferri, ipso invito. Quando autem ordinatur, fit inhabilis ad quosdam actus serviles; quia si de facto fuit ordinatus, domino inscio, nec de novo consentiente, debet sibi reddi; tamen dominus non debet eum actibus dedecentibus Ordinem suum applicare; sed debet servire Domino suo in actibus decentibus statum suum.* Unde servus, contra domini voluntatem ordinatus, restitui debet domino suo, nisi sit Sacerdos, ut constat ex cap. *Ex antiquis*.

Secundo, excipiuntur spurii, et hi omnes, qui ex legitimis nuptiis non sunt procreati, ut patet *Extra de filiis Presbyterorum non ordinandis*, cap. 1, et 2. *Decet enim*, inquit Catechismus Romanus, *ut qui sacris addicuntur nihil in se habeant, quo ab aliis merito contemni ac despici posse videantur.* Aliam rationem subministrat Doctor ibidem: *Quia*, inquit, *illi præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ: tales præsumuntur etiam male morigerati, quia male educati: tamen cum eis satis faciliter dispensatur; unde Benedictus II, cum quodam tali sine dispensatione ordinato, et in Ordinibus ministrante, postea faciliter dispensavit, sicut ipse vidi bullam dispensationis.*

Tertio, arcentur corpore deformes, qui videlicet insigni aliquo corporis vitio et defectu laborant, ut manci, claudi, uno oculo orbat, etc. ut habetur *Extra de corpore vitiatis non ordinandis*, cap. *Exposuisti*, et dist. 55. cap. *Si Evangelica*, et *Extra de Clerico debilitato*. « Quod si, inquit Doctor, non sit mutilatio deformis, nec ipse fuerit « in culpa illius mutilationis, non excluditur, ut habetur dist. 55. « *Si quis a Medicis, et duobus capitibus sequentibus* ». Si autem fuerit in culpa, ut si seipsum mutilaverit, ut *ibidem* habetur, *Si quis absciderit*, cum tali vix dispensatur. Unde Nicolaus IV cum difficultate magna dispensavit cum quodam tali, quamvis Religioso. Consimiliter est dicendum de infirmitate enormi, vel non enormi.

Quarto, removentur homicidæ et viri sanguinum, necnon et sui ipsius, aut alterius hominis mutilatores, ut patet *Extra de homicidio voluntario, et involuntario*, et dist. 55. cap. ult.: *Et hoc*, inquit Doctor n. 10. *propter horrorem sanguinis effusi; unde etiam David non permisit Deus ædificare domum nomini suo, multo sanguine effuso.* Ibidem autem Doctor tria distinguit genera homicidii, nempe voluntarii simpliciter, voluntarii secundum quid, et voluntarii casualis. Voluntarium homicidium simpliciter fit quando occisio intenditur in se, vel in sua causa proxima, et inevitabili mortis, puta cum quis alium intendit occidere directe; vel etiamsi non concipiat occisionem inferendam directe, intendit tamen actionem, quæ per se est illativa mortis inevitabiliter, ut aliquem transfigere gladio, ex turri præcipitare, aut ei propinare venenum lethiferum; qui enim vult causam proximam, vult etiam effectum, quantum est ex se. Hoc autem homicidium absolute removet a suscipiendis Ordinibus, nisi, inquit Doctor, tollatur per Baptismum; quia non amplius habetur horrori jam novus

homo factus per Baptismum. Vix etiam in eo dispensari debet a summo Pontifice, et non nisi ex gravissimis et urgentissimis causis; nam de hujusmodi homicidiis ita decernit Conc. Trid., Sess. 14. cap. 7. *Cum qui per industriam occiderit proximum suum, et per insidias, ab Altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiamsi crimen id nec ordine judicario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit.*

Si autem homicidium est voluntarium secundum quid, seu, ut loquuntur Canonistæ, *ex necessitate*, censet Doctor auctorem ipsius fore irregularem, ut probat ex dist. 50. cap. *De his*. Verum hæc irregularitas sublata est per Clementinam *unicam de homicidiis*. — Si autem homicidium est casuale, et qui illud commisit dedit operam rei licitæ, et habuit debitam diligentiam in præcavendo homicidio, nullam pœnam irregularitatis incurrit, inquit Doctor; aut si aliquam incurrat, hæc facile removeri potest per Ordinarium, ut decernit Concilium Trident., loco supra laudato, ubi addit: *Si vero homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad Sacrorum Ordinum, et Altaris ministerium, et beneficia quæcumque, ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeat, committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, et probatis testibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit.*

Quinto, ab Ordinibus removentur bigami; bigamus enim, inquit Doctor, dist. 33. qu. 2. n. 2., sive ante Baptismum, sive post, est irregularis; sicut habetur expresse dist. 26. cap. 2. et cap. *Una tantum*. Porro duplicem hujus irregularitatis Doctor affert rationem: unam quidem congruitatis, aliam autem necessitatis. Congruum enim est, ut qui non potest repræsentare Christum unicum sponsum unius sponsæ Ecclesiæ, arceatur ab Ordinibus, maxime a Sacerdotio: *Sacerdos enim, inquit Doctor, n. 4. tamquam Christi Vicarius in Ecclesia repræsentans personam Christi, non debet habere aliquid repugnans Christo, in comparatione Christi ad Ecclesiam, et e converso: nunc autem Christus est unicus sponsus unius Ecclesiæ, et Ecclesia est unica sponsa unici sponsi Christi: ergo habens oppositum hujus non recte signat, vel repræsentat Christum in Ecclesia: sed bigamus, qui habuit duas, vel unam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans isti conjunctioni, et Ecclesiæ: ergo, etc.*

Causam autem necessitatis, seu cur necessario potius bigamus arceatur a suscipiendis Ordinibus, nec ejus irregularitas per Baptismum auferatur, sicut homicidæ, est, inquit Doctor, num. 7. « Statutum Ecclesiæ volentis istam pœnam remitti, et non illam. Illa autem Ordinatio Ecclesiæ rationabilis est ex hoc, quod iste homicida non est
« inhabilis ad Ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter
« quem horrorem David fuit prohibitus ædificare templum Domino 2.
« Regum, cap. 7. Iste autem horror tollitur in Baptismo, quia præ-
« supponitur, quod de lupo factus sit agnus; sicut et Paulus ante
« Baptismum persecutor, post Baptismum factus est ovis et pastor.
« Cum igitur in Baptismo cesset causa illius inhabilitatis, debet ces-
« sare etiam effectus. Sed causa inhabilitatis in bigamo ad Ordines
« non cessat in Baptismo, quia semper permanet defectus Sacramenti,

« idest, significationis, quæ requiritur in Sacerdote repræsentante per-
« sonam Christi, in comparatione ad Ecclesiam, ideo nec ibi tollitur
« effectus, nisi postea per specialem dispensationem ».

Quantum autem ad alias dispositiones prærequisitas in ordinandis, imprimis necessaria est bona fama, et intentio serviendi Ecclesiæ. Unde Trident., Sess. 23. cap. 4. *De reform.*, requirit, ut initiandus prima Tonsura sciat rudimenta fidei, legere, et scribere: et ut sit *probabilis conjectura eum non sæcularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstet, hoc vitæ genus elegisse*. Cap. vero 11. requirit, ut suscepturi minores Ordines saltem Latinam linguam intelligant, et ut scientiæ spes eos majoribus Ordinibus dignos futuros ostendat. Cap. vero 13. requirit, ut suscepturi Subdiaconatum et Diaconatum habeant bonum testimonium, et sint in minoribus Ordinibus probati, et sint litteris, ac iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi, et qui sperent se servaturos continentiam. Sed hi si sufficienter linguam Latinam intelligunt, alia quæ ad eorum officium prout jam illud exercent, spectant, vel ex ipsis Rubricis Missalis, ac Breviarii possunt sufficienter discere. Cap. vero 14. pro initiandis Sacerdotio requirit *primo*, ut habeant bonum testimonium; *secundo*, ut possint populum docere, quæ necessaria sunt ad salutem, et sciant necessaria ad Sacramenta rite administranda.

DISPUTATIO ULTIMA.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

SEPTIMUM ac postremum inter Sacramenta locum obtinet Matrimonium; non quod cæteris efficacitate ac dignitate sit inferius, quippe cum uberrimum gratiarum irriguum in conjuges ad illud debite accedentes exundet; sed forte quia ad ipsam hominum propagationem, necnon et sanctificationem animorum simul ac corporum institutum ac ordinatum esse videatur; cætera vero Legis Evangelicæ Sacramenta in animorum dumtaxat consecrationem directe colliment ac collineant.

Unum tamen est, aut alterum, in quibus hoc Sacramentum cæteris antecellit: est enim præcipuorum Religionis ac fidei Christianæ mysteriorum symbolum et repræsentatio: imprimis vero signum est castissimi fœderis et unionis Dei cum anima, quam sibi per fidem desponsare Oseas Propheta dixit, cui dotis nomine cælestia charismata, atque ipsum donorum ac honorum auctorem Spiritum sanctum largitur. Est præterea magnum Sacramentum in Christo et Ecclesia, et symbolum mystici illius conjugii, quo Christus Dominus Sanguine suo mundatam Ecclesiam, ac divinis dotibus gloriosam, sibi sponsam conjunxit. Significat insuper per intimam illam viri cum muliere conjunctionem, qua utriusque fit una caro, eximiam et singularem unionem, qua Verbum naturam humanam indissolubili vinculo sibi copulavit, qua fit ut bonorum ac malorum sit inde communio, quemadmodum inter conjuges omnia prorsus bona et mala in consortium veniunt.

Audet aliquid amplius Tertullianus, lib. *De Monogamia*, cap. 1. cum Matrimonium divinæ Trinitatis et unitatis adumbrationem esse dixit: *Unum, inquit, Matrimonium novimus sicut unum Deum; nempe sicut in Deo unitas est in multiplicitate personarum, sic quodammodo in Matrimonio erunt duo in carne una*, Gen. 2. Deus noster unus est et trinus; nec personarum trinitas unitati derogat, nec unitas essentiæ trinitatem impedit: sic in Matrimonio, *quos Deus conjunxit* (inquit eleganter S. Chrysologus, Ser. 99). *natura sociat, et facit Deus ut sit homo unus, et duo, ac duo, unus, et alter ipse homo: ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio*. Vides duos in uno, singularitatem in ambobus, et dualitatem in unitate, quemadmodum in Deo Trinitas est personarum in unitate essentiæ.

Nec certe miranda solum est conjugum unitas in conjunctione corporum; sed longe præstantior apparet in individua animorum societate. Sapienter addubitat S. Augustinus, lib. 5. *De Genesi ad litteram*, cap. 10. cur anima viri, afflatu Dei sit creata, et anima fœminæ architectata dicatur; verum dubium istud subtiliter solvit S. Basilius, Orat. 2. dum mulieris ex latere viri formationem sic delineat; *partitur corpus ut mentem coaptet, et natura una dissipatur arte formantis, ut una mens construatur ad imitationem naturæ*; itaque mulier portio viri est, nec carnem solam, sed etiam mentem cum eo videtur habere

communem, ne anima aut mens dissipet quos eadem caro conjunxit. Cum ergo tam individuae sint caro et anima conjugum, nil mirum quod nomen etiam commune videatur; ait namque Moyses Genes. 5. *Masculum et faeminam creavit eos, et vocavit nomen eorum Adam: audis virum et mulierem appellari Adam: uterque dicitur homo, non homines ambo, quasi ambo non sint plures homines, sed unus homo.*

Addere licet parum fore eandem esse utriusque carnem, animam, et appellationem, nisi etiam tere una esset sanctitas et justitia. Sanctificari debet vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis per virum fidelem, ait Apostolus 1. Cor. 7. cujus mentem explanans S. Anselmus ibidem ait, sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem quasi sanctitatis aspergine. Hinc ubi S. Lucas de Zacharia et Elisabetha dixit, erant ambo justii ante Deum, sic commentatur S. Petrus Chrysologus, Serm. 91. Ambo justii, quia ambobus erat una justitia.

Quamquam autem Tractatus de Matrimonio a plurimis Theologis praetermitti soleat, quod ad Jurisperitos et Canonistas magis, quam ad Theologos pertinere videatur; nihilominus ne quid desit Subtilis Doctoris explicandae et elucidandae doctrinae, ea, qua caeteras ejus theologicas lucubrationes, methodo delineavimus, praesentem de Matrimonio Disputationem explicandam auspicamur tribus in sequentibus Articulis, quorum *primus* erit de Matrimonio secundum se: *secundus* de sponsalibus, seu dispositionibus praeviis ad ejus celebrationem: *tertius* de ejusdem impedimentis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

MATRIMONIUM generatim spectatum duplicem rationem obtinet: alteram quatenus est naturae officium; alteram quatenus est Ecclesiae Sacramentum. Priori modo consideratur ut est contractus civilis in officium, et debitam propagationem humanae naturae institutus; posteriori vero prout est Sacramentum a Christo Domino institutum ad mutuam conjugum sanctificationem, quatenus filios sancte ac pie procreare et educare valeant. Juxta quam utramque considerationem distinctae occurrunt difficultates in hoc Articulo proponendae et solvendae, quarum *prima* aperiet quid sit Matrimonium secundum se: *secunda*, utrum sit verum novae Legis Sacramentum: *tertia*, quae sit ejus materia, forma et Minister: *quarta*, quomodo sit indissolubile.

QUAESTIO PRIMA.

QUID SIT MATRIMONIUM GENERATIM SPECTATUM, ET IN QUO PRAECISE AC FORMALITER CONSISTAT.

NOTANDUM 1. Contractum et conjunctionem viri cum muliere ad debitam et licitam filiorum procreationem et educationem, variis nominibus appellari: *primo* namque dicitur Matrimonium a *matre*; quia, inquit S. Augustinus, lib. 19. *Contra Faustum: non ob aliud debet femina nubere, quam ut mater fiat: potius autem a matre, quam a patre nuncupatur, quia ut dicitur cap. 2. De Conversione infidelium, mater in prole suscipienda et educanda plus operis et oneris impendit;*

unde Canonistæ Matrimonium quasi *matris munium* interpretantur, eo quod fœmina munus habeat educandi prolem, quam nonnisi per maximos dolores genuit et parturivit. *Vel*, ut alii explicant, Matrimonium dicitur, quasi *Matrem muniens*; quia per contractum matrimonialem uxor virum obtinet in sui munimentum, tutelam, ac defensionem. Appellatur etiam *Conjugium* a *conjunctione*, eo quod diversi sexus personæ sub eodem veluti jugo perpetuæ societatis et confœderationis in omnibus junguntur. Vocatur etiam *Connubium*, vel *Nuptiæ*, quia mulier per illud sub viri potestate constituitur, et quasi velo obnubitur; unde in solemnitate desponsationis conjuges velamine teguntur, dum benedictionem nuptialem accipiunt; quam utique cœremoniæ nonnulli colligunt ex cap. 20. Genesis, ubi legimus, quod cum Abimelech Saram, quam existimabat Abrahæ sororem, sibi in uxorem duxisset, propter quod a Deo correptus, eam Abrahæ uxorem agnoscens, marito suo reddit: *Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes, qui tecum sunt, et quocumque perrexeris, memento te deprehensam*. Ex quibus colligere licet, Saram antea solutis crinibus et aperta facie, more virginum, incedere solitam: quare, ut non amplius virgo, sed uxor appareret, pecuniam ejus viro dedit Abimelech ad emendum velamen, quo ipsa more mulierum cooperiretur, ne aliquis alius ipsam ut Abrahæ sororem existimans, in uxorem sibi vellet assumere.

NOTANDUM 2. Ex Subtili Doctore, dist. 26. n. 26. Matrimonium tripliciter accipi posse: *primo quidem* pro vinculo, quo invicem conjuges constringuntur, quodque nihil aliud est, quam relatio mutuæ obligationis, seu dominii, et servitutis, qua hinc inde corpora traduntur, et uterque conjugum potestatem habet in corpus alterius in ordine ad finem contractus Matrimonialis. *Secundo*, sumitur Matrimonium pro ipso contractu in fieri, ex quo vinculum illud exurgit tamquam ejus effectus. *Tertio* tandem, sumitur pro Sacramento, seu signo sensibili causante gratiam; « seu, ut loquitur Doctor *ibidem*, aliud est Matrimonium, et aliud contractus Matrimonii, et aliud Sacramentum Matrimonii. Matrimonium est illa obligatio mutua, vel vinculum illud, de quo dictum est in prima conclusione principali. Contractus autem est ille actus mutuus voluntatum, de quo dictum est in secunda conclusione principali. Sacramentum est signum efficax gratiæ comitans actum illum, de quo Sacramento dictum est in tertia conclusione principali. Et patet distinctio istorum per se. *Primum* enim est permanens in animabus conjugum, et est relatio tantum realis extrinsecus adveniens; vel, quod verius videtur, relatio rationis, quia nihil est sibi, nisi dominium novum, et nova servitus per novam commutationem; sed dominium tale, vel servitus nihil reale ponit in domino, vel servo. *Secundum* etiam tantum est in fieri, et est actio, vel passio interior vel exterior; vel magis constans ex actibus interioribus et exterioribus duarum personarum; et habet se istud ad Matrimonium primo modo dictum, sicut causa in fieri, quemadmodum generatio ad paternitatem; vel magis, sicut baptizari, vel ordinari ad characterem, sicut patet supra. *Tertium* autem simpliciter est in fieri, et simul est, et non est cum primo, et ideo non semper manet cum secundo ». Ita Doctor. Alii vero Theologi in

Matrimonio septem distincta considerant: *primum* quidem, contractuentium consensum; *secundo* externum contractum, sive signa, quibus internus contractus exprimitur; *tertio* mutuam corporum traditionem per eum contractum internum et externum expressam; *quarto* vinculum quoddam ex illo utroque contractu ortum ducens, quo invicem conjuges constringuntur, ita ut neuter alteri, vivente sua comparte, possit nubere; *quinto* jus cujusque conjugum in alterum; *sexto* obligationem mutuam ad reddendum debitum; *postremo*, usum et consummationem Matrimonii. Quæritur autem in quonam ex his præcise ac formaliter ratio Matrimonii consistat.

NOTANDUM 3. Matrimonium tripliciter considerari posse, seu triplex distingui, nempe legitimum, ratum, et consummatum: *Legitimum* dicitur, quod legitimo tantum consensu contrahitur, quale fuit in lege naturæ, et Mosaica, quale pariter illud, quod initur inter infideles, quod cum non sit Sacramentum, et per conversionem alterius conjugis ad fidem possit dissolvi, dicitur non esse ratum, quia non habet illam tantam insolubilitatem, quam habet illud, quod est verum Sacramentum. *Ratum* igitur dicitur, quando præter rationem contractus, ad mutuam corporum traditionem ordinati, habet etiam Sacramenti dignitatem et efficacitatem; nondum tamen est copula carnali consummatum. *Tertio* tandem *Matrimonium consummatum* dicitur, quod jam mutua conjugum carnali copula perfectum est. Porro hæc in Quæstione dumtaxat sermo est de Matrimonio priori modo accepto, de quo præcipue duo sunt statuenda: *primum*, utrum Matrimonium sit res bona, et licita; *secundum*, in quo consistat ejus ratio formalis.

Conclusio prima. — * “ MATRIMONIUM EST RES LICITA, BONA AC SANCTA. Hæc est adversus Marcionem, Enekratitas, Manichæos aliasque pestes; et

Locupletissimis Scripturæ Sacræ testimoniis evincitur. Primo quidem offerunt se ipsa Christi Domini verba, Matth. XIX: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, hominem et feminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Quæ verba suo voluit confirmare facto et exemplo Joann. 2. ubi manifeste probavit bonum esse et licitum usum et institutum nuptiarum* * , quippe cum eas sua, ac Deiparæ Matris et Discipulorum præsentia, necnon et primo miraculorum suorum cohonestare voluerit. Idipsum clarissime testatur Apostolus 1. Cor. 7. *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem; et si acceperis uxorem, non peccasti, et si nupserit virgo, non peccavit. Et iterum: Quod vult faciat, non peccat, si nubat. Ac demum illud apertam nuptiarum commendationem continens: Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit. Et illud Hebr. 13. *Honorabile conjugium in omnibus, et torus immaculatus. Idem Apost. Ephes. 5. in tantum extollit nuptias, ut in iis agnoscat magnum Sacramentum, quod est in Christo et Ecclesia. De quo infra agetur. Et 1. Timoth. 2. De muliere, dicit, quod salvabitur per filiorum generationem, videlicet in statu conjugali. * “ Et ad Timoth. 4. Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent**

quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinæ dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere.

Probat secundo auctoritate **SS. Patrum**, et primo quidem S. Clementis Alexandrini, lib. 3. *Stromatum*. *Intemperantiam, inquit, et fornicationem diabolica vitia et affectiones nos quoque confitemur. In moderato autem matrimonio intercedit consensus, et ad precationem continentes deducens, et ad procreandos liberos cum honestate concilians. Cognitio quidem a Scriptura dictum est tempus liberorum procreationis, cum dixit: cognovit Adam Evam uxorem suam, et concepit, et peperit filium, et nominavit nomen ejus Seth: suscitavit enim mihi Dominus aliud semen pro Abel. Vides quemnam maledictis incessant, qui honestam ac moderatam incessunt seminationem, et diabolo attribuunt generationem. Et infra: Si autem peccatum est matrimonium quod est ex lege, nescio quomodo quis dicet se Deum nosse, dicens Dei jussum esse peccatum. Quod si lex, lex sancta est, sanctum est matrimonium. Subjungit et alia ibidem in eundem scopum, multa que alia lib. 2. *Pædagogi*. — Profligat eundem errorem Tertullianus, lib. 1. *Contra Marcionem*, cap. 29. *Non fingitur apud illum, inquit, caro, nisi virgo, nisi vidua, nisi calebs, divortio baptisma mercata.... sine dubio ex damnatione conjugii institutio ista constabit. Videamus an justa, non quasi destructuri felicitatem sanctitatis, idest. cœlibatus et continentia, ut aliqui Nicolaitæ assertores libidinis atque luxuriæ; sed qui sanctitatem sine nuptiarum damnatione noverimus, sectemur, præferamus, non ut malo bonum, sed ut bono melius. Non enim projicimus, sed deponimus nuptias: nec præscribimus, sed suademus sanctitatem, servantes et bonum, et melius pro viribus cujusque sectando. Tunc denique conjugium exerte defendentes, cum inimice accusatur spurcitia nomine, in destructionem Creatoris, qui proinde conjugium pro rei honestate benedixit, in integros et bonos usus. Non ideo autem et cibi damnabuntur, quia operosius exquisiti, in gulam committunt; nec vestitus ideo accusabuntur, quia pretiosius comparari in ambitionem tumescunt. Sic nec matrimonii res ideo despiciuntur, quia intemperantius diffuse in luxuriam inardescunt. Demum probat ibidem, Deum nuptias non prohibuisse. Quomodo enim, inquit, salvum volet hominem, quem vetat nasci, de quo nascitur auferendo, puta matrimonium? Quomodo habebit in quo bonitatem suam signet, quem esse non patitur? Quomodo diligit, cujus originem non amat? Timet forsitan redundantiam sobolis, ne labore plures liberando? etc. Et lib. 2. *Ad Uxorem*, cap. 9. *Unde sufficiamus, inquit, ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet? Quale jugum fulelium duorum unius spei, unius voti, unius discipline, ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conserri, nulla spiritus carnis discretio, quin vere duo in carne una. — Matrimonii sanctitatem pluribi vindicat S. Augustinus, sed præsertim lib. *De bono conjugali*, cap. 7. *Conjugalis concubitus generandi gratia, non habet culpam; concupiscentia vero satiandæ, sed tamen cum conjugate venialem habet culpam: adulterium vero seu fornicatio lethalem habet culpam: ac per hoc melior est quidem ab omni concubitu continentia: sed quia continentia illa majoris meriti est: reddere vero debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi****

necessitatem, culpæ venialis, fornicari vero vel machari puniendi criminis: cavere debet charitas conjugalis, ne dum sibi quærit unde amplius honoretur, conjugii faciat unde damnetur. Et lib. 1. De Nuptiis et Concupiscentia, cap. 11. triplex matrimonii bonum memorat, quod in conubio S. Josephi et Deiparæ Virginis agnoscit. *Omne itaque nuptiarum bonum, inquit, impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium.* — Honestatem nuptiarum impugnantes damnavit Synodus Gangrensis, Can. 1. *Si quis, inquit, vituperat nuptias, et dormientem cum viro suo fidem uxorem detestatur; aut culpabilem æstimat, velut quæ in Regnum Dei introire non possit, anathema sit.* Et Can. 9. *Si quis vel virginitatem, vel continentiam professus, tamquam abominabiles nuptias judicat, et non propter hoc solum, quod continentia et virginitatis bonum sit sanctumque propositum, anathema sit.* Et Can. 14. *Si quæ mulier virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias execrans, anathema sit.* — Eundem errorem feriunt verba Innocentii I, ad Probum, Epist. 9. *Statuimus, inquit, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod erat primitus gratia divina fundatum, conventumque secundæ mulieris, priore superstite. nec divortio ejecta, nullo pacto posse esse legitimum.* — Idem definit S. Leo, Epist. 92. ad Rusticum Narbonensem: *Cum societas, inquit, nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi et Ecclesiæ Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur fuisse nuptiale mysterium.* — His adde et quære auctoritatem S. Hieronymi in *Comment.*, ad cap. 5. Epist. ad Ephes., et S. Bernardi, Serm. 65. in *Cantica.* *

Eandem veritatem probat Doctor, dist. 16. quadruplici ratione: primo quidem, quod marem et femina indissolubiliter jungi ad procreandam prolem, religioseque educandam, sit actus honestus ex circumstantia finis, necnon et boni prolis, familiæ, ac civitatis. « Nam, inquit n. 5., vaga conjunctio est contra bonum prolis, quod « est finis hic intentus, necnon et contra bonum familiæ, et contra « bonum civitatis. *Primum probatur*, quia proles non religiose edu- « caretur, tum ex parte parentum; quia non haberent determinatam « notitiam suæ prolis, saltem pater; et ita non esset sollicitus suæ « proli debitam impendere disciplinam; nec e converso proles patri « debitam reverentiam, et timorem filialem, propter quem timorem « filius magis obedit Patri, et magis ab eo disciplinam recipit, quam « ab alio. *Secundum probatur*, quia bonum familiæ consistit in aliqua « firma adhæsiōne principalium personarum familiæ, alias esset bonum « vagum; et propter hoc dicit Philosophus 8. *Ethic.* quod homo natu- « raliter est animal conjugale et domesticum. Nec etiam aliquæ per- « sonæ diligentiam adhiberent circa necessaria sibi mutuo, et proli: « ergo, etc. *Tertium probatur*; quia amicitia civium, ut plurimum, est « ex determinata propinquitate in certo gradu: sed ibi nulla esset « propinquitas nova certa, quæ esset causa amicitia: ideo propter ista « recte reprehendit Aristoteles politica Socratis 3. *Polit.*, quia pro « statu naturæ lapsæ, multo melior est illa, quam ipse ordinat, et « pro omni statu fuisset contra rectam rationem vaga conjunctio maris

« cum femina. Ista etiam circumstantia satis patet ex creditis per
 « Scripturam sacram; nam Genes. 2. dicitur: *Erunt duo in carne una.*
 « Et Christus idem dicit Matth. 19. et Apostolus 1. Corinth. 7. *Unus-*
 « *quisque suam uxorem habeat, propter vitandam fornicationem.* Et
 « esto quod ista determinatio non probaretur per rationem naturalem
 « esse simpliciter necessariam, ita quod ejus oppositum repugnat ma-
 « nifeste rationi naturali, saltem hæc affirmativa satis patet secundum
 « rationem naturalem, scilicet, *quod honestum est personas sibi invicem*
 « *esse determinatas ad actum istum.* Sequitur alia circumstantia, sci-
 « licet, quod *personas istas sibi invicem ad istum finem vinculo indis-*
 « *solubili obligari, honestum est.* Hæc probatur ex præcedenti, quia
 « determinatio ad commorandum, et mutuo serviendum, valet ad de-
 « bitam proles educationem, et ad bonum familiæ et civitatis, multo
 « magis ad hoc valet perpetua adhæsiō determinatarum personarum
 « ad invicem: non autem perpetuo adhærerent sibi, propter multas
 « occasiones et displicentias occurrentes, nisi ad talem adhæsiōnem
 « essent sibi invicem vinculo indissolubili obligatæ.

Probat secundo Doctor ex eo, quod « honestum sit, marem et
 « feminam sibi mutuo voluntarie tradere potestatem suorum corporum
 « pro usu perpetuo, ad debite procreandam prolem, et religiose edu-
 « cendam »; quod utique duobus momentis demonstrat: « primo, quod
 « hæc traditio debeat esse voluntaria, et per mutuum consensum;
 « quia, *inquit, cum hic contractus debeat esse indissolubilis, conve-*
 « *nientius est, ut fiat ex mutua contrahentium voluntate, quam ex*
 « *impositione et mandato alicujus legislatoris; quia ex quo obligatio*
 « *debet esse indissolubilis, expedit quod modus, quo fit, sit conveniens*
 « *indissolubilitati ejus: sed si cogerentur a Legislatore sibi invicem*
 « *conjungi, minus placerent sibi mutuo, et ita esset major occasio*
 « *dissensionis futuræ; quia sic dicitur 20. quæst. 3. Præsens, quod*
 « *quis non eligit, profecto non diligit: quod autem non diligit, facile*
 « *contemnit* ». Quod autem hæc donatio fieri debeat per contractum
 mutuæ donationis, sic probat: « Contractus, *inquit, est quasi simul*
 « *tractus duarum voluntatum, et per consequens necessario requirit*
 « *actus voluntatum concordēs in translatione mutua corporum, sicut*
 « *in permutationibus, et conditionibus communiter accidit. Nec hoc*
 « *sufficit, sed oportet istos actus per aliqua certa signa mutuo exprimi;*
 « *alioquin neutri constaret de actu voluntatis alterius; et neuter vult*
 « *transferre, nisi pro quanto concepit alium velle in ipsum transferre.*
 « Si ergo ex præcedenti conclusione expedit illos obligari per proprias
 « voluntates, et non sine signis expressis: ergo expedit ibi esse con-
 « tractum, ex quo nascitur illa obligatio; sed contractus ille non potest
 « esse, nisi mutuæ donationis vel permutationis (quod idem est) pote-
 « statis corporum pro usu perpetuo ad istum finem; nam potestatem
 « sui corporis, quæ sua est, nullus transfert in alium, nisi per actum
 « voluntatis suæ; quia per illum fit dominus, et desinit esse dominus,
 « et sic facit alium dominum; et per consequens illud, quod alius
 « acquirit in corpore alterius, transfertur in ipsum per actum volun-
 « tatis libere transferentis, et hoc cum signo extrinseco evidenti, in
 « quo habetur ratio contractus prædicti. Forma istius contractus est:
 « *Do, si des, vel, do, ut des* ».

Probat tertio Doctor, num. 9. ex eo quod Deus mutuat illam traditionem corporum approbaverit, imo etiam præceperit. Quod approbare debuerit, probat n. 10. hac ratione: « Nullus, *inquit*, potest rem « alterius dominii alteri obligare, nisi de consensu vel approbatione « illius, cujus est: sed corpus cujuscumque est Dei, jure creationis: « ergo nullus potest transferre illud in dominium alterius, nisi in « quantum Deus approbat; ergo si translatio est honesta ad istum « finem, ut patet ex prima et secunda conclusione principali, sequitur, « quod congruum est Deum istam translationem corporum approbare ». Quod autem etiam præcipere debuerit, ibidem demonstrat: « Quia, « *inquit* n. 9., nulli obligarent se communi obligatione, saltem difficili, « nisi ad hoc esset aliquid adstringens, vel sicut lex naturæ, vel sicut lex « positiva divina, vel humana. Lex enim naturæ, etsi obliget ad indis- « solubilitatem vinculi prædicti, præmisso tali contractu; tamen non « lex naturæ evidentissima, sed secundo modo dicta: illud autem, « quod non erit de lege naturæ, nisi secundo modo, non est omnibus « manifestum: ergo expedit necessitatem illius præcepti a lege posi- « tiva divina determinari ». *Ita Doctor*: quibus verbis duo significat: *primum*, quod, ut dixerat n. 7. lex naturæ sumitur duobus modis: « Nam, *inquit*, propriissime de lege naturæ est principium practicum, « per se notum, et conclusio demonstrative descendens ex tali prin- « cipio; secundario autem de lege naturæ est verum evidenter con- « sonum talibus principiis et conclusionibus, licet non necessario « sequens ». *Secundum*, quod lex naturæ hoc solo posteriori modo ac- « cepta obliget ad indissolubilitatem vinculi Matrimonii. Addit n. 9. « Esto etiam, quod ad hoc obligaret præceptum Legis naturæ primo « modo dictæ, puta principium practicum manifestum, vel conclusio, « adhuc expediret ponere ad hoc præceptum divinum; quia minus « obediunt homines soli Legi naturæ, quam Deo præcipienti; quia « minus timent et reverentur conscientias proprias, quam auctori- « tatem divinam. Nec expedit determinationem istam primo modo fieri « a Lege positiva humana; quia Leges positivæ humanæ variæ sunt « apud diversos: ista autem indissolubilitas debet esse uniformis apud « omnes ».

Tandem concludit Doctor, num. 18. Matrimonium fuisse a Deo præceptum, et institutum Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis; et Crescite, et multiplicamini*. Et post lapsum Genes. 3. *Multiplicabo conceptus tuos. et ærumnas*, dixit Dominus Evæ. Et Genes. 9. *Crescite, et multiplicamini*. Et est institutio per modum præcepti affirmativi, ita quod obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis; non tantum in principio, sed adhuc videtur eodem modo obligare, si paucitas in filiis ex aliqua causa accideret, puta ex bello, peste, vel clade, et hujusmodi. Et hoc probat quomodo iste contractus est a Deo per Legem positivam divinam institutus; et etiam aliter est ab ipso, scilicet ut imprimente Legem naturæ cordibus hominum; de qua Lege naturæ est iste contractus, licet non primo, nec ut necessarium notum, tamen ut secundario consonum. *Ita Doctor*.

DICES: Matrimonium hominem revocat a Cœna cælesti, et gloria æterna consequenda, juxta illud Lucae 14. *Uxorem duxi, ideo non possum venire*. Deinde Apostolus ad Rom. 8, ait: *Qui in carne sunt,*

Deo placere non possunt. Quem utique textum S. Hieronymus, lib. 1. *contra Jovinianum* intelligit de iis, qui carnali vinculo Matrimonii constricti sunt. *Denique* Matrimonium, saltem post lapsum, videtur res inhonesta; tum ex turpitudine, quæ necessario actui ejus conjungitur; tum ex Apostolo, qui 1. Corinth. 7. exhortans ad continentiam, dicit, se hortari ad id, quod honestum est. Ex quo apparet Matrimonium Apostolo non esse honestum; ac subinde nulla est præfata assertio. — **Nego consequentiam,** et ad *primum antecedens* dico, his parabolæ verbis significari quidem impedimenta, quibus conjugati sæpe abstrahuntur a rerum divinarum cogitatione. Nam, ut ait Apostolus 1. Corinth. 7. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Quod tamen non fit vitio conjugii, quod per se sanctum est, sed culpa hominum, qui carnaliter se mutuo amant, quem carnalem amorem introduxit transgressio primorum parentum. *Ad secundum* dico, Apostolum illis verbis significare eos, qui vivunt secundum carnem, non autem secundum spiritum. S. Hieronymus autem suo instituto sententiam Apostoli accommodans, non aliud vult, quam conjuges, dum carnali operi vacant, non posse simul vacare orationi et rebus divinis. Id quod etiam Apostolus significat 1. Corinth. 7. monens conjuges, ne fraudent invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacent orationi. *Ad tertium denique* dico, Matrimonium secundum se, et ex sua institutione ac proprio fine, semper honestum et sanctum esse, etiam post lapsum; accidit autem ex peccato, ut actui ejus conjuncta semper sit turpitudine libidinis, quæ tamen in ipsum Matrimonium non redundat, nisi forte ex mala contrahentis intentione. Sensus autem Apostoli est, cum hortari ad id, quod honestius est, et melius, quodque facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi, idest, ad statum continentiae. Nam, ut paulo post subjicit: *Qui non jungit virginem suam Matrimonio, melius facit.* Quam utique solutionem approbat S. Augustinus, lib. *De bono viduitatis*, cap. 8. ubi ait: *Nuptiarum bonum semper quidem bonum: sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium. Filiorum quippe procreationi operam dare non canino more per usum promiscuum feminarum, sed honesto ordine conjugali, non est in homine improbandus affectus, et ipsum tamen laudabilius transcendit, et vincit cælestia cogitans animus Christianus.*

Ex his apparet, virum et mulierem invicem honeste Matrimonio posse copulari variis de causis, quas luculenter explicat Catechismus Romanus *De Matrimonio* n. 15. his verbis: *prima* est hæc ipsa diversi sexus naturæ instinctu expetita societas, mutui auxilii spe conciliata; ut alter alterius ope adjutus, vitæ incommoda facilius ferre, et senectutis imbecillitatem sustentare queat. *Alter* est procreationis appetitus, non tam quidem ob eam rem, ut bonorum et divitiarum hæredes relinquatur, quam ut veræ fidei et Religionis cultores educantur: quod quidem maxime sanctis illis Patriarchis, cum uxores ducerent, propositum fuisse ex sacris Litteris satis apparet. Quare Angelus cum Tobiam admoneret, quo pacto mali dæmonis vim posset repellere, ostendam, *inquit*, tibi, qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium; ii namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se,

et a sua mente excludant, et suæ libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Deinde subiecit: accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris. Atque una etiam hæc causa fuit, cur Deus ab initio Matrimonium instituerit; quare fit, ut illorum sit scelus gravissimum, qui Matrimonio juncti, medicamentis vel conceptum impediunt, vel partum abigunt; hæc enim homicidarum impia conspiratio existimanda est. *Tertia* est, quæ post primi parentis lapsum ad alias causas accessit, cum propter justitiæ, in qua homo conditus erat, amissionem, appetitus rectæ rationi repugnare cœpit, ut scilicet, qui sibi imbecillitatis suæ conscius est, nec carnis pugnam vult ferre, Matrimonii remedio ad vitanda libidinis peccata utatur; de quo ita Apostolus scribit: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat.* Ac paulo post, cum docuisset, interdum orationis causa a Matrimonii debito abstinendum esse, subiecit: *Et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Hæ igitur sunt causæ, quarum aliquam sibi proponere quisque debet, qui pie et religiose, ut Sanctorum filios decet, nuptias velit contrahere. Quod si ad eas causas aliæ etiam accedant, quibus homines inducti Matrimonia ineant, atque in habendo uxoris delectu, hanc illi præponant, ut hæredis reliquendi desiderium, divitiæ, forma, gentis splendor, morum similitudo, hujusmodi sane rationes damnandæ non sunt, cum Matrimonii sanctitati non repugnent: neque enim in sacris Litteris Jacob Patriarcha reprehenditur, quod Rachelem, ejus pulchritudine illectus, Liæ prætulerit. *Ita Catechismus.*

* “ **OBJICIES:** quod secundum indulgentiam dumtaxat conceditur, non secundum imperium, bonum non est, siquidem indulgentia culpam supponit quæ condonetur: sed Matrimonium concedit Apostolus secundum indulgentiam dumtaxat, non secundum imperium 1. ad Cor. 7. ergo Matrimonium bonum asseri non debet. — **Respondeo negando minorem,** non enim, ut S. Augustinus notat lib. *De bono conjugali*, cap. 10. nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissime dici, non eas peccasse, quibus venia datur? sed illum concubitum, secundum veniam concedit, qui sit per incontinentiam, non sola causa procreandi, sed etiam aliquando nulla causa procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignosci impetrant. Si tamen non ita sit nimius ut impediatur, quæ seposita esse debent, tempora orandi, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam, concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis, et solus ipse nuptialis est. Ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, non rationi sed libidini obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere conjugii, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conjugalem. Si autem ambo tali concupiscentiæ subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum, verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt quod honestum quam quod inhonestum est, id est quod est nuptiarum, hoc eis, auctore Apostolo, secundum veniam conceditur, ejus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non a se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus

ut orationibus vacent, et per hanc ab continentiam sicut per jejunia, commendent preces suas; vel immutando naturalem usum in eum qui est contra naturam, quod damnabilius sit in conjugate. Et cap. 13. quod ergo præcipiunt conjugatis Apostoli, hoc est nuptiarum; quod autem venialiter concedunt, aut quod impedit orationes, non cogunt nuptiæ, sed ferunt. Et lib. *De nuptiis et concupiscentia*, cap. 14. ubi ergo venia danda est, aliquid esse culpæ nulla ratione negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges, dum se non continent debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? Quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. Quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia et illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se.

INSTABIS: Quod non potest esse absque libidine, peccatum est: sed nuptiale commercium non potest esse absque libidine: ergo peccatum est: ergo et Matrimonium ipsum est peccatum. — **Respondeo 1. negando ultimam consequentiam;** verum enim Matrimonium esse potest absque commixtione sexuum; quibus enim placuit, ex consensu, ab usu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imo firmiter erit quo magis ea pacta secum inierint, quæ charius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis affectibus animorum, inquit S. Augustinus, lib. 1. *De nuptiis et concupisc.*, cap. 10. quod exemplo S. Joseph et Deiparæ Virginis probat, quos inter verum conjugium intercessit. **Respondeo 2. distinguendo minorem:** si non possit esse absque libidine dominante, *concedo:* si non possit esse absque libidine serviente, *nego.* Porro nuptiale commercium sine libidine dominante esse potest. Unde S. Augustinus, cap. 12. libri mox laudati, negat illud esse peccatum, si fiat intentione generandi, quia bona voluntas animi sequentem ducit, non ducentem sequitur corporis voluptatem, nec humanum arbitrium trahitur subjugante peccato, cum juste redigitur in usum generandi plaga peccati. Hujus plagæ quidam pruritus in adulteriorum et fornicationum, et quorumlibet stuprorum atque immunditiarum fœditatibus regnat: in connubiorum vero necessitudinibus servit. Ibi de domino tali turpitudine damnatur; hic de pedissequo talis honestas verecundatur. Non est igitur hæc libido nuptiarum bonum, sed obscœnitas peccantium lasciviarum ardor, nuptiarum pudor. Et cap. 17. in nuptiis tantum bona nuptialia diligentur, proles, fides, Sacramentum... carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. Non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accidens malum. Et cap. 7. libidinem a nuptiarum bono discernendam esse probat exemplo primorum parentum. *Quod enim,* inquit, *illi postea propagatione fecerunt, hoc est connubii bonum; quod vero prius confusione texerunt, hoc est concupiscentiæ malum, quod vitat ubique conspectum, et quærit pudendo secretum. Proinde nuptiæ, quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur: quia vero sine illo fieri non potest, erubescunt: tamquam si quispiam pede vitiato ad aliquod bonum claudicando perveniat, nec propter claudicationis malum, mala est illa perventia,*

nec propter illius perventionis bonum, bona est illa claudicatio. Ita nec propter libidinis malum, nuptias condemnare; nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus.

URGEBIS: Libido frequentius dominatur conjugatis: ergo nuptiæ peccati proxima sunt occasio; adeoque malæ censendæ sunt. — **Respondeo, distinguo antecedens:** vitio conjugum, concedo: vitio nuptiarum, nego. Porro, ut ait S. Augustinus, lib. *De bono conjugali*, cap. 14. *quid sit nuptiarum considerandum est, non quid nubentium et immoderatus nuptiis utentium. Neque enim si agris inique ac perperam intrasis ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque si alius ruri paterno vel juste quæsito avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet; nec vituperabilis ordo regie potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque injusta potestate juste velle uti, et aliud est justa potestate injuste velle uti. Ita nec concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, justum faciunt concubinatum suum; nec conjugatæ, si cum maritis lasciviant, nuptiali ordini crimen imponunt.*

INSTABIS iterum: fons originalis peccati malus est: sed peccatum originale ex nuptiis et nuptiali commercio velut ex fonte derivatur: ergo nuptiæ malæ sunt. — **Respondeo, nego minorem,** nam ut ait S. Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis et Concupisc.*, cap. 1. *natos non ex bono, quo bonæ sunt nuptiæ, sed ex malo concupiscentiæ, quo bene quidem utuntur nuptiæ, de quo tamen erubescunt et nuptiæ, reos diaboli parvulos tenet. Itaque, inquit idem Pater, ita nuptiarum bonum malo originali, quod inde trahitur, non potest accusari, sicut adulteriorum et fornicationum malum bono naturali, quod inde nascitur, non potest excusari. Nam sicut peccatum, sive hinc, sive inde a parvulis trahatur, opus est diaboli: sic homo sive hinc, sive inde nascatur, opus est Dei. Intentio igitur hujus libri hæc est, ut quantum nos Dominus adjuvare dignatur, carnalis concupiscentiæ malum, propter quod homo, qui per illam nascitur, trahit originale peccatum, discernamus a bonitate nuptiarum. Hæc enim, quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo ante peccasset: nuptiæ vero essent, etiamsi nemo peccasset. Fieret quippe sine isto morbo seminatio filiorum in corpore vitæ illius, sine quo nunc fieri non potest in corpore mortis hujus. Lege caput 21. ejusdem libri.*

OBJICES 2. Ex Apostolo ad Corinth. 17. dicente: *melius est nubere quam uri. Quod sic accipiendum est, inquit Tertullianus, lib. De Castitatis exhortatione, cap. 4. quomodo melius est uno oculo quam duobus carere. Si tamen a comparatione discedas, non erit melius unum oculum habere, quia nec bonum. Igitur nec bonum est absolute nubere. — Respondeo, Apostolum his verbis non innuere quod nuptiæ malæ sint cum continentia comparatæ, sed quod minus bonum sint. Qua de re S. Augustinus, lib. *De bono conjugali*, cap. 8. præclare ait: *Non ergo duo mala sunt connubium et fornicatio, quorum alterum est pejus; sed duo bona sunt connubium et continentia, quorum alterum est melius: sicut ista temporalis sanitas et imbecillitas non sunt duo mala, quorum alterum pejus, sed ista sanitas et immortalitas duo bona sunt, quorum**

alterum melius. Item scientia et vanitas non duo mala sunt, quorum vanitas pejus; sed scientia et charitas duo bona sunt, quorum charitas ut melius. Tertullianus porro locum Apostoli male interpretatus ibi est, in transversum actus errore Montanistarum, ad quos jam defecerat, hic enim liber unus ex iis est, quos contra Ecclesiam scripsit. Quamquam nec absolute nuptias malas esse asseruit, quas potius propugnavit, per se optimas, (ut constat ex probationibus) sed alteras tantum nuptias malas esse secundum Montani dogma pugnaviger defendit, ut ex antecedentibus et consequentibus perspicuum est.

OBJICIES 3. Quod purificationem postulabat in lege, peccatum est: sed nuptiale commercium purificationem postulabat in lege, Levit. 15. ergo peccatum est: ergo et nuptiæ malæ sunt. — **Respondeo**, *nego majorem*, hic enim purificationis ritus ad aliud significandum imperatus est, non ad conjugalis actus vitium aliquod immundum, si sit absque libidine dominante. *Nam sicut multa lex ponit in Sacramentis, et umbris futurorum, inquit S. Augustinus, lib. De bono conjugali. cap. 20. quædam in semine quasi materialis informitas, quæ formata carnis hominis redditura est, in significatione posita est vite informis et ineruditæ: a qua informitate quoniam hominem oportet hominem doctrinæ forma et eruditione mundari, in hujus rei signum illa purificatio præcepta est. Præterea, numquid et mori peccatum est? inquit S. Augustinus, aut mortuum sepelire, non etiam bonum opus humanitatis est? et tamen purificatio etiam inde mandata est: et quia et mortuum corpus vita deserente, peccatum non est, sed peccatum significat animæ desertæ a justitia.*

OBJICIES 4. Ex Apostolo ad Galatas VI-8: *qui seminat in carne, de carne metet corruptionem*: in carne autem seminat qui mulieri jungitur: ergo et is qui uxore utitur et seminat in carne ejus, de carne metet corruptionem: nuptiæ igitur malæ sunt. — **Respondeo** ad hoc argumentum Tatiani Enekratitarum principis cum S. Hieronymo in *Comment. cap. 6. Epist. ad Galatas*, hæc Apostoli verba nullatenus nuptias spectare. Non enim dixit Paulus: *qui seminat in carne*, sed *in carne sua*: nemo autem secum ipse concumbit et in sua carne seminat. Deinde, ut observationem hanc, quam annotavimus, *in carne sua*, ex abundanti ei concedimus, addendum est eos quoque qui comedant, et bibant, et dormiant, et aliquid faciant ob refrigerium corporis, juxta illum seminare in carne et de ea metere corruptionem. Quod si ad hoc confugerit, ut dicat, eos qui sive bibant, sive manducant, sive dormiant, in nomine tamen Domini omnia cum ratione perficiant, non in carne seminare, sed in spiritu; et nos ei similiter respondebimus, eos quoque qui Dei primam rationem sequantur, cum ratione facientes, *crescite et multiplicamini, et replete terram*, non in carne, sed in spiritu seminare. Syllogismus itaque ejus inutilis est et caducus, sophismate primum decipit audientem. Cæterum diligenter inspectus facile solvitur; neque enim possumus dicere Abraham, Isaac et Jacob, et alios sanctos viros, qui de repromissione nati sunt, ipsum quoque Domini præcursores, quia in carne natus est, de corruptionis germine pullulasse. * ✱

Conclusio secunda. — MATRIMONIUM FORMALITER ET PRÆCISE CONSISTIT IN MUTUO CONJUGUM VINCULO. Hæc est conformior menti Doctoris, imo etiam doctrinæ Concilii Tridentini; nam Sess. 24. cap. 1. *De Reformatione*, et sequentibus, Matrimonium sumit pro ipso vinculo, quo invicem conjuges constringuntur. Eam pariter sententiam tuetur S. Thomas, in 4. dist. 27. qu. 1. art. 2. Et

Probatur primo: In eo formaliter consistit Matrimonium, quo posito, illud ipsum ponitur, et quo ablato, tollitur: sed posito vinculo illo, quo utriusque conjugis animi junguntur, ponitur Matrimonium, et eo sublato aufertur: ergo Matrimonii essentia in ejusmodi vinculo consistit. *Major patet ex communi axiomate*, quo utuntur Philosophi ad inquirendas rerum essentias. *Minor vero probatur: tum* quia Matrimonium est constans ac perpetua juris ac domini utriusque conjugis in alterutrum possessio; nam, ut dicit Apostolus 2. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit... et mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir; neque vir habet sui corporis potestatem, sed mulier:* sed nihil est in Matrimonio permanens præter ipsum vinculum, ut constat ex discussione singulorum, quæ in Matrimonio reperiuntur; cætera namque consistunt in actionibus transeuntibus, et quibus ablati non minus verum Matrimonium perseverat, ut singula discutienti facile patebit. *Tum* quia id habet veram et formalem rationem Matrimonii, quod repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut docet Apostolus ad Ephesios 5. ubi cum dixisset: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*, etc. statim subdit, *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico: in Christo, et in Ecclesia.* Sed solum vinculum insolubile conjugatorum exprimit et significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut docet S. Augustinus, lib. *De Bono Conjugali*, cap. 7. 18. etc. ubi ideo ait, tam esse insolubile vinculum Matrimonii inter fideles, cum prius non esset tam arctum, quia est Sacramentum insolubile conjunctionis Christi cum Ecclesia: igitur, etc. *Tum denique*, quia vinculum Matrimonii quædam præcedunt, quædam autem subsequuntur: sed neque præcedentia, neque consequentia sunt ipsa ratio formalis Matrimonii; quia illis positis, per impossibile vel possibile, sine vinculo, non esset verum Matrimonium; nam consequentia vinculum sunt jus exigendi, et obligatio reddendi debitum, et ipse usus Matrimonii. At non modo usus Matrimonii, sed etiam jus petendi, et obligatio reddendi debitum, possunt tolli per solemnem professionem alterius, consentiente altera parte; vel utriusque vel per votum simplex, aut utriusque, aut alterius de consensu conjugis; aut per divortium, et separationem tori legitimam, ad servandam castitatem ambobus conspirantibus; aut per morbum perpetuum, vel fornicationem alterius: ergo in his non consistit essentia Matrimonii. Præcedentia vero vinculum sunt mutuus consensus, contractus exterior, et traditio corporum: sed consensus, et contractus possunt esse aliquando sine vinculo, et Matrimonio, cum vel alter, vel uterque contrahentium est inhabilis ad contrahendum ex impedimento dirimente. Traditio vero corporum, etsi non potest esse vera et realis sine vero vinculo, eam partim antecedente, partim immediate sequente; tamen traditio desinit, transacto actu reddendi; Matrimonium autem non desinit usque ad mortem alterius conjugis.

Confirmatur, et magis explicatur præcedens ratio: si Matrimonium essentialiter in alio quam in vinculo consisteret, maxime vel in consensu et contractu, vel in aliis jam dictis: at in neutro horum consistit. Non quidem in utriusque conjugis consensu, sive actu contrahendi: *tum* quia Concilium Florentinum, in decreto unionis Armenorum, aperte significat, consensum illum esse causam efficientem Matrimonii: *Causa efficiens*, inquit, *Matrimonii regulariter est mutuus consensus, per verba de præsentibus expressus*; subindeque talis consensus non importat rationem formalem Matrimonii; causa enim formalis intrinseca est, efficiens vero prorsus extrinseca, et præsupponitur ad suum effectum: igitur Matrimonium est quidpiam distinctum, et posterius mutuo consensu interno, et externo contractu; quippe cum nihil sit causa efficiens sui ipsius. *Tum* quia hujusmodi actus, nempe mutuus consensus utriusque conjugis, et actualis traditio suorum corporum, deficiunt et prætereunt, Matrimonio perseverante, ut effectum a causa realiter distincto.

Nec valet reponere, quod licet actualis consensus transierit; tamen virtualiter, ac moraliter perseverat consensus habitualis, in quo Matrimonium consistit. Hoc, inquam, non obstat, tametsi enim conjuges primum suum consensum retractent; nihilominus in eos Matrimonium perseverat, cum tamen in eis non permaneat habitualis consensus, utpote qui per subsequentem dissensum revocatus sit.

Neque etiam ratio formalis Matrimonii consistit in mutuo jure unius cujusque conjugis in alterum; nec in mutua obligatione ad reddendum debitum, multo minus in ipsa Matrimonii consumatione: *tum* quia tale jus, et obligatio cessant vel per alterius conjugis adulterium, vel per ingressum in Religionem ex mutuo consensu, manente tamen Matrimonii consummati vinculo: *tum* quia multi ex communi consensu abstinuerunt a carnali copula, qui nihilominus fuerunt veri conjuges, ut S. Elzearius cum sancta Delphina, et S. Henricus Imperator, qui in conjugio perpetuam virginitatem servavit: *tum denique*, quia Beatissima Virgo verum contraxit Matrimonium cum S. Josepho, ipsius virginitatis gloria permanente: igitur a sufficienti enumeratione partium, exclusis cæteris, superest, ut Matrimonium ipsum consistat in illo vinculo, quo formaliter conjuges summa necessitudine invicem astringuntur. Cum autem duplex sit illud vinculum: alterum spirituale, quod ex solo consensu oritur; alterum carnale, quod provenit ex copula, quod ad prius confertur, illudque corroborat, atque confirmat, unum cum eo efficitur: consequens est quod in hoc perfecto et consummato vinculo posita sit omnis Sacramenti vis, et ratio formalis.

DICES 1: Nullum ex Sacramentis novæ Legis, præter Eucharistiam, consistit in esse permanenti, sed dumtaxat in actione transeunte: igitur Matrimonium non consistit in vinculo maritali, resultante ex mutuo conjugum consensu, et ad alterutrius mortem perseverante. — **Distinguo antecedens**: quoad fieri, *concedo*: quoad factum esse, *nego*. Fateor equidem, quod Matrimonium, quantum ad causam efficientem, seu in fieri, sit in aliquo transeunte, nimirum in mutuo consensu conjugum; attamen si spectetur ejus quidditas et ratio formalis, quantum ad id, quod est res et Sacramentum simul, illud consistit in aliquo perseverante et permanente, scilicet in vinculo ex mutuo

conjugum consensu oriundo. Unde etiam hac ratione negari potest *antecedens*.

DICES 2: Sacramentum est formaliter aliquod signum sensibile: sed vinculum illud inter conjuges perseverans non est quid sensibile: igitur ratio formalis Matrimonii in ipso vinculo non consistit. — **Distinguo majorem**: quatenus est Sacramentum dumtaxat, *concedo*: quatenus est Sacramentum, et res Sacramenti simul, *nego*. Non enim necessum est, quod id quod est res Sacramenti simul, et Sacramentum, sit aliquid sensibile per se; alioqui adorandum Christi Domini Corpus in Eucharistia non haberet veram et perfectam rationem Sacramenti; sed sufficit, quod fuerit sensibile in sua causa; qua ratione Matrimonium dici potest signum sensibile, quia verba, seu nutus, exprimentia consensum internum, sunt sensibilia, et causæ prædictæ unionis, seu vinculi conjugalis.

DICES 3: In eo præcise consistit Matrimonii ratio formalis et essentialis, quod assumitur a Deo tamquam instrumentum ad causandam gratiam sanctificantem conjuges: sed vinculum illud conjugale non assumitur ad talem gratiam causandam; cum enim semper perseveret, sequeretur quod ad ejus præsentiam Deus continuo gratiam in animas conjugum produceret: igitur, etc. — **Respondeo ad majorem**, id quidem verum esse de signo sensibili, quod habet dumtaxat rationem Sacramenti; non autem de eo, quod est res et Sacramentum simul; nec enim necessum est, quod Sacramenta concurrant ad productionem gratiæ per suam quidditatem, seu per id, quod est res et Sacramentum simul, seu in facto esse; sed sufficit, quod illam conferant per suam causam efficientem, super id quod habet tantum rationem Sacramenti; ac subinde sufficit, quod in Matrimonio mutuus conjugum consensus, qui est causa efficiens illius Matrimonii, et habet tantum rationem Sacramenti, assumatur ad causandam gratiam in animis conjugum; maxime cum, ut diximus, Sacramenta novæ Legis non concurrant ad productionem gratiæ physice, sed tantum moraliter.

EX HIS COLLIGE, Matrimonium generatim sumptum recte definiri a Jurisconsultis et Canonistis post Alexandrum III, cap. *Illud de præsumptionibus: Matrimonium est maris, et femine conjunctio, individuum vitæ consuetudinem retinens*; vel, ut ait Magister, in 4. dist. 27. cap. 1. *Matrimonium est viri, mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas, individuum vitæ consuetudinem retinens*. Dicitur autem, *viri, mulierisque conjunctio*, ad differentiam conjunctionis militum sub uno Duce, et subditorum sub uno Principe. Additur, *maritalis*; quia cum Matrimonium ordinetur ad prolem gignendam, necessum est, quod illa conjunctio fiat inter marem et feminam. Sequitur, *inter legitimas personas*, hoc est, non habentes impedimentum dirimens; non enim omnis vir cum qualibet femina potest Matrimonium contrahere; maxime si alteruter sit impotens ad generandum. Cætera adduntur ad exprimentum finem Matrimonii, cujus proprium est, ut referatur ad genus propagandum, atque ad hoc præstandum, ut ejus vinculum minime cæterorum contractuum more dissolvatur.

Aliam non multum absimilem, nec minus perspicuam Matrimonii *in facto esse* definitionem tradit Doctor dist. 26. n. 17. his verbis: *Matrimonium est vinculum indissolubile inter marem et feminam, ex*

mutua translatione potestatis corporum suorum sibi invicem facta ad procreandam prolem debite educandam. Quæ definitio optima est, quia datur per causam formalem, dum dicitur, *vinculum indissolubile*; per materialem, dum dicitur, *inter marem et fœminam*; per efficientem, dum dicitur, *ex mutua translatione*, et tandem per finalem, dum additur, *ad procreandam prolem*. Ideoque exacta et completa est definitio, velut data per omnia quatuor causarum genera. Itaque essentia Matrimonii, ut est quid permanens, consistit in vinculo illo perpetuæ obligationis, seu juris dominii mutui inter marem et fœminam, quod ex contractu translationis ortum est, et mutua corporum traditione; unde, quando dicimus essentiam Matrimonii hoc modo sumpti consistere in ratione vinculi, idem est ac dicere, quod consistit in ratione perpetui juris utriusque conjugis in alterutrum, quod vice versa in utroque perpetuam importat subjectionem et ligamen.

Si vero consideretur Matrimonium *in fieri*, seu quatenus est contractus, recte pariter a Doctore definitur his verbis: *Contractus Matrimonii est maris et fœminæ mutua translatio corporum suorum, pro usu perpetuo, ad procreandam prolem debite educandam.* Quæ pariter definitio optima est, quatenus Matrimonium consideratur in fieri; quippe per eam contractus matrimonialis a quovis alio distinguitur. Dicitur namque *translatio*, in quo tamquam in genere convenit cum quocumque alio contractu, et distinguitur a quocumque, quod non est contractus; quilibet enim contractus fundatur in *do ut des*: mutua autem translatio explicat hanc mutuam dationem omni contractui communem. *Corporum suorum* designat materiam hujus contractus, ut a cæteris secernitur; *maris et fœminæ* personas contrahentes significat, quia alii non sunt capaces hujusmodi contractus; reliquæ tandem particulæ usum et finem hujus contractus explicant: ergo hæc definitio est bona, quia translatio tenet locum generis, ea autem quæ transferuntur dicto modo, scilicet pro usu perpetuo, et ad prædictum finem, scilicet ad procreandam prolem, sunt differentiæ translationis eam contrahentes ad hanc speciem contractus. Tertio definit quatenus est Sacramentum, *Sacramentum Matrimonii est expressio certorum verborum maris et fœminæ ad se invicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debite procreandam, ex institutione divina efficaciter significans gratiam conferendam, mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum gratiosam.* Quæ definitio patebit ex dicendis.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM, ET QUANDO MATRIMONIUM HABUERIT DIGNITATEM ET EFFICACITATEM SACRAMENTI.

NOTANDUM 1. Omnes Catholicos ultro consentire, quod Christus Dominus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit, relicta prorsus intacta ejus natura; unde eadem causæ constituunt Matrimonium, quatenus est homini quid naturale, hoc est, ex naturali inclinatione proveniens, illæ ipsæ constituunt Sacramentum. Verum reclamant omnes illi, qui nuptias a dæmone, et minime licitas esse dixerunt, quibus facem præbuit Saturninus Simonis Magi discipulus;

qui, ut docet S. Irenæus, lib. 1. *contra hæreses*, c. 21. et 22. et Augustinus, lib. *De hæresibus*, cap. 1., suadebat hominibus vagum concubitum, dicens Matrimonium non a Deo, sed a diabolo esse inventum. Cujus errorem innovavit Tatianus, ut scribit idem S. Irenæus, c. 39. necnon et Adamiani, qui, teste S. Justino, Hæresi 31. aversabantur nuptias, asserentes non futurum usum nuptiarum in statu innocentiae, eo quod Adamus antequam peccasset, et ejectus esset de Paradiso, non cognovisset uxorem suam. Eundem errorem tribuit S. Hieronymus, lib. 1. *contra Jovinianum*, Marcionistis, et Manichæis; licet enim Manichæi nuptiis uterentur, docebant tamen vitandam esse generationem, ne, inquiebant, divina substantia, hoc est anima corpori alligaretur; ac proinde damnabant verum usum nuptiarum, quæ ordinantur ad debitam filiorum procreationem et educationem. Hi, *inquam*, antiquiores hæretici, ex falso suo principio, et erronea de Matrimonio doctrina, etiam negare debuerunt, esse Sacramentum gratiæ a Christo institutum. — At hanc eandem Catholicam veritatem hisce posterioribus sæculis aperte impugnaverunt Lutherus, lib. *De Captivitate Babylonica*, cap. de Matrimonio; et Calvinus, lib. 4. *Institutionum*, c. 19. n. 34. et sequentibus, ubi postquam pluribus verbis impugnavit Catholicam de Sacramento Matrimonii doctrinam, concludit n. 37. *Igitur ne simpliciter Ecclesiam luderet, quam longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum seriem uni errori attexerunt? ut dicas nihil aliud, quam abominationum latebram quæsiisse, dum e Matrimonio Sacramentum fecerunt.* His aliqua ex parte consentire videtur Durandus, in 4. dist. 26. quæst. 3., ubi quamvis dicat hæresim manifestam esse, negare Matrimonium esse Sacramentum, quia id definitum est in capite *Ad abolendam*, de hæreticis; affirmat tamen esse æquivoce Sacramentum cum aliis sex, eo quod non conferat gratiam suscipientibus, et ita non sit signum gratiæ sanctificantis, sed habeat dumtaxat rationem Sacramenti, quatenus est signum rei sacræ, videlicet conjunctionis Christi cum Ecclesia. Itaque nobis incumbit hac in Quæstione probare, Matrimonium habere veram, et perfectam rationem Sacramenti.

NOTANDUM 2. Quod cum Matrimonium institutum fuerit in statu innocentiae, idque *vel* quando Adamus conspiciens Evam ex suo latere procreatam, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, ut docet S. Bonaventura, dist. 26. art. 1. quæst. 2. *vel* quando dixit Deus Adamo et Evæ: *Crescite, et multiplicamini*, etc. ut existimat *Subtilis Doctor*, ibidem, qu. 1. *vel*, ut volunt alii cum Majore, prædictum fuit illis verbis, *Non est bonum hominem esse solum*; benedictum autem illis, *Crescite, et multiplicamini*, initum vero illis, *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Cum, *inquam*, Matrimonium fuerit institutum in statu innocentiae, et vigerit in Lege naturæ, et Mosaica, controvertitur apud Theologos, utrum et in quibus eorum statuum dignitatem et efficacitatem Sacramenti obtinuerit. Nonnulli enim Catholici hæreticis ita adversantur, ut existiment Matrimonium esse quidem Sacramentum, non tamen a Christo in nova Lege, sed a Deo initio mundi institutum, quando nimirum primos nostros parentes in Paradiso conjunxit. Ita docuit Henricus Angliæ Rex adhuc Catholicus in assertionem septem Sacramentorum, contra Lutherum, et Roffensis in de-

fensione illius, et Albertus Pighius, controversia 10. Alphonsus de Castro verbo *Nuptiæ*, Petrus Soto, lib. *De Institutione Sacerdotum*, et Catharinus in opusculo *De Matrimonio*, qu. 3. 4. et 5. affirmans in statu innocentiae, etiamsi Adamus non peccasset, Matrimonium futurum Sacramentum, conferens gratiam. Cæteri vero Doctores in contrariam sententiam abeunt, affirmantes Matrimonium esse Sacramentum a Christo Domino tantum in Lege Evangelica institutum.

NOTANDUM 3. Sacramentum Matrimonii dupliciter considerari posse, nempe vel in fieri, vel in facto esse. Si consideretur *in fieri*, tota ejus essentia, *inquit* Arcudius, lib. 7. cap. 2. sita est in ratione contractus. Natura vero contractus ejusmodi est, ut unus exhibeat aliquid, alter acceptet. Si quid horum desit, nihil valet contractus. Unde si quis largiatur aliquid alicui, illo non acceptante, nihil valet donatio. Si itaque mulier tradiderit viro suum corpus per verba de præsentis, et vicissim vir mulieri suum, et invicem acceptaverint, statim oritur Matrimonium. Igitur Christus Dominus hujusmodi actus dandi et acceptandi ad excellentiam Sacramenti extulit; ita ut producant gratiam sacramentalem, sintque causa et signum illius. Quippe Sacramentum est rei sacræ signum. Si autem Sacramentum Matrimonii consideretur jam celebratum, et *in facto esse*, tota ejus ratio formalis et essentialis sita est in ipso vinculo Matrimoniali, quod sane vinculum Christus Dominus ad eminentiam Sacramenti sublevavit; unde a Theologis communiter dicitur res et Sacramentum. Res quidem, quia est effectus Sacramenti in fieri; Sacramentum vero, quia vinculum illud immediate respicit et producit gratiam; Sacramentum autem in fieri mediate tantum, hoc est, mediante vinculo; posito enim vinculo, statim producit gratia, quemadmodum in Sacramentis relinquentibus characterem, character est res, et Sacramentum: res tamquam effectus Sacramenti, Sacramentum tamquam qui immediate efficit gratiam. Neque tamen hic duo Sacramenta intelligimus, alterum in fieri, alterum in facto esse; sed unum et idem sub diversa consideratione. *Ita Arcudius.*

Quibus præmissis, duo supersunt determinanda: *primum*, quod Matrimonium sit verum et proprie dictum Sacramentum: *secundum*, quod rationem, et dignitatem Sacramenti in sola Lege Evangelica a Christo obtineat.

Conclusio prima. — MATRIMONIUM EST SACRAMENTUM PROPRIE DICTUM. Hæc est de fide, determinata et distincte tradita in Concilio Florentino in Decreto Eugenii pro instructione Armenorum, ubi Matrimonium inter septem novæ Legis Sacramenta computatur. Censet ergo Matrimonium cum aliis sex habere veram et perfectam rationem Sacramenti. Idem definitur in Concilio Tridentino, Sess. 24. cap. 1. his verbis: *Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter novæ Legis Sacramenta unnumerandum, sancti Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Et Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque conferre gratiam, anathema sit.* Demum Concilium Senonense sub Clemente VII, anno 1528. celebratum, c. 39.

hæc habet: *Sane cum Matrimonium a Deo rerum omnium conditore in Paradiso, et in statu innocentiae institutum fuerit, sitque, teste Apostolo, Sacramentum, proinde cum magna reverentia ac devotione suscipiendum, utpote in quo, sicut et in reliquis Sacramentis, gratia confertur.* Quibus verbis, non solum docet Matrimonium, sicut et reliqua novæ Legis Sacramenta, conferre gratiam, sed etiam verba illa Apostoli: *Sacramentum hoc magnum est,* de Sacramento stricte et proprie sumpto interpretatur. In quo etiam sensu Tridentinum, capite supra citato, eadem Apostoli verba intelligere videtur, ut patet ex verbis istis, quæ ante supra adducta ibidem habet: *Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis Passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit, dicens: Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea; mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia.*

Nec valet reponere, prædicto Apostoli testimonio non Matrimonium, sed conjunctionem Christi cum Ecclesia vocari *magnum Sacramentum,* sive arcanum, ac subinde nomen Sacramenti ibi sumi, non quidem pro signo rei sacræ, sed pro ipsa re sacra. Non valet, inquam, nam cum Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia,* pronomen hoc referri debet ad id, quod proxime præcesserat; nihil autem præcesserat de conjunctione Christi cum Ecclesia, sed tantum de Matrimonio viri et mulieris, videlicet: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una: ergo, etc.* Quod insuper constat ex proposito et fine intento ipsius Apostoli; siquidem scopus ipsius ibi est suadere viris, quod suas uxores diligere debent, sicut Christus dilexit Ecclesiam. Porro ad id suadendum nihil omnino conducebat, quod conjunctio Christi cum Ecclesia sit magnum Sacramentum; bene tamen quod Matrimonium, seu conjunctio viri cum muliere, sit Sacramentum, non solum quatenus est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, sed quatenus est signum illius conjunctionis, quæ fit per charitatem et gratiam; siquidem in eo capite Apost. ait: *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret;* ac subinde ibi de Sacramento loquitur, quatenus est signum gratiæ sanctificantis, ideoque cum Matrimonium appellet *Magnum Sacramentum,* eo quod sit repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, usurpat nomen *Sacramenti* proprie dicti; ut enim Matrimonium hanc unionem Christi cum Ecclesia fieri per charitatem significet, necessum est, quod illa conjunctio viri cum muliere, quæ fit in Matrimonio, sit signum efficax gratiæ sanctificantis in ipsis conjugibus invicem unitis.

Nec pariter obstat quod Subtilis Doctor, dist. 26. n. 12. scribat: « Diceret aliquis, quod illud ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico: in Christo, et in Ecclesia,* intelligitur de Sacramento extense accepto, pro signo sacræ rei; cujus tamen non est causa, nec signum aliquod efficax; non enim est Matrimonium si-
gnum efficax respectu conjunctionis Ecclesiæ ad Christum, sed si aliquo modo est signum efficax, ita potest esse votum virginitatis
signum conjunctionis Ecclesiæ virginis ad Christum ». *Ita Doctor.*

Verum hoc, ut dixi, non officit; siquidem Doctor id non profert ex propria sententia, nec assertive, sed solum ad refellendam eorum sententiam, qui Matrimonii Sacramentum volebant fuisse institutum Genes. 2. cum Adamus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc.

Probari potest etiam Conclusio ex constanti et perpetua Ecclesiæ doctrina et traditione; quæ colligitur, tum ex eo, quod Matrimonium in locis sacris tamquam res sacra, et sacris ritibus ac cæremoniis celebrari consuevit, ut colligitur ex Tertull., lib. 2. *Ad uxorem*, ubi ait: *Unde sufficiunt ad emerendam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignant Angeli?* hoc est, Sacerdotes sponsas benedicentes post celebrationem Sacrificii. Cujus etiam ritus meminit S. Ambrosius, Epist. 70. ubi contra Matrimonia inita cum alienigenis, et alterius Religionis, ait: *Nam cum ipsum conjugium velamine Sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest conjugium duci, ubi non est fidei concordia?*

Quapropter S. Evaristus, Epist. 1. quæ est ad omnes Episcopos Africanos, cap. 2. affirmat, hanc esse traditionem ab Apostolis, et eorum Successoribus acceptam, quod sponsus et sponsa benedictionem a Sacerdote acciperent. Hinc Syricius Papa, Epist. 1. quæ est ad Himerium Tarraconensem, cap. 4. ubi postquam prohibuit, ne puella uni desponsata alteri tradi possit, rationem hanc subdit: *Quia, inquit, illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Si autem Matrimonium non esset res sacra, quantumvis conjuges a Sacerdote benedicerentur, nullum sacrilegium committeret, qui relicta priori uxore, alteri se jungeret in Matrimonium.

Insuper idem apertius constat ex oraculis SS. Patrum et Pontificum, qui distincte profitentur, gratiam esse annexam Matrimonio, et illud esse Sacramentum, cum cæteris Sacramentis novæ Legis computandum. Sic S. Ambrosius, lib. 1. *De Abrahamo*, cap. 7. *Cognoscamus*, inquit, *reliqui præsullem, custodemque conjugii esse Deum, qui non patitur alienum torum pollui, quod qui fecerit, quia peccat in Deum, cujus gratiam solvit. Sacramenti cælestis amittit consortium.* Similiter S. Cyrillus Alexandr., lib. 2. *In Joan.*, cap. 22. assignans rationem, cur Christus nuptiis Canæ Galilææ interesse voluerit, ait: *Ut natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret, oportebat certe qui totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solum natis jam hominibus benedicere, verum etiam nascituris gratiam præparare, ut aditum illorum ad hanc vitam, et auctoritate miraculi, et præsentia sua sanctum faceret.* Quid autem aliud est nascituris gratiam præparare, nisi conjugibus ad procreandam prolem et pie ac religiose educandam gratiam conferre? Unde Innocentius I., Epist. 9. statuit Matrimonium vivente priori uxore contractum esse nullum, et primum Matrimonium approbans ait: *Statuimus. fide Catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat gratia fundatum.* Non autem alia ratione conjugium gratia fundatum asserere potuit, nisi quia cum Sacramentum esset, gratiam contulisset.

Non desunt etiam congruentiæ, quæ hanc veritatem suadeant; nam, inquit Doctor, dist. 26. n. 11. « Contractui Matrimoniali congruum est annecti collationem gratiæ, quia contractus prædictus est

« difficilis, cum ex eo nascatur obligatio valde difficilis, ejus diffi-
 « cultas conjuncta est honestati, ut probatum est prius: ad honestum
 « autem et difficile, congruum est gratiam conferri ». Ita Doctor;
 quibus verbis significat, congruum fuisse gratiam adjungi Matrimonio,
 propter infirmitatem naturæ, ut videlicet hoc divino auxilio fulsa et
 roborata, omnes ex Matrimonio difficultates oriundas sustinere posset,
 et convenientem illi statui virtutem sectari. *Addi potest*, quod si ad
 gignendos filios spirituales, peculiarem gratiam Christus contulerit
 Sacerdotibus novæ Legis, quam antiquæ Legis Sacerdotibus non con-
 tulerat, quidni simili ratione contulisset gratiam conjugii ad filios
 carnales debite gignendos et pie educandos? *Denique*, cum Deus in
 necessariis non deficiat, cumque Christus Dominus, Matth. 19. abro-
 gato libello repudii, Matrimonium voluerit esse prorsus indissolubile,
 et poligamiam in Lege Evangelica proscriptam esse voluerit, conve-
 niens fuit, ut Matrimonio gratiam adjungeret, ad superandas difficulta-
 tes, quæ ex omnimoda indissolubilitate et perpetua monogamia orientur;
 alioquin si Christianorum Matrimoniis talis deesset gratia, matrimo-
 niale jugum in Lege Evangelica longe gravius ac durius esset, quam
 in Lege Mosaica; in hoc enim viris licitum erat per libellum repudii
 uxorem indomitam et corruptis moribus effrænem dimittere, vel alte-
 ram cum ipsa ducere; neutrum vero licet in Evangelica Lege; quippe
 cum repudii libellum simul ac poligamiam Christus abrogaverit.

Triplicem aliam congruentiæ rationem profert Seraph. Doctor,
 dist. 26. art. 2. q. 2. ubi demonstrat Matrimonium in nova Lege non
 solum esse in remedium concupiscentiæ, sed etiam triplicem conferre
 gratiam correspondentem triplici bono ex Matrimonio oriundo. « Nunc
 « tempore Legis novæ, *inquit*, Matrimonium non tantum præstat re-
 « medium, sed etiam aliquod gratiæ donum digne suscipientibus, ut-
 « pote his, qui ex charitatis consensu uniuntur ad procreandam prolem
 « ad divinum cultum. Ratione enim expressionis consensus in indi-
 « viduam consuetudinem vitæ, et ratione benedictionis Ecclesiæ, cujus
 « est Sacramenta Ecclesiæ debite tractare, sublevatur anima a corru-
 « ptione concupiscentiæ inordinata, et datur gratia ad copulam sin-
 « gularem, et ad copulam utilem, et ad copulam inseparabilem. Et
 « ex hac gratia fit remedium contra triplicem inordinationem con-
 « cupiscentiæ, et nascitur triplex bonum Matrimonii. Concupiscentia
 « enim inclinatur ad multas, quia luxuriosus non est una contentus;
 « et in Matrimonio datur gratia homini, ut soli uxori velit conjungi;
 « et ita pronitas ad multas excluditur per copulam singularem. Con-
 « cupiscentia etiam inclinatur ad delectationem, non ad utilitatem: quia
 « luxuriosus non quærit nisi satisfactionem appetitivæ, seu appetitus
 « sensitivi. Datur ergo gratia in Matrimonio, ut non recognoscat uxo-
 « rem, nisi propter prolem; et ita excluditur delectatio appetitivæ per
 « copulam utilem. Item, concupiscentia fastidium generat post imple-
 « tionem. Unde luxuriosus postquam cognovit unam, illam respuit,
 « et vadit ad aliam. In Matrimonio vero datur gratia, ut semper velit
 « esse cum una; et ita excluditur variarum concupiscentia per copulam
 « inseparabilem. Ex copula singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam
 « non accedat. Ex copula utili bonum prolis. Ex copula inseparabili
 « bonum Sacramenti ». *Hæc Doctor Seraphicus.*

OBJICIUNT PRIMO HÆRETICI: Unum Sacramentum non pugnat cum alio: sed Matrimonium pugnat cum Sacramento Ordinis; siquidem qui sacris Ordinibus initiati sunt, Lege Ecclesiastica a Matrimonio arcantur: igitur non est Sacramentum. — **Distinguo minorem:** pugnat cum Sacramento Ordinis, absolute, et ratione sui, *nego*; nam in Ecclesia Græca etiam Sacerdotes uxores servant, et conjugati in Presbyteros ordinantur. Pugnat ratione status, quem inducit, quique minus recte cum Matrimonio convenit, *concedo*. Cum enim Sacerdotes novæ Legis debeant toti Deo vacare, idcirco conveniens fuit, ut arcerentur a Matrimonio, cujus munia magnum functionibus Sacerdotalibus forent impedimentum; nam, inquit Apostolus 1. ad Cor. 7. *Qui cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. At, ut idem Apostolus ait 2. ad Timoth. 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*

Adde quod, cum Sacerdotes novæ Legis non solum sacris ministeriis tractandis assidue deputentur, sed etiam ad contrectandum Christi Domini sacratissimum Corpus, hinc est, inquit Syricius Pontifex, Epist. ad Himerium Tarraconensem Episc. quod omnes Sacerdotes, atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut a die Ordinationis nostræ sobrietati, ac pudicitie, et corda nostra mancipemus, et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quæ quotidie offerimus, sacrificiis placeamus: qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Non quod velit S. Pontifex, eos, qui legitimis conjugiiis utuntur, Deo displicere, et revera peccatores effici, ut perperam fingit Calvinus, et Kemnitius; sed tantum significat, illos qui ad uxores legitime etiam accedunt, non posse ea pollere conscientie integritate, quæ Sacerdotes novæ Legis Virginis filium, et ipsum Virginem, atque totius puritatis fontem attrectantes, et immolantes deceat. Unde S. Hieronymus, lib. 1. Contra Jovinianum, n. 21. expendens verba illa Abimelec Sacerdotis ad Davidem: Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, ut scilicet permitterentur edere de panibus propositionis, subdit: Panes enim propositionis, quasi Corpus Christi, de uxorum cubilibus consurgentes edere non poterant.

OBJICIUNT 2. Nullum Sacramentum absque simoniae labe conferri potest cum pacto de certa pecunia numeranda pro ejus administratione et collatione: sed fit pactum de pecunia numeranda pro ineundo Matrimonio inter futuros conjuges: igitur non est verum et proprie dictum Sacramentum. — **Distinguo minorem:** tale pactum initur pro contrahendo Matrimonio, quatenus est Sacramentum, *nego*: quatenus est contractus civilis inter personas, quæ conveniunt invicem, et paciuntur ad subeunda mutuo onera Matrimonii, *concedo*. Unde licet pecunia non possit dari vel accipi pro Matrimonio, quatenus est præcise Sacramentum, potest tamen pro contractu civili, ut videlicet conjuges oriunda ex Matrimonio onera facilius sustinere possint.

OBJICIUNT 3. Sacramenta novæ Legis maxime producant gratiam, dum perficiuntur et consummantur: sed ita non est de Matrimonio. *Probatur:* copula carnalis est pars ac consummatio Matrimonii: sed absurdum est asserere, quod gratia conferatur per illam copulam: tum quia vix, ac fere nusquam ea potest exerceri sine peccato, saltem veniali: tum etiam, quia, ut dicitur cap. Connubia, 32. q. 1. qui de-

sumptus est ex Origene, Hom. 6. in Numeros, *Non datur presentia sancti Spiritus ei, qui officio generationis obsequitur: igitur Matrimonium non est Sacramentum proprie dictum.* — **Nego minorem:** licet enim Matrimonium habeatur ratum et consummatum per copulam carnalem, tamen hæc non est ejus pars essentialis, ita quod sine ipsa verum Matrimonium tam in ratione contractus, quam in ratione Sacramenti subsistere non possit: perficitur enim essentialiter a utroque conjugum consensu debite facto et expresso, ut significat S. Ambrosius, lib. *De Institutione Virginis*, cap. 6. his verbis: *Defloratio virginitatis non facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Et S. August., lib. 33. *Contra Faustum*, cap. 8. ait, inter B. Virginem et S. Joseph verum fuisse conjugium, *non concubitu, sed affectu; non commixtione corporum, sed copulatione, quod est charius, animorum.* Et lib. 2. *De consensu Evangelistarum*, cap. 1. dicit: *Hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata consensu continentia, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Idem docet S. Chrysostomus, seu Auctor imperfecti operis in Matth. et habetur cap. *Omnis res: Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.* Isidorus, lib. 9. *Etymolog.* cap. 7. ut habetur, cap. *Conjuges eodem: Conjuges, inquit, verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus.* Et insuper S. August., *De Nuptiis et Concupiscentia*, lib. 1. cap. 11. *Conjux vocatur a prima fide desponsationis, quam concubitu non cognoverat Joseph, nec fuerat cogniturus, nec pejerat (alias pejeraret) nec mendax manserat conjugis appellatio, etc.* Dicit præterea, fidele conjugium fuisse inter parentes Christi, mente, et non carne, idest, consensu, et non copula. Et in hoc Matrimonio ipsorum assignat tria bona Matrimonii, prolem, fidem, Sacramentum, de quibus agemus infra, nempe hoc Matrimonium altiori modo, et ordinatiore attigisse finem Matrimonii, quamvis fuerit tantum ratum: *Omne, inquit, nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato, etc.* Hæc eadem doctrina est Pontificum de Sponsalibus et Matrimonio, Matrimonium per solum consensum verbis expressum contrahi, c. *Cum locum*, c. *Cum apud Sedem Apostolicam*, c. *Tuæ fraternitati*, c. *Tua nos duxit*, etc. Igitur, ex eorum SS. Patrum sententia, gratia in Matrimonio non confertur regulariter in ipso actu conjugali, sed in connubio et mutuo conjugum consensu, qui actum conjugalem, ut causa effectum, præcedit.

URGEBIS: Eatenus Matrimonium habet rationem Sacramenti, quatenus significat unionem inter Christum et Ecclesiam: sed hæc significatio non fit, nisi per copulam carnalem, ut docet Innocent. III in c. *Debitum*, de bigamis non ordinandis, ubi ait: *Profecto conjugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum et Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus expo-*

nens illud: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, etc. statim subjungit: *Hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, et in Ecclesia.* Censet igitur Sacramentum, quod consistit in significatione conjugii Christi cum Ecclesia, sine copula non constare; Matrimonium enim dumtaxat ratum denotat conjunctionem per charitatem, quæ fit inter Deum et animam, de qua Apostolus 1. ad Cor. 6. ait: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo:* hæc autem unio fuisset inter Deum et Ecclesiam, seu animam justam, etiamsi Christus non venisset: igitur ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, necesse est, quod in Matrimonio interveniat copula carnalis, ac subinde Matrimonium sine ipsa non potest habere veram et completam rationem Sacramenti. — **Distinguo majorem:** habet completam rationem Sacramenti ratione hujus significationis, *nego:* incompletam, *concedo.* Matrimonium equidem dicitur magnum Sacramentum ab Apostolo, eo quod ratione conjunctionis conjugalis significet conjunctionem Christi cum Ecclesia. Verum hæc significatio dumtaxat est mystica, nec si sola sumatur, habet rationem perfectam Sacramenti; Sacramentum enim debet esse signum rei sacræ sanctificantis nos, hoc est, gratiæ sanctificantis suscipientes tale signum: ac proinde Matrimonium non habet completam rationem Sacramenti, quatenus dumtaxat significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem; sed præcise hanc dignitatem obtinet, prout ratione gratiæ sanctificantis, qua invicem conjunguntur conjugum animi, representat illam unionem Christi cum Ecclesia per charitatem et gratiam sanctificantem, quam ei infundit: Apostolus enim, ut diximus, ibi loquitur de conjunctione Christi cum Ecclesia, quæ fit per charitatem, et gratiam, quam Matrimonium representat. Nam, ut ait Seraphicus Doctor, dist. 26. art. 2. q. 3. « In Matrimonio considerantur hæc tria, scilicet signum, officium, « remedium. Quantum ad significationem, dicendum, quod duplex est, « ejus significatio: significat enim conjunctionem Christi et Ecclesiæ « per charitatem, et conjunctionem eorundem per naturæ conformi- « tatem. Similiter duplex est officium: unum enim est mutuae educa- « tionis, et fomenti: et aliud procreandæ prolis. Similiter duplex est « remedium: unum est quantum ad concupiscentiæ defluxionem, ut « scilicet non ad omnem mulierem intendat: aliud quantum ad inor- « dinationem, ut scilicet non libidine, sed amore prolis, nec sine « matrimoniali effectu mulierem cognoscat. *Primum* igitur signatum, « et primum officium, et primum remedium sunt in Sacramento Ma- « trimonii, quantum ad conjunctionem animorum; *secundum* est solum « quantum ad conjunctionem corporum. Et *primum* est de substantia « Matrimonii quantum ad esse necessarium; *secundum*, quantum ad « esse plenum ». Nec officit, quod Gratian. 27. q. 2. Can. *Non est du- bium*, et Can. *Cum societas*, affirmet copulam carnalem esse partem Sacramenti, neque sine ea Matrimonium Sacramentum esse. Nam Gratianus hæc in re rejicitur ab omnibus Theologis Scholasticis: quippe cum falso Canones illos attexuerit; unde Magister sententiar. quem etiam pro hac sententia laudat Calvinus, n. 26. cum retulisset illos duos præfatos Canones, quorum primus fingitur depromi ex verbis S. August. alias vero ex verbis S. Leonis Papæ, ad insinuandum, quod non sit perfectum conjugium sine commixtione sexuum, statim subdit;

« Hoc si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in
 « errorem tantum, ut dicat sine carnali copula non esse contractum
 « Matrimonium, et inter Mariam et Joseph non fuisse conjugium,
 « vel non fuisse perfectum; quod nefas est sentire. Tanto enim san-
 « ctius fuit, atque perfectius, quanto a carnali opere immunius. Sed
 « superius posita, ea ratione dicta intelligenda, non quia pertineat
 « mulier illa ad Matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum:
 « sed non pertineat ad Matrimonium, quod expressam, et plenam tenet
 « figuram conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Figuratur enim illam unio-
 « nem Christi et Ecclesiæ, quæ est in charitate; sed non illam, quæ
 « est in naturæ conformitate. Est ergo et in illo Matrimonio typus
 « conjunctionis Christi et Ecclesiæ; sed illius tantum, qua Ecclesia
 « Christi charitate unitur: non illius, qua per susceptionem carnis capiti
 « membra uniuntur. Nec ideo tamen minus sanctum est conjugium;
 « quia, ut ait S. August. in nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti,
 « quam fœcunditas ventris. Est etiam conjugium signum spiritualis
 « conjunctionis, et dilectionis animorum, qua inter se conjuges uniri
 « debent. Unde Apostolus ait: *Viri diligite uxores vestras, ut corpora*
 « *vestra* ». — Nec denique officit Glossa in c. *Honorantur*, 32. q. 2. cui
 consonat altera Glossa in c. *Quidquid*, 1. q. 1. dicens: « Ideo in Sa-
 « cramento Matrimonii potius quam in aliis Sacramentis intervenire
 « posse pecuniam, quia in hoc Sacramento non confertur gratia Spi-
 « ritus Sancti sicut in aliis ». Hæc, inquam, Glossa non obstat;
 quippe ut erronea rejicitur ab omnibus Theologis, necnon et a peri-
 tioribus jurisperitis, utpote quæ conficta ab aliquo Canonista rerum
 Theologicarum et fidei prorsus ignaro.

OBJICIUNT 4. Si Matrimonium esset Sacramentum, sequeretur,
 quod esset pariter quid melius, et excellentius virginitate, utpote
 cum illud gratiam produceret ex opere operato, hæc vero non: sed
 hoc aperte repugnat Apostolo dicenti 1. ad Cor. 7. *Qui Matrimonio*
jungit virginem suam, bene facit: et qui non jungit, melius facit.
 Igitur Matrimonium non est Sacramentum. — **Respondeo primo**, ne-
 gari posse *majorem*; siquidem nihil quidquam conducit ad rationem
 Sacramenti, quod una res sit altera præstantior; nam ratio Sacramenti
 non petitur ex rei nobilitate, sed ex divina institutione; unde licet
 Martyrium v. g. sit nobilius et excellentius Pœnitentia, non tamen ha-
 bet rationem Sacramenti proprie dicti. **Respondeo secundo, distinguendo**
majorem: Matrimonium erit quid melius et præstantius virginitate,
 quatenus est præcise Sacramentum, **concedo**: quatenus est dumtaxat
 status conjugalis, et comparatur cum statu virginali, **nego**. Status
 enim virginalis longe præstantior est conjugali, ut diserte probat
 S. August., toto lib. *De Virginitate*, maxime cap. 30. circa finem, his
 verbis: *Et certa ratione, et sanctarum Scripturarum auctoritate, nec*
peccatum esse nuptias invenimus, nec eas bono vel virginalis conti-
nentiæ, vel etiam vidualis æquamus. Idem egregie præstat S. Hiero-
 nymus, lib. 1. *Contra Jovinianum*, ubi docet unum ex ejus erroribus
 esse, quod asserat virginitatem non esse Matrimonio præferendam.
 Unde in cap. 13. Matthæi exponens parabolam Christi de fructu se-
 minis, cujus quidem aliud centesimum, illud sexagesimum, aliud
 vero trigesimum protulit, hæc habet verba: *Centesimum fructum vir-*

ginibus, sexagesimum viduis et continentibus, trigesimum casto Matrimonio deputamus.

Conclusio secunda. — MATRIMONIUM HABUIT TANTUM RATIONEM SACRAMENTI, EX INSTITUTIONE CHRISTI DOMINI ET IN LEGE EVANGELICA. Ita Doctor, dist. 26. n. 13. ubi cum dixisset Sacramentum Matrimonii esse septimum inter Ecclesiastica Sacramenta, et de Sacramentis Ecclesiæ non esse aliter sentiendum, quam sentit Ecclesia Romana, statim subdit: *Ideo dici potest, quod contractui Matrimoniali annexit Deus Sacramentum proprie dictum, saltem pro Lege Evangelica; alioquin non esset Sacramentum novæ Legis: et tunc oportet dicere, quod institutum fuit a Christo, sicut universaliter dictum est supra de Sacramentis Ecclesiasticis.*

Idem pariter definitum est in Concilio Trid., Sess. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem, non esse vere et proprie Sacramentum, anathema sit.* Et Sess. 21. Can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Idem etiam definitum fuit in Concilio Florent. in decreto Eugenii pro unione Armenorum, ubi pariter definitur, septem esse novæ Legis Sacramenta a Christo Domino instituta, inter quæ Matrimonium commemorat, et de omnibus ait, per hoc differre a Sacramentis veteris Legis, quod nostra Sacramenta gratiam continent et conferunt. — *Deinde, Baptismus est janua omnium Sacramentorum proprie dictorum; ac proinde nullus nisi, suscepto Baptismo, capax est suscipiendi Matrimonii, quatenus Sacramenti. Denique, non fuit institutum in statu innocentiae; quia, inquit Doctor, n. 12. omnia Sacramenta habent efficaciam a Passione Christi exhibita, vel prævisa; si autem status innocentiae perseverasset, passio Christi nec fuisset exhibita, nec prævisa.*

Nec etiam apparet, quod in statu naturæ lapsæ fuerit institutum, seu *Legis naturæ*: nam ad summum tunc extabat remedium aliquod pro salute parvulorum, quo ab originali peccato mundari possent, ne penitus extra salutis statum remanerent; quod Sacramentum postea apud Abraham. ejusque posteros in circumcissione determinatum fuit; neque pro eo statu et tempore alia Sacramenta pro adultis instituta fuere, quibus gratia ex opere operato conferretur.

Nec tandem in statu Legis veteris scriptæ, et per Moysen traditæ, ulla habetur talis institutio de Matrimonio sub ratione Sacramenti; sed solum habebatur tamquam civilis contractus, sicut inter alias nationes. Unde nec ullo modo computatur inter Sacramenta, quæ in veteri Lege agnoscebantur, nec vim conferendi gratiam habebat ex opere operato, sed solum externam quamdam et legalem sanctitatem. Quare Matrimonium in veteri Lege scripta non solum non erat Sacramentum proprie dictum, et gratiam conferens ex opere operato, ut erat Circumcisio, sed nec etiam erat Sacramentum ad instar aliorum

Sacramentorum illius legis, conferendo nimirum aliquam externam et legalem sanctitatem.

Quando autem Christus Matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerit, controversitur inter Auctores. Verum Subtilis Doctor, dist. 26. n. 13. ait, hoc Sacramentum fuisse institutum, Matth. 19. quando Christus dixit: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* « Et licet, inquit Doctor, ibi tantum approbaverit contractum institutum, Genes. 2. « et per consequens illud non instituit, instituit tamen Sacramentum. « Quod potest accipi ex illo verbo, quod addit, *Quod Deus conjunxit, « homo non separet*, ut non intelligatur ibi conjunxisse pro instituisse « præcise contractum Matrimonii; sed conjunxisse ex tunc gratiose « per institutionem Sacramenti concomitantis illum contractum conjun- « gentem. Forma autem est aliquod signum sensibile institutum a « Deo, ad significandum efficaciter gratiam tunc collatam ».

QUÆRES 1. *Utrum Matrimonium legitime contractum, vel ex dispensatione, vel alia ratione inter fidelem et infidelem esset saltem Sacramentum ex parte fidelis?*

NEGANT PLERIQUE RECENTIORES, maxime Vazquez, et Sanch., disp. 8. Affirmat vero Sotus, dist. 26. qu. 2. art. 2. et videtur conformior menti Doctoris, ut observat Hiquæus in *Commentario*, ad dist. 26. num. 56. Et insuper duplici ratione probatur: *primo*, quia, inquit Hiquæus, fundamentum oppositæ sententiæ stat in opposito, quatenus putat Sacramentum Matrimonii esse unicum unitate indivisibilitatis, quod non esse verum, ibi probavimus. *Secundo*, consensus, ut procedit personaliter a quolibet conjuge, inducit obligationem contractus passivam, et activam ex parte ejus: ergo sic præcise perficit Sacramentum in ipso: sed nihil deest ex parte baptizati, quin fiat contractus ejus signum sensibile causans gratiam in ipso; quia est contractus legitimus, et matrimonialis, quo transfert potestatem sui corporis in alium, et vicissim acquirit potestatem alterius per mutuum consensum: ergo perficit ex parte sua Sacramentum, quia ipse sibi ministrat Sacramentum, et non alter, licet non posset ministrare sine consensu concurrente ex parte alterius, quia nequit poni contractus legitimus sine concursu utriusque. Sufficit ergo, ut sit baptizatus, et ponat contractum legitimum ex parte sua per verba expressum, et contra hoc nullum sequitur inconveniens, supponendo contractum esse, aut fieri legitimum. *Ita Hiquæus.*

QUÆRES 2. *An Matrimonium infidelium, quando baptizantur, fiat Sacramentum?*

AFFIRMATIVAM PARTEM TUENTUR S. Th. in 4. dist. 39. qu. 1. art. 1. Capreolus, art. 3. ad 5. Bellarminus, lib. 1. *De Matrimonio*, cap. 5. etc. Verum negativa sententia verior et conformior videtur doctrinæ Subtilis Doctoris; nam dist. 39. docet Matrimonium infidelium fieri ratum post Baptismum, eo quod impedimentum fidei per Baptismum tollatur, quod esset fortius ligans in ordine ad Deum, si alter conjux manens infidelis nollet habitare cum fidei baptizato; suscepto autem utrinque Baptismo tollitur hoc impedimentum. Eandem sententiam tuentur Vazquez, disp. 2. *De Matrim.*, cap. 10. Coninck, disput. 24. dubio 2.

concl. 7. Et ratio est, quia Matrimonii Sacramentum est essentialiter contractus inter baptizatos initus: sed ita non contingit in præsentî; nam neque contractus illorum infidelium fuit initus inter baptizatos, neque etiam tales infideles, dum baptizantur, possunt de novo Matrimonium inire; quia non possunt sibi mutuo corpora tradere. Nemo enim potest alteri tradere, quod suum non est: at neuter conjugum habet potestatem proprii corporis, ut docet Apost. 1. ad Cor. 7. igitur non possunt ea sibi mutuo tradere.

DICES 1: Fieri potest novus contractus; nam qui antea erat naturalis, profanus, et solubilis, fieri potest sacer, insolubilis, et repræsentans unionem Christi cum Ecclesia: igitur infideles, dum baptizantur, possunt de novo Matrimonium inire. — **Nego consequentiam**, et ad *antecedens* respondet Coninck, num. 26. quod si hoc sufficeret, sequeretur fideles consummantes Matrimonium conficere novum Matrimonium, et Sacramentum; quia quod prius poterat per dispensationem Pontificis, et ingressum Religionis solvi, et tantum repræsentabat unionem Christi cum Ecclesia, per gratiam, efficiunt insolubile, et repræsentans unionem Christi per Incarnationem, ut habetur cap. Debitum 5. *De Bigamis*. Illud tamen est absurdissimum. *Secundo*, petitur aperte principium, quia supponitur fieri contractum sacrum, cum tamen quærat, an fiat contractus; quod nos negamus. Nec est verum, eum contractum immediate repræsentare unionem Christi cum Ecclesia; quia hoc per se non competit contractui, qui statim transit, sed vinculo Matrimonii permanenti; quæ aliqui confundentes in absurda incidunt. Conantur tamen aliqui probare conjuges posse dici inire novum contractum hoc ipso, quo reddunt priorem magis insolubilem, quia Trident., Sess. 24. cap. 1. dicit Christum in Lege nova instituisse Matrimonium, quod tamen ante fuit. Sed hoc nec verum est, quia tantum ibi dicitur Christum instituisse hoc Sacramentum, sive elevasse contractum Matrimonii ad esse Sacramenti, nec facit ad rem, quia Christus ibi innovavit aliquid circa ipsum contractum: conjuges autem per Baptismum non innovant contractum, sed statum Matrimonii. *Ita Coninck*.

DICES 2: Matrimonium infidelium, quod non fuit ratum ante Baptismum, fit ratum per Baptismum: igitur fieri potest Sacramentum. — **Respondeo**, idecirco infidelium Matrimonium fieri ratum per Baptismum, quia scilicet omnes baptizati tenentur ad servandam Legem Christianam, quæ prohibet Matrimonii dissolutionem ante mortem alterius conjugum; unde ex se non est simpliciter ratum, sed solum in ordine ad Legem Christianam, ad cujus observantiam Baptismus astringit.

QUÆSTIO TERTIA.

QUISNAM SIT MINISTER, QUÆVE MATERIA, ET FORMA HUIUS SACRAMENTI.

CUM ex Concilio Florent. Sacramenta novæ Legis tribus maxime perfici debeant, nempe materia, forma, et Ministro, operæ pretium est declarare, quis sit Minister Sacramenti Matrimonii, quæve illius materia, et forma; circa cujus resolutionem,

NOTANDUM 1. Tot esse hæc de re Canonistarum ac Theologorum

sententias, ut Aversa decem, Pontius septem, Sanchez sex, cæteri vero quinque numerent. *Primo* namque Catharinus in opusc. *De Matrimonio*, qu. 1. ait, materiam Matrimonii esse verba, et actus conjugum, quibus contrahunt; formam vero esse illa verba Gen. 2. et Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ.* Unde infert Ministrum hujus Sacramenti esse Deum, quia ille verba illa protulit, et quamvis illa verba non repetantur in singulis Matrimoniis a Deo; tamen satis esse putat Catharinus, quod semel prolata a Deo maneant in Scriptura, quæ semper loquitur. Verum hæc sententia subsistere non potest: *tum* quia Deus est institutor Sacramenti, non autem Minister; et insuper cum Sacramentum sit signum sensibile, necessum est, quod Minister, et ejus ministerium sit quid sensibile: Deus autem non est sensibilis, ac subinde nec Minister. *Tum* quia forma et materia Sacramenti debent simul adhiberi. Porro verba Gen. 2. Matth. 19. non simul adhibentur, nec iterum proferuntur, dum invicem conjuges contrahunt. — *Secunda* sententia est Cani, lib. 8. *De Locis*, cap. 8. ubi ait, materiam esse actus contrahentium, formam vero esse verba illa Sacerdotis vel similia: *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*: unde infert Matrimonia clandestina, quibus Sacerdos non assistebat, etiam ante Concilium Tridentinum non fuisse Sacramenta, sed solum contractus validos, licet ordinarie illicitos. Hanc sententiam sequuntur Sylvius in suis *Commentariis*, in 3. part. quæst. 42. et qu. 2. concl. 1. et 3. et alii; et ante illos eam sustinuerat Guillelmus Parisiensis, Tract. *De Sacramentis*, cap. 9., *De Sacramento Matrimonii*, qu. 1. et Theologi Concilii Coloniensis, cap. 12. et 22. *De Matrimonio*. — *Tertia* sententia est Navarii, cap. 22. num. 20. ubi ait, consensum interiorum esse materiam, verba autem illum exprimentia esse formam. Probat Navarrus, quia in lege stipulationis, materia est consensus, verba sunt forma, ut patet ex lib. 1. in principio, et § 1. ff. *De Verborum Obligationibus*: ergo etiam in Matrimonio. Sed neutra sententia subsistere potest: *tum* quia tota materia Sacramenti non debet esse insensibilis: igitur ille consensus interior non potest esse materia. *Tum* quia forma debet determinare materiam, ac proinde magis debet esse determinata: at consensus interior non minus est determinatus, quam exterior: igitur, etc. — *Quarta* sententia docet verba ab uno prius prolata esse materiam, alterius vero verba esse formam. Ita Vega, lib. 6. *Summe Casu*, 117. Victoria, num. 245. Candel. aureum 1. p. *De Matrimonio*, num. 17. et alii. Sed hoc gratis dicitur, et sequeretur, quando simul omnino utriusque consensus aliquo signo exprimitur, nullam esse certam formam, vel materiam. — *Quinta* vero sententia asserit, materiam hujus Sacramenti esse corpora contrahentium, formam autem esse mutuum consensum verbis, vel nutibus expressum. Quam sententiam aperte docet Paludanus, in 4. dist. 26. qu. 1. ad 2. et conformior videtur doctrinæ Subtilis Doctoris; nam in eadem dist. circa finem quæstionis significat materiam Matrimonii esse ipsos contrahentes; num. autem 14. ait verba contrahentium, aut signa expressiva consensus habere rationem formæ unius, unitate quidem integritatis, non autem indivisibilitatis; unde ibidem ait, Ministrum hujus Sacramenti ut plurimum esse contrahentes, imo et patres, quando contrahunt pro filiis, et fi-

liabus eis præsentibus, sed non exprimentibus signa propria. Unde concludit: *Si ergo ibi est Sacramentum, inquit, oportet dicere, quod Minister hujus Sacramenti potest esse indifferenter quicumque potest esse Minister in contractu Matrimonii.*

NOTANDUM 2. Omne contractum essentialiter constare alicujus rei obligatione ex una parte. et acceptione ex altera; quia non possum alteri obligari, nisi ipse acquirat jus in me: ille autem jus acquirere non potest, nisi volens, quod utique fit per acceptionem ab ipso, vel alio ejus nomine factam. *Insuper*, omnis contractus onerosus habere debet duplicem obligationem, et acceptionem, nam in emptione v. g. ab una parte offertur res emenda, ab altera vero pretium, et utrumque ab utraque parte acceptatur. Porro idem contingit in Matrimonio; nam in eo vir tradit corpus suum in potestatem mulieris, mulier vero suum in dominium viri, et uterque alterius obligationem acceptat. Itaque debet in utroque saltem virtualiter consensus reperiri, unus, qui habeat rationem traditionis. et alter, qui habeat rationem acceptionis. Et signa externa, quibus contractus ille Matrimonialis initur, debent cum duplicem consensum exprimere.

NOTANDUM 3. Cum Coninek, disput. 24. dub. 4. n. 40. conjuges per contractum Matrimoniale necessario consentire in quinque: *primo*, in mutuam traditionem domini proprii corporis ad usum conjugalem, quia in ea consistit ratio contractus Matrimonii: *secundo*, in Matrimonii vinculum ex natura sua perpetuum, donec alter moriatur: *tertio*, in obligationem reddendi debitum non quocumque modo, sed cum debite exigitur: *item* in obligationem, quamdiu Matrimonium durabit, numquam aliam a conjugee cognoscendi, et non impediendi generationem: *quinto*, prolem, si nascatur, christiane educandi; quia ejusmodi obligatio necessario cum essentia Matrimonii conjuncta est. Non est tamen necessarium, ut absolute consentiant in perpetuitatem vinculi (quia talis perpetuitas non est de essentia Matrimonii, nec ei necessario annexa), sed solum sub conditione, nisi alteruter ante consummationem in Religione profiteatur, quia hac ratione in utriusque potestate est, et vinculi perpetuitatem, et consequentem omnem obligationem elidere.

His ita præmissis, determinandum restat, quæ sint materia, et forma, quisve Minister Sacramenti Matrimonii.

Conclusio prima. — PROBABILIS EST, MATERIAM REMOTAM SACRAMENTI MATRIMONII ESSE CORPORA CONTRAHENTIUM, FORMAM AUTEM ESSE VERBA EORUMDEM, VEL NUTUS, ET SIGNA EQUIVALENTIA, AC SUFFICIENTER CONSENSUM EXPRIMENTIA. Ita Subtilis Doctor, locis supra laudatis, necnon et Seraphicus, dist. 26. part. 2. q. 1. necnon et Angelicus, dist. 42. q. 3. art. 2.

Probatur autem *primo*: quia nihil assignari potest convenientius, saltem pro materia, quam corpora contrahentium, ut patet ex refutatione aliarum sententiarum. *Secundo*, quia in omnibus contractibus, id habet rationem materiæ, quod donatur, seu cujus dominium transfertur in alterum; formæ vero quod significat acceptionem rei traditæ per contractum: sed Matrimonium est contractus proprie dictus, et res, quæ donatur in illo, sunt corpora contrahentium, quæ con-

trahentes per talem contractum sibi invicem tradunt: igitur materia remota sunt corpora contrahentium; acceptatio vero ab utroque contrahente facta verbis, aut nutibus, consensum internum exprimentibus, censenda est forma hujus Sacramenti. *Denique*, illud habet rationem materiæ, quod est magis sensibile et physicum, magisque determinabile: sed corpora conjugum sunt magis sensibilia, eorumque traditio in usum et finem matrimonialem, magis est determinabilis per verba, et signa hanc mutuam traditionem, et acceptationem significantia: igitur illa habent rationem materiæ et formæ.

Licet autem aliqui Theologi censeant, hoc esse peculiare in Matrimonio, quod ejus materia remota, et proxima non sit diversa; nihilominus verius dicendum arbitror corpora contrahentium se habere tamquam materiam remotam hujus Sacramenti; traditionem vero mutuam hujusmodi corporum, seu potestatis, et dominii in illa, esse materiam proximam; nam in contractibus materia proxima est traditio rei, circa quam contractus versatur: at Matrimonium est essentialiter contractus, et res, quæ per ipsum traditur, sunt corpora: igitur hujusmodi corporum traditio est materia proxima Matrimonii.

« Quantum autem ad formam dicit Doctor, dist. 62. n. 14, quod
 « forma est aliquod signum sensibile institutum a Deo, ad signifi-
 « candum efficaciter gratiam tunc collatam. Sed hic est dubium: vel
 « enim Deus instituit indeterminatum signum, ut sit signum efficax
 « gratiæ, sicut indeterminatum signum requisitum ad contractum: vel
 « magis determinavit illud, quod debet esse efficax gratiæ, quam ex
 « impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum:
 « et si sic, vel determinavit aliqua verba præcise, puta *accipio te in*
 « *meam*, vel *in meum*: vel determinavit indifferenter quæcumque
 « verba exprimentia talem consensum. Et inter illa multum interest,
 « quia si determinavit strictissime illud, scilicet quod forma hujus
 « Sacramenti, consistit in his verbis præcisis, sequitur quod multoties
 « est contractus Matrimonii sine Sacramento, etiam in Lege Evange-
 « lica, quia multoties contrahitur per alia verba, quam per ista. Si
 « etiam determinavit verba, sed indifferenter consensum istum expri-
 « mentia, quæcumque sint ista, adhuc tamen, cum contrahatur quan-
 « doque inter mutos sine verbis, sequitur quod alicubi est contractus
 « iste sine Sacramento. Nec istud est absurdum, quia possibile est,
 « quod usque ad Legem Evangelicam frequenter contrahebatur, ubi
 « tamen numquam fuit Sacramento, ut hic loquimur, scilicet pro-
 « prie. Si autem non determinavit, quod sit Sacramento gratiæ magis,
 « quam ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad con-
 « tractum, tunc potest dici, quod in quocumque contractu in Lege
 « Evangelica comitatur Sacramento; quia illud signum, quod requi-
 « ritur ad contractum, est ex institutione divina Sacramento ». *Ita*
Doctor. Quibus verbis inquit, utrum Christus determinaverit aliquam
 formam, seu verba quædam necessaria ad confectionem Matrimonii
 sub ratione Sacramenti, quamvis non essent necessaria ad legitimum
 contractum humanum; et tria respondet: *primo*, quod si Christus de-
 terminasset quædam verba præcise requisita ad confectionem Matri-
 monii, plerumque contingeret inter fideles celebrari Matrimonium,
 absque eo quod esset Sacramento, quia sæpe contractus Matrimo-

nialis fit sub differente forma verborum. *Secundo*, si Christus determinaverit verba, sed indifferenter exprimentia contractum, sequitur, quod inter mutos fiat contractus sine Sacramento, quod utique, inquit, absurdum videri non debet; contractus enim Matrimonialis separari potest a ratione Sacramenti, quia usque ad Legem Evangelicam ita fuit separatum, et etiam nunc apud infideles est contractus sine Sacramento, ino etiam probabile est, quod inter fideles contractus aliquando separetur a ratione Sacramenti, puta quando conjuges absentes contrahunt per procuratores; talis enim contractus est legitimus; attamen eum non habere vim, et rationem Sacramenti, docent Durandus, dist. 26. q. 3. Cajetanus, Tom. 1. opusculorum, Tract. 12. q. 2. Victoria in *Summa* de Matrimonio, et plures alii. Merito itaque Doctor negat Matrimonium contractum inter mutos habere rationem Sacramenti, si verba proprie dicta, ut distinguuntur a signis et nutibus, requirantur ad Matrimonium, ut sit Sacramentum; circa quod nihil resolvit Doctor. Unde respondet *tertio*, quod si Christus non determinavit aliud pro forma Sacramenti Matrimonii, quam id omne, quod habet rationem formæ respectu cujuscumque contractus Matrimonialis ex institutione humana, non solum verba, sed etiam nutus et signa quæcumque declarantia voluntariam traditionem et acceptationem corporum, sufficient ad rationem formæ Sacramenti Matrimonii. Quæ utique responsio conformior est menti Doctoris, nam immediate præmiserat, quod Deus nihil immutaverit circa contractum Matrimonii, sed tantum quod ei adjunxerit dignitatem et efficacitatem Sacramenti.

Sunt tamen aliqui Theologi, qui cum Melchiore Cano contendant, post Concilium Trid. formam Sacramenti Matrimonii esse hæc verba, quæ Sacerdos profert: *Ego vos conjungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, quippe illi Auctores existimant Ministrum Sacramenti Matrimonii esse ipsum Sacerdotem. Sed hanc difficultatem declarabit

Conclusio secunda. — PROBABILIS EST, MINISTRUM SACRAMENTI MATRIMONII NON ESSE IPSUM SACERDOTEM CONJUGES BENEDICENTEM, SED IPSOSMET CONTRAHENTES. Ita Subtilis Doctor, locis superius expressis, et S. Thomas, dist. 26. q. 2. art. 1. ad 1. ubi ait: *Verba, quibus consensus Matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotis, quæ est quoddam Sacramentale.* Quos sequuntur celebriores Theologi moderni, non solum utriusque Scholæ discipuli, sed etiam Bellarminus, lib. 1. *De Matrimonio*, cap. 6. Suarez, disp. 16. sect. 1. et plures alii, quos sequitur et citat Sanchez, lib. 2. disp. 6. Colligitur autem hujus Conclusionis veritas ex decreto Eugenio, ubi ait: *Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus.* Sed hoc esset falsum, si ad ipsius Sacramenti validitatem necessarius esset alius Minister distinctus a contrahentibus; maxime cum ex doctrina ejusdem Concilii in eodem Decreto tria dumtaxat requirantur ad confectionem Sacramenti.

Idem etiam colligitur ex Concilio Trid., nam Sess. 24. cap. 1. *De reformatione*, affirmat, *Matrimonia clandestina, quæ olim fiebant absente*

Sacerdote, sine ullis ejus verbis fuisse valida, quamdiu Ecclesia ipsa non irritavit: sed talia Matrimonia non potuissent esse valida, si revera Sacerdos fuisset Minister hujus Sacramenti, et ejus verba habuissent rationem formæ; unde etiam Can. 11. Sacerdotalem benedictionem recenset inter cæremonias ab Ecclesia in celebratione Sacramenti Matrimonii adhiberi solitas.

Nec obstat, quod idem Concilium ibidem dixerit: Ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur: ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, etc. Vel aliis verbis utatur, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum. Quibus significari videtur, quod Sacerdos vere conjungat conjuges: at non eos conjungit in ratione contractus: igitur in ratione Sacramenti.

Hoc, inquam, non obstat: tum quia Concilium non dicit verba illa, *Ego vos conjungo*, esse absolute a Sacerdote proferenda; imo suadet, ut aliis utatur verbis, si alius fuerit usus ejus Provinciæ: tum quia verba illa, *Ego vos in Matrimonium conjungo*, non alium sensum præseferunt, quam istum, *Ego approbo et benedico conjunctionem vestram maritalem in facie Ecclesiæ.*

Nec pariter obstat, quod Sacramenti Minister debeat esse persona sacra. Primo namque universim loquendo, hoc falsum est; siquidem Baptismus a laicis, imo etiam ab infidelibus valide ministrari potest. — *Deinde* in Matrimonio est specialis quædam ratio, cur ab aliis non debeat ministrari, quam ab ipsis contrahentibus; quia nimirum Sacramentum Matrimonii est essentialiter quidam contractus a Christo Domino elevatus ad dignitatem Sacramenti: Ministri autem alii non sunt, quam ipsi contrahentes.

Verum etsi hæc probabilia sint, nihilominus non est improbanda contraria sententia, quam tuetur Canus, lib. 8. *De locis Theologicis.* In quam partem inclinat etiam Estius, §. 10. et Sylvius, quæst. 42. de supplemento S. Thomæ, qui suam sententiam variis momentis confirmant. — *Primo*, quia omnium aliorum Sacramentorum Minister, saltem extra casum necessitatis, necessario est Ecclesiasticus: ergo etiam Matrimonii. — *Insuper*, quia Florent. docet omnia Sacramenta perfici rebus tamquam materia, verbis, tamquam forma, et persona Ministri conferentis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Unde sequitur, ad Sacramentum necessario requiri primo, ut Ecclesia per Ministrum conferat Sacramentum, et consequenter ut ipse id faciat tamquam Minister Ecclesiæ.

Secundo, Ministrum hujus Sacramenti non posse esse laicum, quia hic non est Minister Ecclesiæ. *Tertio*, ut utatur verbis proprie dictis pro forma, et consequenter contrahentes Matrimonium non esse hujus Ministros, quia non necessario utuntur verbis proprie dictis.

Tertio, quia in aliis Sacramentis nequit esse idem conferens, et suscipiens: ergo nec in hoc.

Quarto, alia Sacramenta pro forma necessario habent verba proprie dicta: ergo, et hoc.

Quinto, contrahentes præsertim clam, ut fiebat ante Tridentinum, nesciunt se esse Ministros Ecclesiæ, aut debere habere intentionem

faciendi quod facit Ecclesia, aut suscipiendi Sacramentum: ergo hæc non intendunt, et consequenter nec conficiunt Sacramentum.

Sexto, 1. ad Cor. 14. non permittitur mulieri in Ecclesia loqui: ergo minus permittitur conferre Sacramentum.

Septimo, olim clam contrahentes non putabant se esse sacrilegos, si in peccato mortali contraherent: ego non suscipiebant Sacramentum.

Octavo, Concilium Mecliniense, et quædam alia, juxta decretum Tridentini, Sess. 24. c. 1. *De reformatione Matrimonii*, jubent Parochum, postquam sponsi mutuum consensum coram eo expresserunt dicere: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris*, etc. Ergo Parochus conjungit eos in Matrimonio, quatenus est Sacramentum, alias ea verba essent falsa.

Nono, quia Synodi Cameracensis et Coloniensis, c. 40. et in suo enchiridio, vocant Sacerdotes benedicentes nuptias, Ministros hujus Sacramenti.

Decimo, Rituale Romanum, jussu Pauli V. editum, in præfatione, ait: *Cæterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus in hoc opere præscribuntur: cujusmodi sunt Baptismus, Penitentia, Eucharistia, Extrema-Unctio, Matrimonium*. Ergo censet Parochum esse Ministrum Sacramenti Matrimonii.

Undecimo, quia ante Tridentinum sponsi quandoque consensum suum exprimebant per copulam, et per eam contrahebant, et consequenter hæc tunc fuisset pars Sacramenti: atqui hoc est absurdum, cum illa tunc sicut alia clandestina Matrimonia fuerint prohibita, et grave peccatum, etc.

Duodecimo, quia in fine Concilii Constantiensis Martinus V. jubet suspectos de hæresi interrogari, an credant, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, vel Extremæ-Unionis, vel solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter. Item Alexander III, cap. Cum Ecclesia de simonia, ait horribile esse quod pro sepulturis, et exequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis, aliquid requiratur. Ergo censent benedictionem nuptiarum esse Sacramentum.

Decimotertio, quia ea videtur sententia antiquorum Patrum; nam Evaristus Papa, Ep. 1. docet, conjugia inita sine benedictione Sacerdotis, non esse conjugia, sed adulteria: ergo sentit illam esse de essentia Matrimonii.

Item Tertullianus, lib. 2. *Ad uxorem*, in fine, docet illud Matrimonium esse Ecclesiæ Sacramentum, quod Ecclesia conciliat, scilicet per suum Ministrum. Sanctus Ambr., Epist. 70. docet conjugium debere sanctificari benedictione Sacerdotis. Innocentius, Epistola 9. ad Probum, dicit Matrimonium fundari in divina gratia, quando celebratur. Celebrari autem non dicitur, nisi quando solemniter more Ecclesiæ contrahitur.

Idem Concilium Carthaginense quartum docet, sponso a Sacerdote benedicendos, et pro benedictionis reverentia debere prima nocte in virginitate permanere. Quod nequit intelligi de benedictione accidentali, quia illa benedictio jubetur omnibus nuptiis conferri, hæc autem

solum primis confertur, et cum sit tantum Sacramentale, non exigit tantam reverentiam.

Fateor tamen, plurima ex his momentis facili negotio posse dissolvi ex jam dictis. Quantum autem ad Concilium Coloniense, constat illud potius oppositæ sententiæ favere; prædicto enim cap. 40. ait: *Quod Sacramentum, scilicet Matrimonii, si quis, sicut docet, acceperit, accedente Sacerdotali precatone, confertur donum Spiritus*, etc. Quibus significat, per Sacerdotalem precatorem non conferri susceptionem Sacramenti, sed illam huic accedere; quod utique falsum esset, si illa precatio esset forma Sacramenti Matrimonii, ideo autem dicunt per eam conferri donum Spiritus sancti, quod scilicet Deus soleat Sacerdotum preces exaudire. Unde hæc precatio non nisi illi- cite posset omitti. Similiter *Enchiridion* Concilii nomine vulgatum, in tractatu *De Matrimonio, Verbum* (idest forma) itaque hujus Sacramenti, quo accedente ad elementum, (idest ad materiam) fit Sacramentum, id nimirum est, quo ambo mas, et fœmina (cum pietatis respectu, quæ in Deum est, sibi mutuo fidem conjugalem dant, accipiuntque) non quovis modo idest, non solum contractu civili, sicut Gentiles sed in Dei nomine, (sive Sacramento a Deo instituto) junguntur, et copulantur. Deinde addit, referre qua lingua conjuges ea verba proferant. Ubi clare et expresse dicitur, verba, quibus conjuges sibi mutuo dant et accipiunt fidem conjugalem, esse verbum, quo accedente ad elementum, fit Sacramentum, sive esse formam, ex qua simul cum materia componitur Sacramentum.

Nec obstat, quod idem Auctor *Enchiridii*, §. penult. dicat Sacerdotem Matrimonio assistentem esse hujus Sacramenti Ministrum; ibi enim non intelligit Sacramenti Ministrum proprie dictum; siquidem ibi dicit, Sacerdotem eodem modo esse nunc Ministrum Matrimonii, sicut Raguel olim erat Minister Matrimonii Tobiæ et Saræ, eosque conjungebat; quod utique proprie non potest intelligi; cum enim inter Tobiam et Saram solus fuerit contractus civilis, alii non fuerunt illius Ministri, quam contrahentes.

Ad Concilium Carthaginense respondeo, illud aperte loqui de benedictione solemni, et Matrimonio necessaria; loquitur enim de benedictione, ad quam sponsi a paranymphis deducuntur; quod utique solemnitati Matrimonii convenit.

Ad Evaristum Papam dico, ipsum loqui de valore Matrimonii in foro externo; nam *ibidem*, præter Sacerdotalem benedictionem, multa alia ad ejus valorem desiderat, puta, quod mulier ducatur a paranymphis, quod dotetur; additque, quod Matrimonia aliter contracta sint potius fornicationes, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima. Quam volueris sententiam elige.

PETES 1. *Utrum Matrimonium inter absentes per procuratorem, vel per litteras contractum, sit legitimum et validum?*

Respondeo primo, validum et legitimum esse sub ratione contractus civilis, ut communiter docent Theologi; cum enim procuratores locum teneant personarum principalium, habeantque plenam potestatem contrahendi, ideo quidquid ipsi faciunt, id ipsum facere censentur ipsæ principales personæ contrahentes, quarum procuratores

illi sunt humanum et morale instrumentum; unde sicut ex mutuo utriusque conjugis consensu resultat perfectus Matrimonii contractus, ita pariter resultat ex mutuo consensu utriusque procuratoris. Quare in cap. finali De procuratoribus in 6. et Lege sufficit, ac Lege finali, ff. de sponsalibus, definitur, inter absentes æque ac inter præsentis, Matrimonium contrahi posse. Neque hoc jus est correctum per decretum Tridentini, clandestina Matrimonia irritantis; tale enim decretum irritat solum Matrimonia, quæ sine testibus et Parocho contrahuntur: Matrimonium vero inter absentes, per procuratorem initum, contrahitur coram Parocho et testibus, ut supponimus: igitur vi talis Decreti non irritatur, sed valet in ratione contractus naturalis et civilis, sicut alii humani contractus, qui fieri possunt inter absentes, per procuratores, qui idipsum facere censentur, quod principales contrahentes per se facerent.

Ut autem Matrimonium per procuratores initum legitimum sit ac validum in ratione contractus, quinque servari debent conditiones, quarum defectu irritum foret et nullum: *primo* namque requiritur, quod procurator habeat a suo principali mandatum speciale ad contrahendum Matrimonium cum certa persona, et non excedat suum mandatum. *Secundo*, quod mandatum illud exequatur per se, et non per substitutum, nisi specialis ad substituendum ei facultas concessa fuerit a principali. *Tertio*, quod eo tempore, quo procurator contrahit, ejus potestas non sit revocata, nequidem tacite, alias enim nullum foret Matrimonium, licet procurator ipse nihil de revocatione audisset; quia quacumque revocatione cessat consensus, et sine consensu nullum est Matrimonium. *Quarto*, ut determinetur specificè in mandato et commissione, cum qua persona sit contrahendum; quia non sufficit clausula contrahendi cum quacumque, ut lege *generali* ff. de ritu Nuptiarum patet. *Quinto*, post publicationem Concilii Tridentini requiritur, quod procuratores personarum principalium, contractum ineant coram Parocho et duobus testibus.

Observandum autem est, ad debite exequendum illud munus procuratoris, *primo*, nihil referre, qualis conditionis sit procurator, vir, an mulier, juvenis, an senex. *Secundo*, absolute non requiri, ut mandatum scripto detur, modo sufficienter alia via probari possit, v. g. per testes fide dignissimos; sic enim Matrimonium dici non poterit clandestinum. Quod quamvis absolute loquendo verum sit, consultius tamen est, ut mandatum scripto detur. *Tertio*, necesse non esse ut mandatum fiat proprio Parocho præsentis, quia ut Concilio Trid. satisfiat in locis in quibus promulgatum est, sufficit, quod Matrimonii contractus fiat coram Parocho et duobus testibus.

Respondeo secundo, etiam validum ac legitimum esse in ratione Sacramenti, ut communiter docent Theologi: *tum* quia in Matrimonio sic celebrato concurrunt omnia ad substantiam Sacramenti servandam necessaria, scilicet, materia, forma, et intentio contrahentium; datur enim materia, nempe contrahentium corpora; datur legitima forma, utriusque nempe consensus sufficienter expressus per verba, vel signa mandantis, quatenus per Procuratorem innotescunt, vel per epistolam, aut internuntium intentionem etiam contrahentium adesse supponimus: ergo nihil deest ad substantiam Sacramenti necessarium. *Tum* quia

quotiescumque in Matrimonio salvatur ratio veri et legitimi contractus, salvatur etiam ratio Sacramenti; quia, ut sæpe dictum est, Christus in nullo prorsus naturam Matrimonii immutavit, sed illam ad rationem Sacramenti evexit: atqui in Matrimonio contracto inter absentes fideles, ac baptizatos, salvatur ratio contractus naturalis, et civilis; nam ad hoc exigitur, quod contrahentes per verba, vel signa æquivalentia consensum interiorem mutuum exprimant, quod sufficienter fieri potest per litteras, aut nuntium, vel procuratorem in absentia; et præterea servari etiam possunt omnes conditiones postea a Tridentino statutæ et præscriptæ, exprimendo nimirum prædictum consensum coram Parocho et duobus testibus, interveniente etiam ipso procuratore, vel nuntio: ergo nihil omnino deest, quin sit verum Sacramentum. *Tum* quia ante Concilium Tridentinum Matrimonium per procuratores celebratum erat verum Sacramentum, nam Florentinum absolute et absque ulla restrictione omne Matrimonium inter fideles et baptizatos contractum in Lege gratiæ, esse unum ex septem Ecclesiæ Sacramentis definivit: ergo nunc etiam sic contractum veram habet rationem sacramenti. *Consequentia patet*, quia Tridentinum nihil immutavit in Matrimonio, nisi ut celebraretur coram Parocho et duobus testibus, ad removendos abusos; ac proinde si servetur prædicta conditio, quæ etiam in absentia contrahentium servari potest modo jam explicato, veram rationem Sacramenti habebit.

Et certe si Matrimonium inter absentes celebratum non esset vere Sacramentum, utique vetitum fuisset a Tridentino inter fideles, cum dedecet fideles vinculo Matrimonii conjungi sine Sacramento, vel saltem præcepisset, iis, qui eo modo contraherent, ut postea præsentem iterum contraherent, ut eorum contractus fieret Sacramentum: quod tamen præceptum nullibi extat, et praxis Ecclesiæ est in contrarium. Ecclesia autem non permetteret Matrimonium per procuratores interdum iniri, si non censeret illud esse Sacramentum; hoc enim vergeret in præjudicium ipsorum conjugum, qui sic fraudarentur gratia, quam in Matrimonio per seipsos immediate celebrato susciperent.

DICES 1: Cætera Sacramenta non possunt conferri absenti: igitur nec Matrimonium. *Patet consequentia*; par enim debet esse conditio et ratio ipsius, ac aliorum, ideo enim non potest Baptismus conferri absenti, quia verba, *Baptizo te*, diriguntur ad personam præsentem: atqui verba conjugum, quibus consensum suum exprimunt, puta, *Accipio te in meum*, vel *meam*, etiam diriguntur ad personam præsentem: igitur est utrobique paritas. — **Nego consequentiam**, et ratio disparitatis est, quod Matrimonium sit essentialiter contractus, qui sicut iniri potest inter præsentem et absentes, inde fit, quod etiam inter absentes habere possit rationem Sacramenti. *Adde quod* cætera Sacramenta requirant verba proprie dicta, et ore prolata ex parte formæ; secus autem est de Matrimonio, quod licet ordinarie verbis perficiatur, potest tamen aliis signis consensum exprimentibus celebrari. Unde cætera requirunt subjectum præsens, ad quod verba ore prolata diriguntur; Matrimonium vero non ita, quippe cum consensus ad contractum necessarius aliis modis, quam verbis, nempe vel litteris, vel nutibus, vel per procuratorem possit innotescere.

DICES 2: Si Matrimonium per procuratores iniri esset Sacra-

mentum proprie dictum, sequeretur, quod si vir et fœmina, pro quibus contrahitur, eo tempore dormiant quo contrahitur, dormiendo recipient gratiam, si sint in statu gratiæ habitualis, vel peccabunt mortaliter peccato sacrilegii, si sint in statu peccati mortalis, quia indigne Sacramentum recipiunt: sed hoc est absurdum: igitur, etc. — **Nego minorem:** non enim absurdum est, quod quis dormiens recipiens Sacramentum recipiat etiam gratiam, ut patet de Baptismo et Pœnitentia in iis, qui antea petierunt, et post obmutuerunt, nam eis danda sunt hæc Sacramenta ex 26. q. 6. cap. *qui recedant, et capite his, qui,* etc. *Agnovimus.* Obligantur tamen conjuges sub mortali procurare ut sint in statu gratiæ eo tempore, quo prudenter judicant celebrandum esse contractum, et peccant mortaliter, si non sint in gratia. *Nec est pariter inconveniens, dormientem peccare mortaliter, ratione consensus liberi in vigilia habiti; nam ebrius peccat hominem occidendo in ebrietate, ratione liberæ voluntatis, qua se voluit inebriare, non obstante periculo homicidii præviso, juxta communem doctrinam Theologorum.*

PETES 2. *Quis, et qualis consensus requiratur ad legitimum Matrimonium?*

Respondet Doctor, requiri omnino consensum liberum, ita quod si coactus sit, omnino reddat Matrimonium invalidum; quod pariter docent omnes Theologi et Canonistæ, ut patet ex capite *Cum locum* et ex capite *Venias,* etc. Extra de sponsalibus; idque probat Doctor, dist. 29. triplici ratione petita ex parte causæ formalis, quia ille contractus est donatio, ac proinde debet esse libera. *Secundo,* ex parte causæ efficientis, nempe Dei, qui voluit talem consensum esse liberum. *Tertio,* ex parte finis, quia hoc est necessarium ad debitam educationem prolis. « *Primum patet, inquit Doctor,* quia iste contractus est « datio, et licet non liberalis, quia dat ut detur sibi æquale; est « tamen libera datio, quia contra rationis dationem est, quod non sit « libera. *Secundo,* a causa efficiente, quia Deus talem instituit istam « translationem summe liberam; unde non est istud ab Ecclesia deter- « minatum, sed tantum expressum. *Patet enim,* quod etiam in Lege « naturæ erat istud requisitum in contractu Matrimonii, Genes. 3. « *Adhærebit uxori suæ:* sed non adhæret quis illi, quod invite tenet. « Et Gen. 21. dicitur de Abraham, qui dixit servo suo: *Si noluerit* « *mulier tecum venire, tunc liber eris a juramento; et cum peteret ille* « *Rebeccam, dixerunt: Vocemus puellam, et quæramus voluntatem* « *ejus; et statim quæsierunt parentes: Vis ire cum homine isto? Re-* « *spondit: ibo. Tertio,* ex parte finis, quæ est proles procreanda, ex « quo nascitur indissolubilitas vinculi. Ad istum competit istam da- « tionem esse simpliciter liberam; quia, ut dictum est, et habetur 20. « quæst. 3. præsens, quod quis non diligit, facile contemnit ». *Ita Doctor,* quibus non repugnat id, quod ait dist. 26. num. 15. cum ait: *Aliquando Patres contrahunt pro filiis, vel filiabus, præsentibus eis, non experimentibus signa propria.* His enim verbis non intendit significare, quod aliquando Parentes possint contrahere pro filiis absque eorum consensu; sed quod parentes, ex filiorum consensu, quasi procuratores pro eis possint contrahere. Porro, quod consensus Matri-

monialis debeat esse liber, ut validum sit Sacramentum, significat S. Paulus 1. ad Corinth. 4. his verbis: *Qui vult nubat*; unde Concilium Trid., Sess. 24. cap. 9. ait: *Cum maxime nefarium sit, Matrimonii libertatem violare.... præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis, et conditionis existant, sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere Matrimonia contrahant.*

EX HIS SEQUITUR, quod consensus matrimonialis, ex gravi metu injuste incusso ab extrinseco datus, reddat Matrimonium invalidum, et nullum. *Dixi primo, ex gravi metu, ad insinuandum, quod ille consensus, qui ex metu levi datur, non reddat invalidum Matrimonii contractum, cum jus parvi æstimet levem metum, ut colligitur ex l. nec timorem, ff. de eo quod metus causa, etc. et ex cap. Cum dilectus, de his quæ vi, etc. Dixi secundo, incusso ab extrinseco, ut innuam, quod metus gravis non reddat Matrimonium invalidum, quando venit ab intrinseco, et ut sic est causa, cur Matrimonium ineatur. Sic non est invalidum Matrimonium illud, quod quis post factam sibi propositionem illius, assumit tamquam medium vitandi supplicii, quod timet ob homicidium, aut aliud crimen ab ipso commissum. Ratio est, quia metus iste non infertur in finem Matrimonii; sed Matrimonium libere supponitur eligi ad vitandam mortem. De sponsalibus idem dici potest. Dixi tertio, injuste incusso, ut detur intelligi, quod metus, quamquam gravis, et incussus ab extrinseco, etiam in finem Matrimonii, non reddat invalidum Matrimonium, si juste incussus est. Id exemplo illustratur: pater aliquis supponatur aliquem reperire cum filia fornicantem, et minari se illum ad Judicem delaturum, nisi filiam, cum qua fornicatus est, in uxorem accipiat. In hoc casu Matrimonium validum est, si fornicator ipse consentiat, et adsint aliæ conditiones ad Matrimonium essentialiter requisitæ.*

Collige secundo, nullum pariter fore Matrimonium, nisi consensus exprimatur verbis, vel signis de præsentibus; nam, inquit Doctor, d. 28. num. 2. « Contractus Matrimonii, qui inducit obligationem, vel vinculum, est datio pro alio recipiendo, quæ est permutatio, et traditio « saltem mutua potestatis corporum; sed nullus promittendo tradit « illud, quod promittit; quia promissio est de tradendo in futurum « seu de traditione facienda; non autem ipsa est actualis traditio, nec « consequenter est contractus actualis Matrimonii; ac subinde non est « Matrimonium, non solum in ratione contractus, sed nec in ratione « Sacramenti; quia, ut ibidem inquit Doctor, Sacramentum non est « signum prognosticum; nec consequenter intentio Ministri debet esse « de futuro, sed oportet, quod intendat pro præsentibus, sicut signum « significat effectum præsentem. In Sacramentis enim veritatis Minister non ministrat idonee, si mentitur: ergo non est Sacramentum, « si est consensus de futuro tantum, propter defectum intentionis « Ministri ».

QUÆSTIO QUARTA.

UTRUM, ET QUALITER MATRIMONIUM SIT INDISSOLUBILE.

DIXIMUS in præcedentibus, Matrimonii essentiam et rationem formalem præcipue consistere in vinculo Matrimoniali; quærimus autem impræsentiarum, quale sit istud vinculum, utrum videlicet perpetuum, et indissolubile esse debeat, quamdiu uterque conjugum vixerit. Quæ controversia ut evidentius dissolvatur,

NOTANDUM 1. Matrimonii indissolubilitatem repeti posse vel ex Lege naturæ, quatenus videlicet illa suadet Matrimonii perpetuitatem, ratione videlicet finis, ad quem Matrimonium ordinatur, nempe legitimam filiorum procreationem et educationem; *vel* ratione Legis divinæ positivæ, si nimirum Deus aliquo præcepto expresse prohibuerit Matrimonium dissolvi ante mortem alterius conjugum. *Vel* denique ex præcepto Ecclesiastico, utrum videlicet Ecclesia prohibuerit Matrimonii dissolutionem. Quæritur itaque, utrum Matrimonium hac triplici Lege sit indissolubile.

NOTANDUM 2. Quæstionem maxime moveri de Lege Mosayca, et Evangelica, ratione videlicet *libelli repudii*, quem Judæi uxoribus infensis dare consueverant, ut eas ablegarent, et a domo et a societate sua eliminarent, juxta illud Deut. 24. *Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos suos, præter aliquam feditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Quam utique legem videtur Christus Dominus denuo approbare Matth. 5. cum dixit: *Dictum est: quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii.* Verum ibidem adorandus Salvator alterius difficultatis ansam subministrat, cum statim subdit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam marchari, et qui dimissam duxerit, adulterat.* Similia repetit, cap. 19. v. 9. dicens: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, marchatur.* Idem habetur Marci 10. et Lucæ 16. Movetur itaque difficultas, utrum in Lege veteri Matrimonium per libellum repudii esset dissolubile, et in nova Lege per fornicationem.

NOTANDUM 3. Conjugum ab invicem separationem posse triplicem distingui: *primo*, quantum ad honorum fortunæ consortium et mutuam possessionem: *secundo*, quantum ad torum et mutuam cohabitationem: *tertio*, quantum ad vinculum Matrimoniale, et contractus Sacramentalis dissolutionem. Certum est autem Matrimonium esse dissolubile, et conjuges ab invicem separari posse, quoad bonorum fortunæ societatem; id enim in more solitum est, ut dum alter conjugum nimium are alieno gravatur, vel domesticam substantiam, et facultates recte non administrat, ad postulationem alterius conjugum soleant Judices hujusmodi separationem statuere. Fit etiam interdum separatio quoad torum eadem auctoritate judiciali, propter molestam et pericu-

losam cohabitationem conjugum, maxime dum alter alteri grave damnum, puta mortem, aut duram ac diram persecutionem intentat. Unde potissimum restat examinanda difficultas de dissolubilitate Matrimonii, quoad vinculum. Tria itaque hac in Quæstione veniunt determinanda: *primum* quidem, utrum Matrimonium generatim, et secundum se spectatum, sit indissolubile: *secundum*, utrum dissolubile fuerit in Lege Mosayca per divinam dispensationem, ratione repudii: *tertium*, utrum dissolvi possit in Lege Evangelica, ratione fornicationis.

Conclusio prima. — MATRIMONIUM LEGE NATURÆ, DIVINA, ET ECCLESIASTICA, EST OMNINO INDISSOLUBILE.

Probatur prima pars: Tale est Matrimonium secundum Legem naturæ, quale fuit a Deo ut Auctore naturæ institutum: sed institutum fuit a Deo prorsus indissolubile: igitur tale est ex Lege naturæ. *Major constat;* lex enim naturalis alia non est, quam ipsa Dei, ut Auctoris naturæ hominibus insita ordinatio, qua ad aliquid faciendum juxta rationis ductum stimulantur. *Minor autem probatur:* Deus Matrimonium in Paradiso terrestri, et in statu innocentiae instituit prorsus indissolubile: sed illud tunc non instituit ut indissolubile per aliquod præceptum positivum: ergo lex tunc ab eo præscripta de Matrimonii indissolubilitate non fuit præceptum positivum, sed naturale. *Minor constat;* conveniunt enim Theologi, Deum in Paradiso terrestri nullum præceptum positivum imposuisse Adamo, præter unum, de non edendo fructu arboris vetitæ: igitur quodcumque aliu! præceptum ab eo præscriptum non fuit positivum, sed naturale. *Major probatur;* Deus enim instituendo Matrimonium in statu innocentiae, voluit illud esse insolubile, ut Christus Dominus Matth. 19. declarat; ait enim: *Qui fecit hominem, ab initio masculum, et feminam fecit eos, et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.* Ex quibus subinfert Christus: *Quod ergo Deus conjunxit, nempe suo præcepto, homo non separet.* Unde Bonifacius VIII, cap. unico de voto, et voti redemptione in 6. dixit, Matrimonii vinculum ab ipso rerum omnium Conditor, ipsum in Paradiso, et in statu innocentiae instituyente, unionem et indissolubilitatem accepisse. Unde Tridentinum, Sess. 24. initio: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, primus humani generis parens, divini spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo, etc.* Et paucis interpositis: *Ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, Christus his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Et igitur in statu innocentiae Matrimonii vinculum erat insolubile Lege divina: non positiva: ergo naturali.

Deinde, natura duplicem appetitum animantibus ingenerat: alterum ad cibum, alterum ad generationem. Inde duplex oritur intentio naturæ: *primo* quidem conservandi individuum per alimenta necessaria; quod cum in ipso perpetuo fieri nequeat, *secundo*, saltem intendit illud conservare per generationem alterius similis individui; cum autem natura sit perfecta, non tantum intendit ad generationem, sed etiam ad perducendum prolem ipsam ad perfectionem: perfecta autem edu-

catio et procreatio prolis tria exigit: *primo*, certitudinem ex parte patris, cui potior incumbit cura prolis: *secundo*, educationem et instructionem quoad vitam et mores; cum enim homo corpore et anima constet, ad perfectam sui educationem, non solum requirit alimenta corporis, sed etiam animæ, per diligentem morum instructionem: *tertio* tandem requiritur, ut filii succedant parentibus, quoad bona fortunæ: sed ad hæc tria necessaria est conjugum inseparabilitas; nam eorum separatio redderet prolem incertam, et impediret perfectam illius instructionem et educationem; proles enim destituta a suo parente, alium non haberet, a quo posset instrui, nec in ejus naturæ bona posset succedere. Unde maximum detrimentum proli exinde inferretur, nec consequenter natura suum finem assequeretur.

Constat eadem indissolubilitas Matrimonii, ac confirmatur per legem Dei positivam in Paradiso terrestri prolatam, his verbis: *Relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una*. Ubi loco verbi *adhærebit*, septuaginta Interpretes scripserunt, *agglutinabitur*, ut significetur conjunctio indissolubilis; quæ enim glutino conjuncta fuerint, ea facilius franguntur, quam solvantur. Hanc autem legem divinam non solum renovavit, sed explicavit Christus, Matth. 19. nam repetitis iisdem verbis: *Relinquet homo, etc.* statim infert: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*. Quod inferius confirmat, quando addit, *eum, qui dimissa uxore, aliam ducit, machari, et qui dimissam duxerit, similiter machari*. Ad quam utique divinam Legem respexit Apostolus 1. ad Cor. 7. dicens: *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere*.

Idipsum patet etiam ex **Lege Ecclesiastica**; nam, ut apparebit ex Conclusionem tertia, Matrimonii indissolubilitas etiam in casu fornicationis asserta fuit plurimis Ecclesiæ sanctionibus et constitutionibus.

DICES 1: Quod sufficit ad rem constituendam, sufficit ad dissolvendam: sed mutuus conjugum consensus sufficit ad ineundum vinculum Matrimonii: ergo pariter sufficet ad illud dissolvendum. — **Respondeo ad majorem**, illam esse veram in iis rebus, quæ ex natura sua sunt solubiles, de quarum numero non est contractus Matrimonialis, quem Deus voluit esse insolubilem; unde licet dependeat a mutuo contrahentium consensu, quemadmodum et alii omnes contractus, qui possunt dissolvi per mutuum ipsorum contrahentium consensum; tamen Matrimonium id habet speciale, quod ordinetur ad finem, qui requirit insolubilitatem ex natura sua, nimirum ad prolis procreationem et educationem, ad quam conjugum inseparabilitas necessaria est; unde quemadmodum anima rationalis, licet non producatur, nisi cum aliqua dependentia a corpore rite organizato, et consequenter respectum dicat ad operationem agentis naturalis; attamen semel producta ab eo corrumpi non potest, quia natura sua est incorruptibilis et immortalis, ita licet Matrimonium aliquo modo pendeat a consensu contrahentium; attamen ubi initum est, non potest per eorum consensum solvi, quia natura sua insolubilis est.

DICES 2: Summus Pontifex dispensare non potest in his, quæ sunt de jure naturali, divino, et positivo: sed plerumque dispensavit in Matrimoniis ratis, et non consummatis, ut constat ex facto plurimum

Pontificum, maxime Martini V. Eugenii IV. Pauli III. Pii IV. Julii III. Pauli IV. et Gregorii XIII. ut referunt Covarruvias *IV*, decret. part. 2. cap. 7. § 4. Henriquez, lib. 11. cap. 8. Navarrus in *Summa*, cap. 22. quibus addi potest Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1599. n. 4. ubi asserit, ita iudicatum fuisse ab octo Cardinalibus delegatis a Clemente VIII. circa dissolutionem Matrimonii inter Sigismundum Battorium, Transilvaniæ Principem, et Mariam Austriæ, quorum Matrimonium auctoritate Apostolica dissolutum fuit. — **Respondeo primo** ad *minorem*, nonnullos etiam summos Pontifices illam sententiam ut minus probabilem iudicasse; unde in Matrimonio rato dispensare renuerunt, ut refertur de Innocentio VIII.; unde Ledesma asserit, neminem ante Martinum V. hanc dispensationem concessisse, licet per quatuordecim integra sæcula variæ hujus faciendæ dispensationis occasiones occurrerint. **Respondeo secundo**, ipsos laudatos summos Pontifices idcirco in Matrimonio rato dispensasse, quod forte usurpaverint, et secuti fuerint opinionem, quam existimarunt probabiliorem, utpote cum apud Canonistas esset communis; quod utique in re utrinque probabili ipsis licuit. Exinde tamen inferendum non est, reprobam esse eorum Theologorum sententiam, qui iudicant Matrimonialis vinculi indissolubilitatem firmatam esse Lege naturali, et divina positiva.

Conclusio secunda. — PROBABILIS EST, QUOD PER LIBELLUM REPUDIÏ NON SOLVEBATUR MATRIMONII VINCULUM; SED TANTUM DISPENSABATUR IN PENA, QUA PLECTI DEBUISSET, QUI PROPRIA AUCTORITATE UXOREM REPUDIASSET. Ita Subtilis Doctor, dist. 33. quæst. 3. n. 9. quamvis enim oppositam sententiam ibidem probabiliter defendat, nihilominus addit: *Qui vult tenere primam opinionem, ad argumenta in oppositum potest faciliter respondere*; unde ipsemet ibidem solvit omnia argumenta adversæ sententiæ, sicut solverat fundamenta præcipua, quibus hæc nostra sententia nititur; unde hac in re saltem videtur problematicus.

Hanc vero sententiam aperte tuetur Seraphicus Doctor, ibidem art. 3. quæst. 1. ubi ait: « Dicendum, quod secundum quod dicit Dominus, repudium uxoris numquam licitum fuit, ut sine culpa fieret, « fuit tamen licitum, ut fieret sine pena. Unde aliquid licere alicui « potest duplici de causa: aut quia non obviat juris rectitudo, et sic « repudium non fuit licitum; aut quia non obviat juris punitio, et « hoc modo licuit uxorem repudiare; quia tunc non obviavit juris « punitio ».

Quod autem revera solum impune olim permissum fuerit Judæis repudiare uxores, non autem licite; ita ut eas repudiando peccarent; quia perseverabat semper Matrimonium, quantum ad vinculum; *probatum primo* auctoritate Christi Domini Matth. 19. Cum enim quaerentibus Pharisæis, *liceret ne homini uxorem dimittere quacumque ex causa*, et respondisset non licere, eamque responsionem comprobasset ex prima Matrimonii institutione Genes. 2. proposuerunt illi objectionem ex Lege Deut. 2. *Quid ergo, inquit, Moyses mandavit dare libellum repudiï, et dimittere?* Tum Christus mandandi verbo in permissionem commutato, veram legis intelligentiam aperuit, dicens: *Quoniam Moyses in duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere*

uxores vestras. Ab initio autem non fuit sic. Quasi diceret (inquit Estius, disp. 33. § 9.) vera et legitima institutio Matrimonii id non patitur. Unde nec Moyses mandavit tamquam bonum, sed permisit tamquam minus malum, eatenus obsequens duritiæ cordis vestri, ut hoc malum non puniret, ne pejora consequerentur. Quo etiam consilio usuræ in populo Judaico toleratæ sunt exercendæ in extraneos. De qua re idem Moyses in Deuteron., cap. *proxime præcedenti*, ait: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno;* quod similiter permissive, non præceptive dictum esse in confesso est. *Adde quod*, videri potest ipsos etiam Pharisæos in sua interrogatione *mandati* vocabulum intellexisse generaliter, quia S. Marcus, et cap. 10. refert eos Domino interroganti: *Quid vobis præcepit Moyses?* respondisse: *Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere.* Quibus respondens Dominus ait: *Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* Quo loco *præceptum* vel ad scriptionem libelli referendum est, vel generalem habet significationem, ut etiam permissionem comprehendat. Illius ergo præcepti seu mandati, idest, ordinationis divinæ sensum quærebant Pharisæi, quem et Christus eis exposuit, docens significatam esse nudam permissionem; qua nimirum permittuntur minora mala ad præcavenda deteriora. Certe satis constat Pharisæos non sensisse, quod esset præceptum dimittere uxores, quia tantummodo quærunt, an liceat.

Eodem pertinet doctrina Christi, Matth. 5. *Dictum est*, inquit, *quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii, Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, etc.* Quem locum tractans S. Augustinus, lib. 1. *De Sermone Domini in monte*, cap. 14. sic ait: *Qui præcepit dari libellum repudii, non hoc præcepit, ut uxor dimittatur: sed ut dimittere volens, det libellum repudii. ut iracundiam temerarie projicientis uxorem, libelli cogitatio temperaret.*

Quod autem hæc sit genuina Legis Deuteronomii 24. interpretatio et explicatio, apparet ex ipsius legis verbis: nam ipsa lex prohibens, ne repudiata quæ alteri nupserat, mortuo secundo viro, reciperetur a priori, rationem hujus prohibitionis reddit: *quia polluta est, et abominabilis facta coram Domino.* Atqui si dissolutum fuisset prius Matrimonium, et consequenter secundum legitimum extitisset, nulla ratione dici potuisset polluta; polluta enim non est, quæ mortuo marito iterum nubit: ergo dicitur polluta ratione adulterii cum secundo viro. *Confirmatur* ex illo Hieremiæ 3. *Vulgo dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit alterum, numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego te suscipiam.* Quibus postremis verbis aperte significatur, mulierem repudiatam non solum fuisse pollutam, nubendo alteri, sed etiam fornicariam; id enim postulat comparatio ibi a Deo facta.

Idem docent SS. Patres, maxime sanctus Ambrosius, lib. 16. in Lucam, ubi cum probasset ex verbis Christi non esset dimittendam uxorem, objicit: *Quomodo*, inquit, *Moyses mandavit dari libellum repudii? Respondet ei*, (supple sibi objicienti) *Dominus: Ad duritiam*, inquit, *cordis vestri, permisit vobis Moyses dare libellum repudii, et dimittere uxores: ab initio autem non fuit sic.* *Moyses permisit*, inquit, *non Dominus*, etc. Ergo non fuit dispensatum, ex mente S. Ambrosii.

Et infra: *Ostendit autem hic locus, quæ propter fragilitatem humanam scripta sunt, non a Deo scripta.*

Similiter S. Chrysostomus, Hom. 17. in Matth. dicit esse minoris mali permissionem, non legem principalem. Item in illa: *Qui enim dimiserit, etc. Ille enim etsi alteram non duxerit, se constituit criminis reum quod adulteram fecit ex conjuge, hic vero accipiens alienam, adulter effectus est, nequaquam enim mihi refert, quia illam alter ejecit; nam expulsa etiam uxor esse ejus, qui eam expulit, perseverat, etc.* Et loquitur respective ad legem, et eos, qui in lege erant, ad quos referunt verba Christi respondentis Pharisæis secundum obligationem legis, ut aperte constat *in loco sequenti*, Homil. 63. in Matthæum, ubi explicans verba Christi huc spectantia, illud supponit per totum discursum, *in secundo membro*, asserens hanc tolerantiam fuisse, ne Judæi sanguinari in uxorem machinarentur homicidium. Speciatim autem in illa verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet, etc. Ita, inquit, ostendit, et præter naturam quidem, quia una caro inducitur; contra legem autem, quia cum Deus conjunxerit, et jusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei dimittendo uxores ausi sunt, etc.* ac proinde non fuit, ex mente Chrysostomi, cum iis ullo modo dispensatum.

Idem Auctor imperfecti inter eadem opera S. Chrysostomi, Tom. 2. qui male adducitur in oppositum, nam Homil. 12. in Matth. hanc partem aperte docere videtur: *Vide, inquit in fine, quia qui secundum legem repudium dat, quatuor committit iniquitates, etc.* (Secundum legem, etc. ergo loquitur de iis, qui sub lege erant, et utebantur repudio ejus). *Primam: quia quantum ad Deum existit homicida. Secundam, quia dimisit non fornicantem, etc. Tertiam, quia fecit eam adulterari. Quartam, quia accipiens eam, fecit adulterium, etc.*

Idem docuit Beda in Matth. 19. transcribens dictum S. Ambrosii. Ex utroque autem glossa interlinearis, quam citat Doctor *supra*. Sed ut cæteros posteriores omittam, eadem est sententia S. August., lib. 19. *Contra Faustum*, cap. 26. et sequentibus ubi scribit, *Nam et illud de uxore non dimittenda, inquit, quod Dominus præcepit, cum antiquis dictum sit, quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudiæ, si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium: exposuit enim Dominus, quid lex voluerit, cum passim dimittenti uxorem jusserit libellum repudiæ dare: neque enim ait, (supple lex) Qui voluerit, dimittat uxorem suam, cui esset contrarium non dimittere, sed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, et quid mali esset dimittere, cogitaret, etc.* Quod fusius prosequitur, explicando ipsam moram, et recursum ad Scribas, quibus tantum libellum scribere licuit, qui, ut erant in lege docti ac prudentes, dissuaderent factum. Scopus autem S. Augustini hic est, ostendere Christum non solvisse legem, sed adimplevisse et declarasse, ac proinde legem descriptione libelli non fuisse dispensationem, sed impedimentum transgressionis legis, ne aliud pejus consequeretur per uxoricidium. Quod amplius declarat in præcedenti capite, quoad reliqua præcepta. Hic ergo Christus declarat veram legis sententiam, ex qua Judæi male interpretabantur permissionem libelli repudiæ. *Ita Hiquæus in Com., ad dist. 33. n. 14.*

DICES 1: Lex Mosayca non permittebat fœminis nubere duobus viris: sed per præfata verba *Deut. 24.* licitum erat mulieri repudiatae nubere alteri viro: igitur per libellum repudii dissolvebatur prius Matrimonium. *Confirmatur*: nam Lex Moysis prohibebat ibidem *Deut. 24.* ne repudiata, mortuo secundo marito, unquam reciperetur a priori viro: at si libellus repudii non solvisset prius Matrimonium, non erat cur mulier, mortuo secundo marito, ad priorem convolare non posset, si illam recipere voluisset: igitur revera per libellum repudii solvebatur vinculum Matrimonii. — **Nego minorem**; nam, ut ait Christus Dominus *Marei 10.* *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur.* Igitur revera non erat licitum, sed dumtaxat toleratum ad duritiam cordis uxori dimissæ alteri viro nubere. *Ad confirmationem dico*, idcirco dimissæ uxori non fuisse permissum ad alterum virum convolare, ne forte iterum ipsi fieret ingrata, maxime quod cum altero viro rem habuisset, et sic priori periculo occisionis subjaceret. *Adde quod*, summa exinde irrogaretur injuria et infamia priori viro, necnon et legi, utpote qui dimissam uxorem recipiendo, manifeste significaret, se perperam ei dedisse libellum, sicque inde colligeretur legem de libello repudii præbere ansam ejusce repudiationis uxorum, et nimium favere virorum libidini ad novas nuptias convolantium. Quod utique significat Moyses, cum prohibendo reversionem mulieris repudiatae ad priorem virum, hanc causam profert: *Ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam*, idest, ne illa reversio occasionem præbeat querimoniæ adversus legem, quæ ita facile uxoris repudiationem permetteret.

INSTABIS: Nulla lex permittere debet mala, propter bona exinde oriunda; nec minora mala, ut majora caveantur: sed ita esset de lege permittente repudium, si revera mulieres repudiatae alteri viro nubentes, commisissent adulteria; adulterium enim permissum fuisset propter cavendam ipsius uxoris trucidationem a priori viro: igitur fatendum est ipsam uxorem cum altero non fuisse mœchatam. — **Respondet Seraphicus Doctor**, loco supra laudato ad *minorem*: « Quod
« Moyses tradendo legem de libello repudii, non permisit, nisi coactus,
« minus malum, propter majus vitandum; unde fuit ibi potius pati,
« quam agere; quadruplex enim distingui potest permissio: *uno modo*
« per privationem præceptionis, et sic Apostolus permittit minus bonum,
« quia non præcepit majus bonum, sicut virginibus nubere permittit:
« *secundo modo* per privationem prohibitionis; et sic venialia dicuntur
« permissa, quia non sunt prohibita: *tertio modo* per privationem
« punitionis; et sic repudiatio uxoris est permissa, quia non punitur
« in lege: *quarto modo* per privationem cohibitionis; et sic omnia mala
« dicuntur a Deo permissa, quia non cohibet. *Prima* permissio est propter
« boni qualitatem: *secunda* propter nostram infirmitatem: *tertia* propter
« vitanda majora mala: *quarta* propter elicienda majora bona. Permisit
« ergo Moyses, quia non poterat prohibere hoc malum, quin triplex malum
« inde sequeretur: *primum* quidem defectus Sacramenti, quia non vellent
« uxorem ducere: *secundum*, multiplicatio fornicationis: *tertium*, homicidium ». *Ita S. Doctor.*

DICES 2: Apostolus 1. ad Corint. 7. æqualiter dicit: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem; solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Atqui posterius hoc non est præcepti, sed tantum consilii, nempe *non quærere uxorem*: ergo, et prius illud, *non quærere solutionem*, similiter consilii erat, non præcepti: et per consequens licebit ei, qui alligatus est uxori, quærere solutionem, quod fit per repudium, seu dimissionem uxoris. — Respondet Estius, si hoc argumentum urgeret, consequens fore, ut quacumque etiam ex causa, imo nulla ex causa, liceat uxorem dimittere; quia juxta hanc ratiocinationem, semper consilii tantum erit, non quærere solutionem. Proinde dicendum, non esse illa duo similiter intelligenda, sed alterum quidem ut præceptum; alterum vero ut consilium; id quod satis indicat Apostolus cum de posteriori mox addit: *Si autem acceperis uxorem, non peccasti*: nihil autem tale addit priori, sed plane contrarium affirmat, tum eodem capite, tum alibi.

Conclusio tertia. — IN LEGE EVANGELICA MATRIMONIUM QUOAD VINCULUM NON SOLVITUR PER ADULTERIUM ALTERIUS CONJUGIS. Hæc est maxime contra Græcos, qui una cum hæreticis hujus temporis contendunt, in causa adulterii dirimi posse Matrimonia, et nova contrahere licere.

Probatur autem hæc Conclusio, primo quidem ex Scriptura sacra Marci 10. ubi cum Christus Dominus dixisset Pharisæis, Moysen dumtaxat Judæis permisisse libellum repudii ad duritiam cordis, ab initio autem non sic fuisse; quia Deus Matrimonium voluit esse prorsus indissolubile, etc.; ac Legem Divinam innovans addidisset: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*; hæc de re Discipulis iterum quæstionem moventibus, absolute dixit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium commisit super eam.* Item Lucæ 16. universaliter ait: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, mæchatur.* Ubi propositio universalis, *Quicumque*, et *omnis*, nullam excludit causam dimissionis: igitur Christus verbis illis significat, ob nullam omnino causam, etiam ob fornicationem, posse alterum conjugum ad alias nuptias transire. Unde S. Augustinus, lib. 1. *De adulterinis conjugis*, cap. 9. *Si quicumque hoc fecerit, ut uxore sua dimissa, alteram ducat, mæchatur: sine dubio ibi sunt ambo, et qui præter, et qui propter causam fornicationis dimittit uxorem. Hoc est enim, Quicumque dimiserit, idest omnis qui dimiserit.*

Probari etiam potest hæc veritas ex illo Apostoli ad Rom. 7. ubi pariter absolute pronuntiat: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri: igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, etc.*

Quod testimonium egregie urget S. Augustinus, contra Pollentium lib. 2. *De adulterinis conjugis*, cap. 2. ubi sic discurret: *Quomodo igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, quando quidem vir ejus ille jam non est, conjugali vinculo per mulieris adulterium jam soluto? Quo enim vivente viro, nisi suo, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, sed nullum habens virum, nubendo erit cum suo viro. Quamobrem secundum doctrinam sanam, mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit, idest, nondum e corpore abscessit. Hæc verba*

Apostoli, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur; licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulteri, qui dimissam duxerit etiam ob fornicationem. Idem aperte docet ipsemet Apostolus in 1. ad Corinth., cap. 7. his verbis: Is, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat. Ubi ut recte advertit S. August., lib. 1. De adulterinis conjugijs, cap. 1. et 2. loquitur Apostolus de justo ipsius discessu, nempe vel ob molestam cohabitationem viri, vel propter ipsius fornicationem; alioquin determinate illi præciperet, ut viro suo reconciliaretur, non autem disjunctive, ut vel id faceret, vel saltem maneret innupta. Quare cum Apostolus verbis illis innuat, non licere mulieri, quæ propter mariti adulterium ab illo discessit, transire ad secundas nuptias, sufficienter indicat per mariti adulterium non solvi vinculum Matrimonii. Quod utique sic confirmat Arcudius, cap. 10. argumento ex antecedentibus ipsius Apostoli verbis deducto; quippe, inquit, in eodem septimo capite prioris ad Corinthios, cum a principio virginitatem laudasset, atque dixisset: Bonum est homini mulierem non tangere, statim ista veluti quædam axiomata præmittit: Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæque virum suum habeat. Uxori vir debitum reddat: similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite defraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas. His positis atque iterum laudata castimonia, et virginitate ab exemplo sui: Volo, inquit, omnes homines esse sicut meipsum, sed unusquisque proprium donum habet a Deo; mox commemoratam subjicit sententiam: Illis, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; et vir uxorem non dimittat. At si hoc demus, nempe sanctum Paulum extra causam fornicationis permittere uxori virum dimittere, modo non nubat, et viro uxorem dimittere, modo alteram non ducat, omnia illa profecto antecedentia ejus enuntiata funditus evertimus. Non enim amplius ad evitandam fornicationem unusquisque uxorem suam habebit, neque unaquæque suum virum. Similiter uxori vir debitum non reddet, neque viro uxor. Item mulieri potestas sui corporis utique dabitur, non dissimili ratione viro. Ad hæc, fraudabunt se invicem, idque non ex consensu, neque ut vacent orationi. Postremo iterum revertentur in idem, et consequens illud erit, ut eos tentet satanas. Vides igitur, quam multa sequantur absurda uno illo concessio. Hic ergo est clarus, germanus, et verissimus sensus Apostoli dicentis, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, nimirum sine justa causa fornicationis; hoc enim præcepit Dominus. quod si discesserit, causa nimirum justa inventa, id enim permisit Dominus, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Refert enim Paulus esse præceptum Domini, et universe loquitur sine ulla exceptione: ergo

ita est intelligendus; alioquin insufficienter explicasset præceptum Domini. *Ita Arcudius.*

Eadem veritas definita est in plurimis Conciliis, maxime in Concilio Eliberitano, Can. 9. ubi communionem interdicit mulieri, quæ ob viri adulterium, alteri nupserit. Similiter ex Concilio Milevitano, Can. 17. in quo declarat, secundum Evangelicam et Apostolicam doctrinam, nulli licere vivente conjuge ad alias nuptias transire. Idem statuitur in quadam Synodo Anglicana, celebrata an. 663. quam refert Beda, lib. 4. *Historiæ Anglorum*, c. 5. in qua statuitur, Can. 10. *Si quisquam propriam expulerit conjugem legitimo sibi Matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.*

Verum, omissis aliis similibus Conciliorum decretis, hanc veritatem expresse definierunt duo Concilia generalia, Florentinum videlicet in Decreto unionis Armenorum, ubi sic legitur: Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit; et novissime Tridentinum, Sess. 24. Can. 7. his apertissimis verbis: Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet, juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mæchæricque eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit.

Eandem veritatem constanter docent ac tuentur SS. Patres, et sacri scriptores, tam Græci, quam Latini, in primis vero Athenagoras in apologia pro Christianis, ubi ait, si quis priore dimissa aliam ducat, non esse conjugium, sed adulterium. S. Clemens Alexandrinus, in fine lib. 2. *Stromatum*, affirmat, « secundum Scripturam adulterium esse, post separationem Matrimonio conjungi, vivo altero ex « separatis, cum tamen paulo ante dixisset separationem fieri non « posse, nisi ob fornicationem ». — S. Basilius, in lib. *De Virginitate*, circa medium, ita scribit: *Talis uxor, vivente viro mæchatur, cum per omne vitæ tempus adulteretur; imo vero quia fruitur voluptate, intemperanter scortatur; quia vero vivit vir ejus, illicite mæchatur.* Ubi loquitur de muliere, quæ dimissa fuerat propter fornicationem, et censet, quod si alium postea virum agnosceret, quamvis non maritum, scortaretur, simul et adulteraretur, propterea quod vir ejus vivat. Existimat ergo S. Basilius, vinculum Matrimonii non solvi per fornicationem. Quod utique clarius infra demonstrat, cum scribit: *Non audis vero quod etiam, qui dimissam ducit, adulterium committit? Etsi enim, inquit, dimissa est propter causam, attamen vivit vir ipsius. Quid igitur vexas dimissam? neque concedis tempus, et illi corrigendi seipsam in iis, propter quæ dimissa est, et ei, qui dimisit, ut ob correctionem ejus misertus, membrum suum rursus ad seipsum recipiat? Sed præcipis emendandi tempus, vivente viro dimissam in Matrimonium ducens. Sine, inquit, aut ad viventem reverti, simulque factam meliorem uxorem redire, aut neque viduam, neque uxorem existentem, culpæ, ob quam eam maritus dimisit, pœnam dare. Tu vero priusquam*

intelligat proprium, propter quod dimissa est, peccatum, illam ad conjugium rapiens, audaciorē ad peccata absurde efficit, vivente quidem viro, semper alienam adulterans, facilem vero illam, ut dixi, ad peccata, quæ in convictu accidere solent, absurde exercens. Quod si is, qui eam ducit, quæ a mortali viro dimissa est, adulterium committere impie facit, multo magis impie per omne vitæ-tempus adulterium committit is, qui immortalis viri sponsam numquam dimissam corrumpere audeat. — Ipsi concinit S. Gregorius Nazianzenus in secundo carmine, ubi recenset laudes virginitatis, et incommoda Matrimonii, cujus agnoscit indissolubilitatem, dum vocat malam uxorem pestem, quam nemo repudiare potest; scribit enim:

*Perspice quanta premant servos incommoda carnis.
Femina non parva mereatur dote maritum.
Quodque etiam gravius vitiosum sæpe, et inertem:
Rursus emenda viro conjux, nec moribus illa
Prædita sæpe bonis, quæsitæ attractaque pestis,
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare.*

Eandem doctrinam tuetur S. Chrysostomus pluribi, maxime vero Homil. 17. in Matthæi, cap. 5. ubi clarissime demonstrat ex verbis Christi, hominem nulla ratione posse vivente propria uxore, quantumvis dimissa et rejecta, alteram ducere; et Hom. 62. expendens illa: *Si sic est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* ait: *Onerosum valde videtur omni nequitia plenam dimittere, ac atrocem belluam una secum intus inclusam perpetuo retinere.* Quæ certe non ob aliud dicit, quam ob vinculum insolubile Matrimonii. Quod et clarius ac evidentius declarat lib. *De Virginitate*, circa medium, ubi expendens præfata verba Apostoli 1. ad Cor. 7. *His, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus,* etc. ait: « Quid autem, si vir
« moderatus est, uxor vero nequam, maledica, loquax, et quod com-
« mune est mulieribus vitium, sumptuosa, multisque aliis imbuta
« vitiis fuerit? Quomodo miser ille quotidianam hanc molestiam, su-
« perbiā, et impudentiam perferet? Quid si contra acciderit, probam
« illam, et mitem esse, virum autem ferocem, insolentem, iracundum,
« pecunia etiam, potentiaque admodum elatum et inflatum, qui li-
« beram habeat pro ancilla, nihiloque melius in eam, quam in fa-
« mulas sit animatus, quonam pacto ejusmodi necessitatem, vimque
« tolerabit? Quid denique si vir ab uxore continenter aversus per-
« petuo abhorreat? (Quod nimirum ut plurimum accidere solet, quando
« alterius ardet amore) Perferas, *inquit*, omnem istam servitutem.
« Tantum enim tui juris futura es, cum is a vita migrarit (*en termi-
« nus solvendi Matrimonium, et nota voculam μόνον*). Nam quamdiu
« vixerit, alterutrum necesse est, vel ut eum magno studio regas, ac
« modereris, melioremque facias, vel bellum minime denuntiatum,
« perpetuumque prælium fortiter sustineas. At supra quidem dixerat,
« *Nolite fraudare vos invicem, nisi forte ex consensu;* hic vero di-
« sjunctam ipsam a viro, vel invitam se continere jubet: *Maneat, in-
« quit, innupta, aut viro suo reconcilietur.* Videsne ipsam mediam
« inter duo prælia, ut vel libidinis vim ferre, vel si id noluerit, et,
« a quo afficitur injuriis, assentari, et omnino ejus arbitrio seipsam

« præbere necesse habeat; sive is verberibus, sive conviciis vexare, « sive ludibrio, et despectu servorum subicere, sive hujusmodi quip- « piam (quale nimirum est adulterium) committere voluerit; multas « enim viri vias reperiunt, cum volunt, interendæ uxoribus injuriæ. « Certe nullam, quæ magis exasperet castam matronam, atque mariti « adulterium quod si ista injuriosa non tulerit, (*et se videlicet a ma- « rito disjunxerit*) continentiam colat oportet inutilem; inutilem, in- « quam, quod eo non utitur fundamento, quo deberet; non enim id « sanctitatis studio facit, sed ira in conjugem incitata. *Maneat, in- « quit, innupta, aut viro reconcilietur.* Sed quid, *inquit*, si nunquam « cum viro in gratiam redire voluerit? Habes illud alterum, quo te « inde expedire possis. Quidnam id est? Expecta dum is tibi decedat. « (*Ecce ad mortem indissolubilitas Matrimonii*). Nam quemadmodum « Virgini (*quæ videlicet virginitatem Deo roverit, de hac enim tractat, « in hoc argumento Chrysostomus*) vivo ejus viro (immortalis autem « is est) nunquam licet nubere, sic nuptæ, tantum conjuge mortuo ». Nota similitudinem nihil valere, si fiat quoad vinculum separatio. Nam talis, virgo etiamsi adulteretur, nunquam fit libera a Christi conjugio, ita ut possit carnaliter alii nubere. Ita vertit, et observat Arcudius.

In idem conspirant Latini Patres, maxime S. Ambrosius: is enim lib. 8. in 16. cap. Lucæ, cur conjugia minime dissolvi debeant, hanc videtur afferre rationem, ne videlicet filii pro patre vitricum, pro matre autem novercam habere cogantur; quin etiam propter filios patrem matris culpæ veniam dare censet; quippe si daretur locus alteri conjugio, filiis jam natis male a parentibus prospiceretur, et ipsius matris derelictæ probum, et injuria in filiorum dedecus redundaret. — Similiter sanctus Hieronymus in *Commentariis* super hæc verba Matthæi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, hæc habet: Sola fornicatio, inquit, est causa, quæ uxoris vincat affectum; imo cum illa unam carnem in aliam dividerit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura: qui adulteram tenet, stultus et impius est. Ubicumque est igitur fornicatio, et fornicationis suspicio, libere uxor dimittitur. Et quia poterat accidere, ut aliquis calumniam faceret innocenti, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret: sic priorem dimittere jubetur uxorem, ut secundam prima vivente non habeat. Quod enim dicit, tale est, si non propter libidinem, sed propter injuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias, novarum te immittis periculo?* etc. Idem S. Doctor, quærens utrum mulier, relicto viro adultero, et alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat; sic in Epist. ad Amandum inter cætera scribit: *Omnes cautiones Apostolus computans apertissime definit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum catervam, servorum insidias, atque contemptum parentum, damna rei familiaris; quamdiu vivit vir, licet adulter, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, et ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputatur, ubi alterum virum accipere non licet...* Ergo ista soror, quæ,

ut dicit, vim passa est, ut alteri jungeretur, si vult Corpus Christi accipere, et non adultera reputari, agat pœnitentiam; ita dumtaxat ut cum secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, a tempore pœnitentiæ non copuletur. — At unus pro cæteris nobis sufficiat sanctus Augustinus, qui uberrime hoc argumentum tractat duobus libris De adulterinis conjugis, necnon et lib. 1. De Serm. Domini in monte, cap. 16. et 25. et lib. De bono conjugati, cap. 7. 18. et 24. maxime autem, lib. 1. De Nuptiis et Concupiscentia, cap. 10. ubi inter alia sic scribit: Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, cum quibus alias adhæserunt. Cum aliis quippe adulteri non essent, nisi ad alterutrum conjuges permanerent. Denique mortuo viro, cum quo prius verum connubium fuit, fieri verum connubium non potest, cum quo prius adulterium fuit. Ita inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio, possit auferre. Manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis, sicut apostata anima, de conjugio Christi recedens, etiam fide perditâ, Sacramentum fidei non amittit; quod lavacrum regenerationis accepit, redderetur enim proculdubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui decesserit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii, etc.

Suffragatur etiam ratio: primo namque si per fornicationem maritalæ vinculum solveretur, per illam fieret liber transitus ad secundas nuptias: sed hoc est absurdum; alioquin melioris conditionis foret uxor, quæ causa fornicationis et peccati, quam quæ innocens a viro injuriam et injustitiam ipsi faciente dimitteretur, quoniam illa alteri nubere posset, hæc vero non.

Insuper conjux adultera per repetitum adulterium viam sibi pararet ad alia et alia Matrimonia, sicque crimen suum in ipsius utilitatem et voluptatem redundaret. *Secundo*, hæc solutio ansam præberet utrique conjugii adulteria patrândi; quando enim conjuges moribus et animis invicem dissiderent, aut alieno et adulterino amore flagrarent, cuperentque se vinculis Matrimonii eximere, cum scirent id fieri posse adulterio, facili negotio ad illud facinus patrândum prorumperent, aut certe vero crimine deficiente, alter alteri de adulterio calumniam et accusationem intentaret, ut hac via prioribus nuptiis expeditus ad optatas nuptias convolare posset; ac subinde illa vinculi Matrimonialis ob fornicationem discessio fomitem præberet et occasionem plurimum committendorum criminum; ideirco tamquam malorum fons et incencivum respuenda est. *Tertio denique*, uterque conjux per initum Matrimonium potestatem obtinet in corpus alterius, quod utique jus nullus ipsi unquam adimere potest: igitur quantumvis alter conjugum fornicetur, semper conjux innocens habet potestatem in ipsius corpus. Nec dicas ipsum renuntiare juri suo; hæc enim juris renuntiatio vim non habet solvendi vinculi Matrimonialis; quippe cum fieri possit extracasm adulterii, quando vinculum istud non solvitur.

OBJICIUNT ADVERSARIJ PRIMO: Dominus Matthæi 19. diserte ait: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur:* igitur a contrario sensu, qui dimittit ob fornicationem, et aliam ducit, non mœchatur. Hæc enim Christi sententia

duarum orationum vim habere videtur, quarum altera affirmativa est, continens hujusmodi regulam: si quis uxorem suam absque causa fornicationis dimiserit, et aliam duxerit, mœchatur; altera vero negativa est, quæ continet exceptionem ab hujusmodi regula, quam exprimit particula, nisi; hunc enim facit sensum: non potest dimitti uxor, nisi ob fornicationem. Quod autem hic sit genuinus sensus Christi, confirmatur primo, quia ibidem Christus Dominus interrogatus a Pharisæis de libello repudii, qui omnimodam uxoris dimissionem continebat, illum repudii libellum tollit his verbis: *Ego autem dico vobis, quod omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari, et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis abrogat quidem libellum repudii, excipit tamen casum fornicationis, in quo eum concedit; alioquin ad interrogata a Pharisæis de libello repudii directe non respondisset; si enim nulla ratione in aliquo casu concessisset libellum repudii, non subjunxisset illa verba: nisi ob fornicationem; sed absolute et simpliciter dixisset: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur;* quippe stante nostra sententia, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, sive ex causa fornicationis, sive non, semper mœchatur. Secundo, Christus Dominus de illa dimissa uxore sine causa fornicationis, duo pronuntiat: alterum, quod qui eam dimiserit, facit eam mœchari; alterum, quod qui eam duxerit, mœchatur. Ex quo sequitur, quod si dimittat ex causa fornicationis, non faciet eam mœchari. Alioquin vir semper culpandus esset, etiamsi in causa fornicationis dimitteret. Igitur si dimittens in causa adulterii, non facit eam mœchari, si cum alio copuletur; nec ille erit mœchus, qui cum ea conjungitur. Nam citra causam fornicationis, hæc duo dicuntur; qua posita, et existente utrumque tollitur. — **Respondeo cum Arcudio ad primum.** primo verba illa Christi Domini nisi ob fornicationem, solum referri ad id quod præcedit, idest, ad dimissionem et separationem quoad torum et habitationem; non vero ad id quod sequitur, scilicet ad contractionem Matrimonii cum priori uxore; ita ut sensus illius exceptionis Christi sit: quicumque dimiserit uxorem suam, hoc est, ab ea se separaverit quoad torum et habitationem, quod utique facere non potest, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur. *Respondeo secundo,* non recte ex his verbis Christi inferri: ergo quicumque dimiserit ob fornicationem, et aliam duxerit, non mœchatur; nam hic quoque mœchatur, non ex eo quod dimiserit, sed ex eo quod duxerit aliam; illud enim, nisi ob fornicationem, non respicit, nisi permissionem, et primam partem sententiæ; quo sensu duo Christus Dominus ibidem asserit: alterum, non licere dimittere uxorem quoad torum, nisi ob fornicationem; alterum, non esse licitum quacumque ex causa dimittere quoad vinculum, quod quidem contingeret, si alteram duceret; tunc enim mœcharetur. Ex quibus inferri potest a contrario sensu: ergo qui ob fornicationem dimittit uxorem, et aliam ducit, non peccat dimittendo, sed mœchatur aliam ducendo, juxta illud Lucæ 16. *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* Quare sive juste, sive injuste dimiserit, si tamen aliam non duxerit, neque cum illa rem habeat, non mœchatur. Quam utique explicationem S. Augustinus, lib. 1. *De adulterinis conjugis*, cap. 9. illustrat exemplo petito ex Epistola S. Jacobi, cap. 4.

Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi. Quemadmodum, inquit, non recte dici potest: si ergo nescit homo, non peccat (sunt enim etiam peccata ignorantium, quamvis minora quam scientium), ita non recte dici potest: ergo si causa fornicationis dimiserit vir uxorem, et aliam duxerit, non mœchatur: est enim mœchatio etiam eorum, qui alias ducunt, relictis propter fornicationem prioribus, sed utique minor, quam eorum, qui non propter fornicationem dimittunt, et alias ducunt. — Ad primam confirmationem respondeo, Christum Dominum interrogatum a Pharisæis directe respondisse, quod liceat ob fornicationem uxorem dimittere, non tamen liceat aliam ducere. Itaque unum a Judæis fieri solitum concedit, nempe dimissionem uxorum ob causam fornicationis; alterum vero removet, nempe nuptias cum alia nova uxore. Vel dicendum est, duplicem fuisse Judæorum in dimittendo uxores consuetudinem, et utramque perversam: alteram quidem ob quascumque causas dimittendi uxores; alteram vero dimissis prioribus alias ducendi. Utramque autem Christus damnavit, et corrigere voluit; at contra priorem quidem ait: dico vobis, quod quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur; quia videlicet fidem conjugalem violat, sibi que et uxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem vero Judæorum consuetudinem, illud adjunxit: et qui dimissam duxerit, mœchatur: non aliam certe ob causam, nisi quia quæ dimissa fuerat ob fornicationem non erat prioris Matrimonii vinculo soluta. Ita Arcudius. — Ad secundam confirmationem respondet, illud nisi ob fornicationem, non debere referri ad utrumque membrum orationis, sed tantum ad primum; perfecta enim dimissio duo continet, nempe dimissionem unius, et potestatem ducendi aliam. Primum Dominus approbavit, idque in causa fornicationis; posterius autem improbavit; et propterea illam exceptionem, nisi ob fornicationem, non adiecit in fine sententiæ, sed in medio post primum membrum; non enim dixit: quicumque dimiserit, et aliam duxerit, nisi ob fornicationem mœchatur. Unde illa exceptio cadit in id quod præcedit, non autem in id quod sequitur.

OBIECIUNT 2. Varias SS. Patrum auctoritates: primo quidem S. Gregorii Nazianzeni, qui Orat. 31. disserens de Matrimonio, ita loquitur: *Lex quidem omnes ob causas libellum dat repudii: at Christus non ab omnibus, sed separari tantum ab adultera uxore permittit. Idque propterea quia impudica genus corrumpit, et adulterat. Reliquis autem omnibus in rebus animi æquitate, ac patientia uti jubet. Igitur cætera omnia patienter, moderate, ac sapienter feramus, vel, ut rectius loquar, sapienter et moderate ferte quicumque Matrimonii jugum subiistis.* Sic ille. Sed per libellum repudii antiquæ legis licebat alteram ducere. Igitur Christus in causa fornicationis idem permittit. Et confirmatur argumento Ambrosii Catharini, quia si de dimissione quoad torum sermo esset, profecto non sola causa fornicationis fuisset excepta, cum ex aliis etiam licita sit tori separatio, ut optime sciunt qui jura Ecclesiastica norunt. Similiter S. Chrysostomus, Homil. 19. in cap. 7. ad Corinth. proponens quæstionem, cur liceat manere cum infideli, non autem cum fornicatore, cum fornicatio sit minus malum infidelitate; respondet huic difficultati, quod per fornicationem *connubium dissolutum est, universa munditia nuptiarum avolarit atque discessit, ma-*

ritus post fornicationem non est amplius maritus. — **Respondeo**, S. Gregorium Nazianzenum non adversari nostræ sententiæ; imo potius patrocinari; cum enim libellus repudii duo contineret, nempe adulteram posse dimitti, et alteram posse duci, S. Gregorius hæc dividens, ait, Christum permisisse libellum repudii in eo tantum, ut vir separet se ab adultera, non autem ut aliam ducat; si autem alteram ducere licitum esse fuisset opinatus, illud profecto non tacuisset. *Ad S. Chrysostomum* dico cum Arcudio, cap. 24. Matrimonium tripliciter posse considerari, nempe quatenus inchoatum, quod est desponsatio per verba de futuro; quatenus perfectum, quando contractum est per verba de præsentī; et quatenus consummatum per actum conjugalem. Porro quoad hunc tertium modum, negat S. Chrysostomus debere amplius esse Matrimonium inter conjuges adulteros; fieret enim innocens per commixtionem nocens; qui enim adhæret meretrici fit unum corpus cum ea; atque ita fit, ut vir non sit amplius vir, quantum ad Matrimonium tertio modo sumptum; quia videlicet non debet amplius rem habere cum uxore adultera, ne fiat particeps ejus criminis. Unde eodem sensu ipsemet dicit ibidem, uxorem adulteram nullius esse uxorem, videlicet nec adulteri, nec prioris viri; pacta enim cum viro inita conculcavit, et ad adulterum cum debitis legibus non accessit.

OBJICIUNT 3. S. Ambrosium qui in *Comment.* ad illa verba 1. ad Cor. 7. *Quod si discesserit, manere innuptam*, ex sententia Apostoli viro tribuit jus ducendi aliam post divortium, licet mulieri neget. Verba ejus hæc sunt: *Non enim permittitur mulieri, ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, quia inferior non omnino hac lege utitur, qua potior.* Deinde exponens illud: *Et vir uxorem non dimittat*, ait: *Subauditur autem, excepta fornicationis causa, et ideo non subjecit, dicens, sicut de muliere: Quod si discesserit, manere sic; quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem, quia non ita constringitur vir sicut mulier, caput enim mulieris vir est.* — **Respondet Magister sententiarum** in 4. dist. 35. et S. Thomas super illa Apostoli verba, necnon et Gratianus 32. q. 7. præfata verba non esse Ambrosii, sed fuisse a falsariis depravata, et Ambrosii Commentariis inserta. *Verum id difficile esset probare, reclamantibus omnibus exemplaribus.* **Respondet** Arcudius, cap. 26. cum aliis recentioribus Theologis, illos Commentarios in Epistolas Pauli non esse Ambrosii, quod plurimis momentis probare nititur. *Verum quoniam ipsa momenta non mihi sat videntur efficacia ad elevandam horum Commentariorum auctoritatem; ideo rectius dicendum arbitror cum Pontio, lib. 7. cap. 52. auctorem horum Commentariorum ibi loqui de lege sæculi, non de Lege Christi, seu de Lege Julia suo tempore receptissima, qua impune tolerabatur, ut vir dimittens uxorem propter adulterium, alteri nuberet. Quam facultatem non habebat uxor innocens, adulterante viro, eo quod mulieris adulterium cum prolem reddat incertam, aliquo modo gravius est. Porro hanc legem non approbat S. Ambrosius, imo diserte improbat, lib. 1. *De Abraham*, cap. 4. ubi de eadem lege dicit: *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est; nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in eam, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii damnatur crimine.* Similia habet Lactantius,*

lib. 6. *Instit.*, cap. 23. *Non enim, inquit, sicut publici juris ratio est, sola mulier adultera est, quæ habet alium: maritus autem, etsi plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in Matrimonium, quod est in corpus unum, pari jure conjungit, ut adulter habeatur quisquis compagem corporis in diversa distraxerit.*

OBJICIUNT 4. Can. 10 Concilii Arelatensis primi, ubi sic statuitur: *De his, qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.* Igitur Concilium supponit, quod valide possint alias accipere; alioquin dixisset, hoc esse eis præcipiendum, non autem consulendum. Insuper proferunt decretum Zachariæ primi Pontificis, quod refertur cap. *Concubuisti* 32. q. 7., his verbis: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ, neutram habebas: et si illa, quæ uxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit:* igitur censet Pontifex, quod quando unus conjugum adulterium perpetravit, alter conjux innocens potest transire ad secundas nuptias, ac subinde solvitur vinculum Matrimonii per fornicationem. — **Nego consequentiam;** et ad Concilium Arelatense dico, illud consilium, quod suadet dandum, non esse intelligendum de aliis uxoribus accipiendis, sed de concubinis ad congressum illicitum non admittendis; ita quod mens illius Concilii sit, hortandos esse adolescentes illos, quorum uxores fornicatæ sunt, ut servent continentiam, et abstineant ab illicito concubitu cum aliis, qui licet lege divina et humana sit prohibitus, nihilominus censent Concilii Patres, convenientius agendum cum illo viro per monitionem et exhortationem, quam per præceptum, ut tali admonitione provocatus, facilius obediat Legi divinæ, et Ecclesiasticæ. Ad decretum Zachariæ respondeo, illud sic debere intelligi, ut mulier illa alteri nubat post mortem viri sui adulteri; vel si ipsi dumtaxat fuerit desponsata, non autem Matrimonio copulata, alteri iterum possit desponsari, ut cum ipso legitimum et validum Matrimonium contrahat. Ita explicat Glossa in illud caput, *Concubuisti*.

OBJICIUNT DENIQUE: Causa propter quam vir, stante Matrimonio, non potest ducere aliam, est, quia non habet potestatem sui corporis: ex eo quod corpus suum jam non est suum, sed uxoris ad Matrimonii usum est: similiter corpus uxoris mariti est: at per adulterium liberatur par innocens hac obligatione, idque permittente Domino, ita ut corpus viri, vel feminae, non sit amplius alterius, sed in propria sit potestate. Cur igitur non esset solutio vinculi? *Deinde*, si Matrimonium fit inter infideles, et alter eorum efficiatur fidelis, potest solvi etiam quoad vinculum; cur igitur non in causa fornicationis? *Denique*, spiritualis fornicatio separat sponsum a sponsa, ita ut sponsus valeat aliam sibi deligere; cur hoc non admittatur in carnali conjugio, cum in carnali sit spiritualis significatio, ut dicit S. Paulus? — **Respondeo ad primum** cum Areudio, cap. 19. causam cur aliquis non possit ducere aliam uxorem, vivente priore, non esse, quia non habet potestatem sui corporis, sed præcise quia reperitur inter conjuges vinculum, idque indissolubile: ex quo tamquam effectus sequitur, ut qui vinculo conjugali constrictus est, non habeat amplius potestatem sui corporis. Porro hic effectus in casu fornicationis cessit cum quadam limitatione; non

enim vir, ob uxoris adulterium, adeo liber evadit, ut suum corpus possit alteri tradere, sed tantum in pœnam adulterii potest usum sui corporis ipsi denegare. Cessat itaque hoc modo ejusmodi effectus, durante causa, nimirum vinculo, quod est de essentia Matrimonii. *Ad secundum dico* cum eodem, hoc interesse discrimen inter Matrimonium legitimum, et ratum, seu quatenus est in officium naturæ, et prout est Sacramentum, quod Matrimonium verum et legitimum habet quidem indissolubilitatem quamdam naturalem; ea tamen non est tanta, quæ in aliquo casu non possit dissolvi; Matrimonium autem ratum et perfectum seu consummatum nullam admittit dispensationem, nec subinde solutionem, propterea quod significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ utique indissolubilis est, qua conditione caret Matrimonium legitimum, et quod est tantum in officium naturæ. *Ad tertium dico*, spiritualement fornicationem separare quidem sponsum a sponsa, sive animam justi a Deo. Verum inde inferre non licet, Matrimonium esse dissolubile; non enim Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Deo, sed Christi cum Ecclesia; unde a dissolutione unius unionis non licet inferre dissolutionem alterius. *Adde quod*, per mortale peccatum non ita dissolvatur conjunctio animæ cum Deo, nec per peccatum animam ita Deus abiciat, quin cum ea possit reconciliari, imo eam ad reconciliationem inspirationibus provocat, et gratis ac oblatiis auxiliis adjuvat.

EX HIS ITAQUE SEQUITUR, ob fornicationem dissolvi tantum posse Matrimonium quoad torum et mutuam cohabitationem; si nempe conjux innocens nolit cum adultera cohabitare, et eam in societatem et gratiam admittere. Hæc autem separatio quoad torum multis de causis fieri potest, quas egregie et luculenter explicat Arcudius, cap. 22. Primo quidem ex mutuo conjugum consensu ratione altioris status: quod fieri contingit, ut si conjuges perpetuam voveant castitatem, et propter Evangelicam perfectionem ad Religionem transeant. « Unde « est illud Salvatoris, Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel « agrum, vel uxorem, etc. centuplum accipiet, et vitam æternam pos- « sidebit.* Et iste casus non erat commemorandus a Christo Domino « dum interrogaretur de libello repudii. Nam Pharisei intelligebant « dimissionem uxoris ob aliquod crimen seu aliquem defectum. Cri- « men autem, propter quod dimittitur uxor, vel est adulterii, de quo « Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicatio- « nem, etc.* Vel est crimen hæreseos, de quo intelligitur illud Apo- « stolicum ad Titum, cap. 3. *Hæreticum hominem post unam et se- « cundam correctionem devita.* Et illud Christi Domini, Lucæ 14. *Si « quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxo- « rem, etc.* Vel absolute est crimen aliquod lethale, ut si alter con- « jugum impellat alterum ad peccatum; quo sensu accipitur illud « Matth. 19. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Hoc est, expo- « nente S. Hieronymo, si ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, « oculus, et est utilis, atque sollicitus, et acutus ad perspicendum, « scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te per- « trahit in gehennam, melius est, ut, et propinquitatem ejus, et emolu- « mentis carnalibus careas, quam, dum vis lucrifacere cognatos, et « necessarios, causas habeas ruinarum.

« Cur itaque Dominus, et eum imitati nonnulli SS. Patres solam
 « causam fornicationis expresserint, aliis criminibus prætermis-
 « Hujus rei duplicem rationem assignat Bellarminus, lib. 1. *De Ma-*
 « *trimonii Sacramento*, cap. 14. § *Dicendum. Alteram*, quod hujus-
 « modi crimina sint communia Matrimonio cum aliis confœderatio-
 « nibus: siquidem propter hæresim, et inductionem ad peccatum, non
 « solum conjux a conjuge, sed etiam filius a Patre, et frater a fratre,
 « et servus a domino separari debet. Dominus autem peculiarem ac
 « propriam causam, quæ directe et per se opponatur Matrimonio, eo
 « loco indicare voluit; cætera enim crimina per accidens se habent
 « ad Matrimonium. Sola fornicatio opponitur per se fidei conjugali,
 « ob quam cæteræ confœderationes non solvuntur, sed solum Matri-
 « monium.

« *Alteram*, quia Dominus loquebatur de dimissione perpetua, de
 « qua etiam interrogaverant Pharisæi. Hanc autem efficit sola forni-
 « catio, quippe in aliis criminibus, respiciente conjuge ac serio se
 « convertente, tenetur eum alter conjux recipere; at si semel forni-
 « cationem commiserit, et hoc modo fidem conjugi datam fregerit,
 « non stando promissis, statim cadit suo jure, et alterum conjugem
 « a debito reddendo per omnem vitam liberat. Neque cogitur alter
 « eum recipere, etiamsi respiscat et serio convertatur ».

QUÆRES 1. *Utrum, et quo jure Matrimonium ratum possit dissolvi
 per solemnem professionem Religionis approbatæ?*

RESPONDEO PRIMO, revera posse dissolvi, ut aperte docet Concilium
 Tridentinum, Sess. 24. Can. 6., his verbis: *Si quis dixerit, Matrimo-*
nium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem
alterius non dirimi, anathema sit. Eadem veritas colligitur ex decretis
 Summorum Pontificum; constat enim cap. Ex parte secunda, *De Con-*
vers. Conjugat., ubi Innocentius III declarat: *Antequam Matrimonium*
sit per carnalem copulam consummatum, licere alteri conjugum, re-
liquo inconsulto, ad Religionem transire, ita quod reliquus ex tunc
legitime poterit alteri copulari. Id etiam ante definierat, seu declara-
 verat Eusebius Papa et Martyr, ut refertur Can. *Desponsatam* 24.
 qu. 2., unde hæc veritas traditio Apostolica creditur, juxta regulam
 S. Augustini, lib. 4. *Contra Donatistas*, cap. 24. « Quod universa tenet
 « Ecclesia, nec Conciliis institutum sed semper retentum est, nonne
 « Apostolica auctoritate traditum censi debet? »

Idipsum confirmatur variis exemplis Sanctorum, qui Matrimonio
 inito, sed non consummato, sponsas deseruerunt, ut perpetuam con-
 tinentiam servarent, et religiosam vitam profiterentur. Sic S. Epipha-
 nius, Hæresi 78., et S. Ambrosius, lib. 2. *De Virginibus*, referunt de
 S. Tecla, Metaphrastes de S. Cæcilia, S. Gregorius Magnus, lib. 3.
Dialogorum, cap. 14. de quadam Gregoria sanctimoniali, et plurimi
 alii de S. Alexio, quibus nonnulli censent præluxisse S. Joannem
 Evangelistam; creditur enim ab ipsis Canæ Galileæ nuptiis, quibus
 ut sponsus intererat, a Christo Domino fuisse vocatum ad statum
 Apostolicum, qui Religiosorum est exemplar.

Hujus veritatis alia non subest ratio *a priori*, quam voluntas Dei
 dispensantis in vinculo Matrimonii, ut conjugatus totum sese divinis

obsequiis et officiis mancipet ac devoteat. Quæ utique divina voluntas nobis innotescit, non solum per exempla Sanctorum ab Ecclesia probata, et etiam per eorundem vitam pietate illustrem ac miraculis confirmatam, sed etiam per ipsiusmet Ecclesiæ decreta supra memorata. Nihilominus a posteriori proferri potest hæc ratio congruentiæ, nempe quod ante carnalem copulam, inter conjugatos sit tantum quoddam spirituale vinculum. Sicut autem post carnalem copulam, vinculum illud carnale Matrimonii solvitur per mortem corporis, ita per professionem Religionis ante actum Matrimoniale solvitur spirituale vinculum, quod erat inter conjuges; quia Religio est mors quædam spiritualis, qua aliquis sæculo moriens, vivit Deo.

RESPONDEO SECUNDO, Matrimonii rati vinculum non dissolvi auctoritate Ecclesiastica, sed dispensatione divina, nempe Christi Domini dispensantis in Lege Naturæ et Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem: *tum* quia Ecclesia non potest solvere istud vinculum, nisi dispensaret in Lege naturæ et Evangelica circa Matrimonii indissolubilitatem: sed hoc dici non potest; nam, ut ait Christus Dominus, Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet: tum* quia Ecclesia dispensare non potest in his, quæ sunt de jure divino naturali, et supernaturali, ut communiter docent Theologi contra quosdam Recentiores asserentes Summum Pontificem posse dispensare in aliquibus, quæ sunt de jure divino et naturali, non quidem per potestatem, quam habeat ex se, sed specialiter sibi a Christo communicatam, ob publicum Ecclesiæ bonum: ac subinde non potest dispensare circa dissolutionem Matrimonii, ratione professionis religiosæ.

Nec obstat, quod Matrimonium ratum et consummatum sit ejusdem generis, et speciei, quodque utrumque sit Sacramentum; inde namque inferre non licet, Matrimonium ratum potiori jure non posse solvi per solemnem Religionis professionem, quam consummatum. Siquidem votum solemne Religionis non solvit vinculum Matrimonii tantum rati ex natura sua, et per efficaciam propriam, sed ex privilegio Christi dispensantis in favorem Religionis circa indissolubilitatem Matrimonii rati potius quam consummati, quæ dispensatio per Ecclesiæ decreta innotescit: *tum* quia licet per Matrimonium ratum uterque conjugum jus accipiat in corpus alterius, unius tamen corpus nondum censetur perfecte translatum in ipsius usum; quippe cum actualem ipsius possessionem non habuerit.

QUÆRES 2. *Utrum poligamia, seu uxorum pluralitas, sub uno viro sit illicita?*

RESPONDEO PRIMO, ipsam Legi divinæ adversari, ut constat ex ipsa primaria Matrimonii institutione, in quo Deus non pluribus, sed uni mulieri virum copulavit; unde de utroque in primis hominibus ad conjugium destinato sic loquitur, Gen. 1. *Masculum et feminam creavit eos;* quod etiam repetit cap. 5. per hoc significans non unum pluribus, sed unum uni in Matrimonio esse copulandum. Colligitur etiam ex cap. 2. ubi eadem Scriptura ait, quod *vir adhærebit uxori suæ, non uxoribus, et quod erunt duo in carne una, non tres, vel plures.* Quam etiam probationem Dominus innuit Matth. 29. cum verbis illis ex Genesi repetitis, hæc addit: *Itaque jam non sunt duo,*

sed una caro, quibus significat, Matrimonium ab initio institutum fuisse in eum effectum, ut duo, qui conjunguntur, fiant una caro. Quod certe fieri non posset, si unus pluribus conjungeretur.

Unde sanctus Hieronymus exponens illa verba Christi, Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, subjicit: Dicendo, masculum et feminam, ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait, masculum et feminas, sed masculum et feminam, ut unius conjugii consortia necterentur.*

Eadem probatione utuntur SS. Chrysostomus, Anselmus, et Theophylactus in *Commentariis* ad eundem locum S. Matthæi, quibus pariter subscribit Nicolaus I, ad *Consulta Bulgarorum*, cap. 5. ubi scribit: *Duas tempore uno habere uxores, nec ipsa origo humanæ conditionis admittit, nec lex Christianorum ulla permittit. Nam Deus, qui fecit hominem ab initio, masculum unum fecit, et unam feminam tantum, cui potuit utique si vellet duas uxores tribuere, sed noluit. Scriptum quippe est: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ: non dixit uxoribus. Et iterum: Erunt duo in carne una, et non tres, aut plures. Idem ante eos duos Pontifices censuerunt Siricius, Epist. 2. et Innocentius I, Epist. 3. cap. 6. et plures alii, ut videre est apud Gratianum 32. q. 7. et in Decretalibus titulo de sponsa ducrum. Unde merito Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 2. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla Lege divina esse prohibitum, anathema sit.**

Confirmatur assertio ex eo, quod si poligamia a Deo fuisset permessa, maxime eo tempore, quo propter hominum paucitatem, et necessitatem humanæ propagationis, nempe ab initio mundi usque ad diluvium, videbatur usurpanda: sed tunc temporis nullus SS. Patriarcharum legitur habuisse plures uxores, et solus Lamech ex stirpe reprobæ Cain duas duxit, in quo mortaliter peccavit, ut docet Doctor, dist. 23. n. 8. igitur signum est, quod poligamia fuerit divinitus prohibita. * “Nec movere debet quod in Beresith Rabba legimus sub diluvium hominum morem fuisse, ut pro libitu binas sibi duceret quisque uxores, alteram prolis gratia, alteram in concubitum. Ea autem quæ prolis gratia haberetur, velut vidua, quamdiu superstes esset debebat. Sed ea quæ in concubitum adhiberetur sterilitatis exhaustire solebat poculum, ut sterilis redderetur, atque juxta virum occumbere solita, velut meretricio ornabatur habitu. Eadem habet Salomon Jarchius ad cap. 24. Jobi, in eumque sensum producit et interpretatur hæc verba, ejusdem cap. v. 21: *pavit sterilem quæ non parit, et viduæ bene non fecit.* Ista, inquam, movere non debent, certum enim est ea nihil aliud sapere quam rabiniæ et inane commentum. Nam ex Historia sacra apparet homines circa tempus diluvii non habuisse plures, quippe Gen. 7. refertur quod Noë unicam habuerit uxorem, similiter et de ejus tribus filiis. Unde S. Petrus, Epist. 1. cap. 3. dicit octo tantum animas salvas fuisse, nimirum Noë tresque ejus filii cum suis uxoribus. Nullusque ante diluviū præter Lamechum plures legitur habuisse uxores. * ”

Deinde, si poligamia non esset divinitus prohibita, veteres Patres sub Lege naturæ, vel scripta potuissent licite, et absque ulla dispensatione plures uxores ducere: sed ita non est: nam, ut observat Innocentius III, cap. *Gaudemus* de divortiis: *Nulli unquam licuit simul*

plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum. Hinc S. Chrysostomus, Homil. 56. in cap. 30. *Genes.* docet, consuetudinem habendi plures uxores in plurimis iniquam fuisse, et contra divinam dispensationem et legem.

Eandem assertionem variis rationibus probare solent Auctores, ut evincant poligamiam esse contra jus naturale. Verum quoniam mihi videntur minus efficaces, et ideo solum subjecio eam quam tradit Subtilis Doctor, n. 3. ubi cum observasset in Matrimonio duplicem esse finem: unum primarium, nempe procreationem prolis; alterum secundarium, videlicet, ut sit in remedium concupiscentiæ in natura lapsa; inde colligit *primo*, quod in Matrimonio debeat intercedere commutatio corporum, qua vir suum corpus tradit uni uxori, et uxor suum corpus transfert in potestatem unius viri; inde sequitur, quod ubi vir semel suum corpus transtulit in potestatem unius uxoris, et pro commutatione accepit ejusdem uxoris corpus, neuter eorum habet potestatem sui corporis, ac subinde ubi semel cessit jus in suum corpus, non potest amplius idipsum alteri tradere; quippe traderet alienum, et quod jam suum non est, et sic peccaret contra justitiam.

Colligit secundo, quod licet quantum ad primum finem Matrimonii corpus viri sit majoris valoris, quam corpus mulieris, qui pro eodem tempore idem vir potest plures mulieres fœcundare, mulier autem eadem non possit a pluribus viris eodem tempore fœcundari, ut diversam prolem concipiat et pariat; unde videretur bigamiam ex parte viri non esse contra Legem naturæ, nec contra justitiam, si dumtaxat primarium Matrimonii finem spectes; quia quantum ad prolis procreationem, vir juste posset suum corpus cum tot mulierum corporibus commutare, quot posset fœcundare; nihilominus quantum ad finem secundarium, nempe pro fornicatione vitanda, æqualis valoris sunt corpus viri, et mulieris: « Ideo, *inquit Doctor*, de stricta justitia « pro statu naturæ lapsæ, considerando contractum istum, ut est « ad utrumque finem, requiritur commutatio unius corporis pro unico. « Et addo, quod completio justitiæ in ista commutatione non est, « nisi ex auctoritate superioris instituentis, vel approbantis talem « commutationem: quia etsi res aliquæ sunt inferiorum dominorum, « tamen commutatio earum licita, et justa, talis, vel talis, determi- « natur a Legislatore, et multo magis in proposito, et de corpori- « bus in comparatione ad Deum: ipse autem instituit, et pro statu « innocentiae, et pro statu naturæ lapsæ regulariter istam commu- « tationem debere fieri unius cum uno: in hoc ergo est completa ju- « stitia ». *Ita Doctor*, quibus significat ad strictam justitiam spectare, quod vir, ubi semel suum corpus commutavit cum corpore mulieris, non potest illud alteri mulieri tradere, nec vicissim mulier suum corpus transferre ad alium virum; quia peccarent non solum contra justitiam commutativam, sed etiam contra Legem Dei, qui instituit, tam pro statu naturæ innocentis, quam lapsæ, ut ista corporum commutatio fieret unius pro uno.

Respondeo secundo, Deum dispensasse cum aliquibus antiquis Patriarchis post diluvium, ut plures uxores ducerent, puta cum Abrahamo, Jacobo, Davide, qui fuerunt viri sanctissimi, et tamen plures uxores habuerunt; imo 2. Regum, cap. 12. Deus per Nathan Pro-

phetam computat pro magno beneficio, quod Davidi in sinu dedisset uxores Domini sui; ac subinde signum est, quod cum ipso dispensaverat circa pluralitatem uxorum. Potuit autem Deus legitime cum eis dispensare, inquit Doctor, n. 4. quia majus bonum conveniebat ex revocatione prohibitionis de non ducendis plurimis uxoribus, quam ex ipsius prohibitionis obligatione et observantia: « Quia erat, inquit Doctor
 « tunc necessitas multiplicandi genus humanum ad cultum divinum,
 « puta, quia pauci erant cultores Dei, quantum possent, quia in sola
 « successione eorum mansit fides et cultus divinus: ergo pro tunc
 « rationabile fuit dispensare, ut unus commutaret corpus suum pro
 « pluribus corporibus mulierum ad majorem multiplicationem cultorum
 « Dei, quæ sine hoc non fieret. Sic autem fuit dispensatum, ut præsu-
 « mitur, de Abraham, et quibusdam aliis Patribus »; * “ ut declarat S. Augustinus, lib. 1. *De nuptiis, et concupisc.*, cap. 8. *Prolis gratia*, inquit, *Patres sanctos ex Abraham et ante Abraham, quibus Deus, quod ei placuerint perhibet testimonium, usos fuisse conjugibus, neminem oportet dubitare christianum, quando quibusdam etiam singulis plures habere concessum est, ubi ratio fuit prolis multiplicandæ, non variandæ appetitio voluptatis.* Unde lib. 3. *De doctrina christiana*, cap. 12. ait, quod patriarcharum et veteris Legis tempore, *erat uxorem plurium inculpabilis consuetudo.* Et lib. 16. *De civit. Dei*, cap. 38. *multiplicandæ posteritatis causa plures uxores lex nulla prohibebat.* Cui præiverat S. Chrysostomus qui expendens factum Saræ quæ, consequendæ prolis causa ancillam suam dederat marito suo, ait: *Ipsa vicissim studebat sterilis conjugii solatium ex ancilla quærere, nondum enim tunc talia vetita erant.* Scilicet aliqua Lege positiva, quæ uxorum pluralitatem prohiberet, ut Christus fecit in novo Testamento cum Judæos, Matth. 19. revocavit ad primam institutionem conjugii, in qua maritus unus uni dumtaxat legitur a Deo conjunctus. Itaque uxorum pluralitas non potuit ab antiquis Patribus et vigente Mosayca Lege legitime usurpari, quin ab ea divina Matrimonii constitutione fuerit a Deo dispensatum. ” *

Porro hæc dispensatio non fuit contra justitiam, considerando contractum ex parte contrahentium; quia, inquit Doctor, n. 6. « Quando
 « aliquid ordinatur ad duos fines, principalem scilicet, et minus prin-
 « cipalem, rationabile est uti illo, eo modo, quo magis valet ad finem
 « principalem, licet per hoc aliquid detrahatur fini minus principali.
 « Exemplum, cibus valet ad duo, scilicet ad delectationem, quæ est
 « minus principalis, et nutritionem, quæ est magis principalis; et
 « conveniens est, ut aliquis utatur cibo eo modo, quo magis expedit
 « nutritioni, licet in hoc detrahatur delectationi. Ita contractus iste
 « Matrimonii, et est ad bonum prolis, ut ad finem principalem, et ad
 « vitandam fornicationem, ut ad finem minus principalem: ergo se-
 « cundum rectam rationem debent contrahentes sic commutare, ut
 « commutatio plus valeat ad procreationem prolis, licet minus valeat
 « ad illam redditionem. Sed hoc fit in commutatione unius corporis
 « viri pro pluribus corporibus mulierum; et sic hoc absolute faciendum
 « est in casu necessitatis; quia quando est valide necessarius finis
 « principalis, negligendus est finis minus principalis. Et ex hoc patet,
 « quomodo ex parte partium est justitia, quia secundum rectam ra-

« tionem, utraque pars debet velle aliquid de jure dimittere in com-
 « mutando, et recipiendo permutationem in comparatione ad minus
 « principalem, ut accipiat æquivalens in comparatione ad finem magis
 « principalem, quem plus debet eligere, licet debeat commutari ali-
 « quid de aliquo, quod esset sibi detrimentum remittere. Et quandoque
 « est necesse in aliquo casu, quando scilicet ad talem remissionem
 « tenetur, et complere licet, et debet, quando a superiori est hoc or-
 « dinatum. Hoc patet *Genes.* 16. quia cõggit Sara Abraham, ut intraret
 « ad Agar ancillam suam, ut vel sic haberet filium de ancilla, quem
 « de ipsa habere non poterat.

Si objicitur, quod pro tempore moderno esset bigamia illicita.
Respondet Doctor, n. 7. « etsi illicita sit, eo quod pro nunc non est
 « a Legislatore dispensatum, imo reductum est ad illud Legis naturæ:
 « *Erunt duo in carne una*, per Christum, *Matth.* 19. tamen loquendo
 « de justitia ex parte contrahentium et contractus, etiam modo non
 « est illicita: sed pro tanto est illicita, quia nunc non est necessarius
 « ille finis principalis, eo quod multi vacant generationi fidelium,
 « quia fides multiplicata est. Cessante igitur necessitate detrahendi
 « secundo fini, propter necessitatem primi finis, servandus est con-
 « tractus, ita ut servetur ibi justitia respectu utriusque finis, scilicet
 « quod unus habeat tantum unam, et e converso. Si tamen contin-
 « geret casus per bellum, vel cladem, vel pestem, quod multitudo
 « virorum caderet, et multitudo mulierum remaneret, posset tunc bi-
 « gamia esse licita, considerando præcise justitiam ex parte commu-
 « tantium; et deberent ex parte sua velle sic commutare mulieres
 « cum viris plus pro minori, quantum ad secundum finem, licet pro
 « æquali, quantum ad primum finem; nec deficeret ibi, nisi completio
 « justitiæ, quæ est ex approbatione divina, quæ forte tunc fieret, et
 « Ecclesiæ specialiter revelaretur ».

DICES 1: Deus non dispensat circa obligationem juris naturalis:
 sed poligamia est contra jus naturæ: igitur Deus in eo cum Patriar-
 chis non dispensavit. — **Distinguit majorem Doctor:** Deus non di-
 pensat in jure naturæ primo modo sumpto, quatenus videlicet est
 principium practicum simpliciter notum ex terminis lumine rationis
 naturalis, qualia sunt ista principia practica, *Deus est colendus: pa-*
rentes sunt honorandi: nemini faciendum, quod quisque sibi fieri non
vult, etc. *concedo:* non dispensat in jure naturæ secundo modo sum-
 pto, quatenus videlicet est quid sequens, et illatum per modum con-
 clusionis ex primis principiis, *nego:* « Porro monogamia est de Lege
 « naturæ tantum secundo modo; unde bigamia ipsi opposita, *inquit*
 « *Doctor*, n. 7. et 8., pugnat in jus naturæ tantum secundo modo sum-
 « ptum. Itaque inferre non licet, quod poligamia secundum se, et quavis
 « data occasione semper sit illicita; nam, *inquit* ibidem *Doctor*, aliquando
 « potest esse necessaria, et justa, considerando justitiam ex parte com-
 « mutationis et commutantium, quando propter necessitatem ratio dictat
 « illo modo debere commutationem fieri, et quando præceptum divinum
 « adest. Verumtamen de Lamech absolute concedi potest, quod peccavit
 « mortaliter, qui contra Legem naturæ, licet secundo modo, et non in
 « casu, in quo recta ratio dictaret illam Legem revocandam; nec supe-
 « rior dispensavit, imo fuit oppositum utriusque ».

DICES 2: Nusquam dispensatum est in biviria, nec licitum fuit uxori duos viros ducere: ergo nec e converso potest esse licitum plures habere uxores. *Consequentia patet* a paritate rationis; sicut enim per Matrimonium vir potestatem accipit in corpus mulieris, ita ut mulier sui corporis potestatem amplius non habeat, sed vir; ita e converso vir conjugatus non habet amplius potestatem sui corporis, sed mulier. — **Nego consequentiam**, et ratio disparitatis est, quod poligamia non opponatur fini primario Matrimonii, sed tantum secundario; biviria autem opponitur primario, quia eadem mulier non potest a pluribus viris eodem tempore fœcundari, sicut plures mulieres fœcundari possunt ab eodem viro.

QUÆRES 3. *Utrum, et quænam sint Matrimonii bona?*

RESPONDET S. AUGUSTINUS, lib. 9. *De Genesi ad litteram*, cap. 7. *Bonum, quod habent nuptiæ, tripartitum est: fides, proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur. In Sacramento, ut conjugium non separetur, ut dimissus, aut dimissa, nec causa prolis alteri jungatur.* Idem habet pluribi, maxime lib. 16. *De Civitate*, cap. 34. necnon et lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. 11. ubi scribit: *Omne nuptiarum bonum impletum est in parentibus Christi: proles, fides, et Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterium: Sacramentum, quia nullum divortium.*

Hanc autem triplicem Matrimonialis boni distributionem ex multiplici capite egregie colligit S. Bonaventura, dist. 31. art. 1. q. 2. ubi scribit: sufficientia bonorum Matrimonii potest accipi a *parte causæ instituentis*, sive efficientis; et sic a triplici principio; a *dictamine scilicet naturæ*, ut vir cubet cum muliere ad conservationem ipsius naturæ, et sic est bonum prolis; a *dictamine rationis rectæ*, ut vir cum sua, et non cum alia cubet muliere, et sic est bonum fidei; a *dictamine gratiæ*, ut significetur unio divinæ naturæ et humanæ, et sic est bonum Sacramenti.

Potest etiam accipi a *parte principalis constituentis*, et hoc tripliciter: quia ad hoc, quod Matrimonium habeat esse completum, tria sunt necessaria, scilicet institutio, usus, et fructus. *Ratione institutionis*, est bonum Sacramenti: *ratione debiti usus*, est bonum fidei: *ratione fructus conferentis usum*, est bonum prolis. Et sic patet, quod est triplex bonum.

Potest denique excipi a *parte finis moventis*, sive terminantis, et hoc vel quia ad bonum, vel quia contra malum. Quia *ad bonum*, cum triplex sit eligendum, scilicet honestum, conferens, et delectabile; *ratione boni honesti* est fides; *ratione conferentis*, proles; *ratione delectabilis* est Sacramentum, secundum quod superius est monstratum. Vel aliter, quia *contra malum* concupiscentiæ, quæ habet in se triplex malum, scilicet fluxum, inordinationem, et fastidium. Contra fluxum est in Matrimonio unio singularis; contra inordinationem, unio utilis; contra fastidium, unio inseparabilis. *Ratione singularitatis* in unione est fides; *ratione utilitatis*, proles; *ratione inseparabilitatis*, Sacramentum. Et hæc tria signant triplicem proprietatem unionis Chri-

sti cum Ecclesia, quia scilicet unitur uni, et quia ex ea filios generat, et quia nunquam separatur. *Ita Seraph. Doctor.*

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS PRÆREQUISITIS AD LEGITIMUM MATRIMONIUM.

DUPLEX generis dispositiones ad legitimum et Christianum Matrimonium agnoscunt Theologi, quarum aliquæ sunt absolute necessariæ, aliæ vero utiles, et quæ conducunt ad ampliorem ipsius fructum et effectum spirituale, necnon et feliciorum conjugum statum ineundum; hic autem non est sermo de posterioribus dispositionibus utpote quæ nullam controversiam theologiam præferant, aut saltem, quæ facili negotio ex jam dictis, et infra dicendis non possint dissolvi. Hæ namque dispositiones præcipuæ sunt: *primo*, quod neuter contrahentium impedimentum habeat, quia cum impedimento, vel invalide, vel saltem illicite contrahetur, prout impedimentum erit dirimens, vel saltem impediens, de quibus agemus Art. sequenti. *Secundo*, ut contrahentes ad Matrimonii statum, Deo stimulante ac suadente, vocentur; cum enim gravia et difficilia sint Matrimonii onera, opus est gratia et auxilio speciali ad ea debita cum animi pietate et constantia perferenda. Opus est igitur ad hoc divinum auxilium obtinendum, quod conjuges divinitus ad Matrimonium evocentur; unde Proverb. 19. *Domus, et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.* Vel, ut legunt Septuaginta Interpretes, *A Domino uxor aptatur viro.* Quod utique perspicuum fit ex primo hominum connubio; Deus enim videns, quod non esset bonum hominem esse solum, non tantum fecit ei adiutorium simile sibi, producendo mulierem, quæ foret ipsius uxor; sed insuper *adduxit eam ad Adam*, Genes. 2. quo significaret, neminem sibi, ut faustum fiat Matrimonium, debere aliam uxorem seligere, quam eam, quæ a Deo destinata est. Quapropter quicumque Matrimonium inire contendit, necessum est, quod id intendat, non ex motivo explendæ ambitionis, avaritiæ, aut libidinis; sed glorificandi Deum, salutem operandi, gignendi filios, qui Sanctorum, ac Beatorum sortem, ac numerum augeant: *Illæ enim*, inquit S. Isidorus, lib. *De Ecclesiasticis Officiis*, *sunt certæ nuptiæ, quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt: neque enim sic institutæ sunt, ut carnis voluptatibus serviant, sed tantum ut fructum propaginis quærant.* De his, inquam, præparationibus amplior nobis non erit sermo, utpote quarum declaratio Christianum oratorem ac concionatorem potius, quam Theologum exigit. De his itaque solum agemus in præsentem, quæ ad Matrimonium valide contrahendum necessario prærequiruntur, qualia sunt *Sponsalia*, quæ sunt veluti futuri Matrimonii inchoationes. Ut autem omnia, quæ de sponsalibus agitari solent a Theologis, non minori brevitæ, quam facilitate innotescant, singulas difficultates agitari solitas sub specialibus paragraphis expendemus.

§ I. — QUID SINT SPONSALIA.

Respondeo primo, sponsalia dicta esse a *spondendo*, et quidem ob istam duplicem causam: *primo*, quia spondere idem est, ac sponte

promittere: at in contractu Matrimonii spontanea promissio requiritur: ergo, etc. *Secundo*, quia mos erat olim, ut puella nuptura promitteretur viro a patre, vel tutore, aut amicis. Unde qui promittebantur vocari solebant sponsus et sponsa, quasi alteri promissus, aut promissa; qui autem promittebant sponsos dicebantur; ipse vero contractus, quo fiebat promissio, sponsalia.

Respondeo secundo, Sponsalia, quantum ad nominis acceptionem, sumi tripliciter: *primo*, pro futuri Matrimonii promissione. *Secundo*, pro Matrimonio contracto de præsentis non consummato, et hoc sensu conjuges sponsi appellantur. Sic Maria Virgo Deipara, de qua dicitur Matth. *Cum esset desponsata Maria mater ejus (Jesu) Joseph*. Lucæ 2. appellatur uxor ipsius Joseph, cujus ratio est quia qui contrahit Matrimonium in præsentis, spondet in futuro officium conjugale. *Tertio*, pro muneribus, quæ dabantur olim sponsæ a sponso; ut ex 1. Reg. 13. colligitur his verbis: *Non habet rex sponsalia necesse*: idest necesse non est, ut David det munera Michol filiæ Saulis Regis.

Hic autem de Sponsalibus, juxta primam acceptionem sumus acturi.

Definiuntur autem sponsalia a Nicolao I, cap. Nostrates 30. q. 5. *Futurarum nuptiarum promissio*. Dicuntur autem *promissio*, ut distinguantur a simplici proposito Matrimonii, quod vinculum et obligationem sponsalium minime inducit. Additur, *nuptiarum futurarum*, ut secernantur ab ipso Matrimonio. importante consensum de præsentis. Porro hæc promissio debet esse libera seu voluntaria; nam sponsalia gravi metu contracta nulla sunt, et quemadmodum sine voluntario ac mutuo consensu contrahentium non fit validum Matrimonium, ita nec sponsalia rata sunt, nisi sponsus et sponsa in promissionem consentiant. Unde Sponsalia, quæ parentes interdum pro filiis ineunt ante legitimam eorum ætatem, rata fieri non possunt, nisi per filiorum consensum, cum ad illam ætatem pervenerint: sicut nec illa rata esse possunt, quæ pro filiis legitimam ætatem habentibus parentes contrahunt, nisi filii tacite vel expresse consenserint. Ille autem rationis usus ad ea sponsalia contrahenda sufficit, qui satis est ad peccatum mortale. Septennium enim requisitum a jure, lib. *De Sponsalibus* 2. ff. *De Sponsal. et cap. litteris, c. accessit, c. ad dissolvendum, de Spons. impub.* pertinet solum ad forum externum; nam in conscientia sufficit usus rationis, qui sufficere potest ad committendum aliquod peccatum mortale; etenim sponsalia obligationem inducunt sub mortali, saltem extra casus exceptos, ac subinde advertentiam et deliberationem tantam requirunt, quanta requiritur et sufficit ad peccatum mortale committendum.

Unde convenientius Sponsalia mihi videntur definiri posse his verbis: *Sponsalia sunt promissio mutua ac libera viri et femine futuri Matrimonii inter legitimas personas*.

Ex qua utique definitione tres sequuntur conditiones necessariae ad sponsalia, ex parte promissionis, et totidem ex parte promittentium. Nam *primo* promissio debet esse mutua; quia, ut mox diximus, Sponsalia nihil aliud sunt, quam futuri Matrimonii promissio; unde non sufficit, quod unus promittat, et alter acceptet: sed necessum est, quod uterque revera promittat; nam, ut docet Pontius, lib. 12. cap. 4. si unus promittat, alter vero non repromittat, neuter remanet obligatus;

Sponsalia enim sunt contractus cujusdam commutationis ita ut alter nec velit. nec possit velle se tradere, nisi sub conditione, quod alter in compensationem se retribuatur. Censet tamen Pontius, quod eo ipso, quo alter alterius promissionem acceptat, uterque manet obligatus, quia nemo potest promissionem acceptare, nisi sub conditione repromissionis. Sanchez vero, lib. 3. disp. 5. docet aliquem posse acceptare promissionem absque repromissione, in quo casu solus promittens manet obligatus, donec alter ex nimia dilatione repromissionis, et Matrimonii, obligationem partis tacite contemnere censeretur.

Secunda conditio ex parte promissionis est, quod sit manifestata; alioqui non posset ab homine, cui fit, acceptari; solus enim Deus, et hominis interiores affectus, et motus inspicit, juxta illud 1. Regum 16. *Homo videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.*

Tertia conditio est, quod illa promissionis manifestatio fiat certis signis sensibilibus, puta vel vocibus, vel nutibus, vel scripturis, quemadmodum diximus de Matrimonio.

Ex parte vero contrahentium prima conditio est, ut sint habiles ad ineundum Matrimonium. Tales vero sunt, qui nullum habent impedimentum, saltem perpetuum Matrimonii contrahendi; nam qui habent impedimentum dirimens, imo et impedimentum perpetuum simpliciter impediens, ad Sponsalia contrahenda inhabiles sunt. De habentibus impedimentum dirimens nulla difficultas; de habentibus vero impedimentum simpliciter impediens saltem perpetuum, res quoque clara; quia omnis promissio rei illicitæ est invalida, et consequenter non obligat, cum nemo ad rem illicitam præstandam obligari possit: at quando est impedimentum impediens, saltem perpetuum, tunc Matrimonium redditur illicitum propter illud: ergo Matrimonii promissio, in qua Sponsalia ipsa consistunt, irrita et invalida est. Dixi, *saltem quando perpetuum est impedimentum impediens*; quia Sponsalia contrahi possunt, quando impedimentum simpliciter impediens est dumtaxat temporale, quia in hoc casu non promittitur res illicita, cum res promittatur implenda solum tempore, quo licita evaserit; sic qui vovit castitatem ad tempus, valide Sponsalia contrahere potest eo tempore quo viget votum, quamvis eo tempore Matrimonium licite iniri non possit: possunt quoque impuberes Sponsalia contrahere ante adeptam pubertatem, quamvis ante illam Matrimonium contrahere non possint.

Secunda conditio ex parte contrahentium est, quod habeant legitimam ætatem, quæ tam ex jure civili, quam ex canonico, debet esse ad minus septennium. De civili quidem constat ex *leg. in sponsalibus ff. de sponsal. in qua dicitur, posse sponsalia a primordio ætatis effici, si modo id fieri ab utraque persona intelligatur, id est* (explicatio est legis) *si non sint minores, quam septem annis.* De jure vero Canonico etiam liquet ex variis summorum Pontificum rescriptis, ut ex cap. 4. et 5. *De Despons. impub.* ubi Alexander III, interrogatus de sponsalibus juvenis cujusdam cum puella, respondet fuisse valida, si hæc ante desponsationem septimum annum ætatis compleverat, secus autem fuisse irrita. Et cap. 13. eodem titulo Innocentius III. declarat, inter juvenem et puellam, de quibus fuerat interrogatus, nec Matrimonium, nec sponsalia fuisse contracta, cum constet puellam nondum ad septennium pervenisse. Et cap. unico eodem tit. in 6. Bonifacius VIII.

affirmat, Sponsalia ab impuberibus contracta ante septennium nulla esse, nisi postea consenserint, et signo aliquo externo consensum suum expresserint. — Hæc tamen, ut diximus, ita sunt intelligenda, ut si præcesserit usus rationis, etiam valeant sponsalia ante septennium inita, ut constat ex cap. 9. *De Desponsat. impuberum*, ubi Alexander III. de illis sic ait: *Si ita fuerint ætati proximi, quod potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu separari non debent, si unus in alium visus fuerit consentire, cum in eis ætatem supplevisse malitia videatur.* Et cap. ultimo, eodem titulo, Innocentius III. consultus de puella, quæ contraxerat circa annum duodecimum, eratque dubium, an sufficientem ætatem attigisset, respondet in hunc modum: *Si puella nubilis non erat ætatis, et ætatem in ea prudentia non supplebat, proculdubio inter eos, non conjugium, sed Sponsalia contracta fuerunt.*

Tertia tandem et ultima conditio ex parte contrahentium Sponsalia est, ut libere consentiant, saltem tacite; quando nimirum parentes, ipsis præsentibus et tacentibus, contrahunt, cap. unico *De Despons. Impub.* in 6. Si vero alii hoc modo contrahant, censeo cum Sanchez, tom. 1. lib. 1. disp. 21. n. 7. ipsorum silentium non esse sufficiens signum consensus, quia c. citato hoc de parentibus tamquam quid speciale statuitur, et illa regula, *qui tacet, consentire videtur*, vera est in favorem, non in præjudicium tacentis. Nihilominus non est omnino improbanda sententia Pontii, lib. 2. cap. 14. n. 7. quod præsumatur consensus etiam in eo casu; et multo magis, si ipsis sponsis præsentibus contrahant eorum tutores, ut docuit Coninek, aut parentes contrahant coram filiis mancipatis, vel spuriis.

§ II. — *Utrum, et quomodo Sponsus et Sponsa teneantur ad contrahendum Matrimonium?*

Respondeo primo, Sponsalia legitime inita inducere obligationem etiam sub mortali ad Matrimonium contrahendum. Quod utique constat; nam ex contractu in gravi materia oritur obligatio justitiæ id implendi, quod promissum est, sub pœna peccati mortalis: sed promissio, in qua Sponsalia essentialiter consistunt, est in re gravi: igitur obligant sub peccato mortali. Unde Innocentius III. cap. 2. *De Sponsalibus*, ait: *Hi qui de contrahendo Matrimonio pure et sine omni conditione fidem dederant, commoneandi sunt, et modis omnibus inducendi, ut præstitam fidem observent.* Hinc si monitionem Pastorum respuant, cogi poterunt per Judices Ecclesiasticos ad implendum Matrimonium, ut constat ex cap. *ex litteris 1. De Sponsat.* Cujus utique ratio est aperta, qui enim debitor est ex debito justitiæ, cogi potest per Judicem ad solvendum et reddendum quod debet: at ille qui debite contraxit Sponsalia hoc modo debitor est: igitur per Judicem cogi potest ad solvendum quod debet, maxime quando nulla intervenit rationabilis causa, quæ ipsi libertatem faciat a contractu resi-
liendi.

Nec obstat id, quod habetur leg. 1. cap. De Sponsalibus, ubi dicitur: *Alii desponsata renuntiare conditioni, et nubere alii non prohibetur.* Hoc, inquam, non obstat; nam, ut observat Sanchez, lib. 1. disp. 17. Lex illa Cæsarea tamquam injusta revocata fuit et abrogata a Jure Canonico. Vel, quod verius existimo cum glossa, hæc lex præ-

fatae sententiæ non adversatur; siquidem loquitur de sponsalibus ex mutuo sponsorum consensu rescissis; possunt enim contrahentes ex communi consensu inita Sponsalia irritare, iisque relaxatis ac solutis, valide ac licite cum aliis contrahere. Quod quamdiu factum non est, nisi aliud adsit impedimentum, tenentur Sponsus et Sponsa mutuo promissum Matrimonium celebrare, ita quod si quis eorum sine justa causa resilire velit, censeatur esse in statu peccati mortalis, ac subinde ipsi deneganda est Sacramentalis Absolutio, quamdiu in injusta ipsa voluntate remanserit.

Contingere tamen potest per accidens, quod interdum ad id non sint cogendi per censuras et pœnas Ecclesiasticas, quando videlicet evidens est periculum, ne ex hujusmodi Matrimonii contractione gravia scandala vel incommoda oriantur. *Tum* quia tunc solum cogendi sunt ad ineundum Matrimonium, quando id Matrimonii fini expedit, nimirum debitæ filiorum procreationi et educationi, ac mutuo obsequio inter virum et fœminam: sed in hoc casu Matrimonium ineundum non expediret huic fini, imo ipsi aperte adversaretur, si nempe perpetua forent inter conjuges dissidia: igitur, etc. *Tum* quia eo in casu nemini fit injuria; neque etiam parti innocenti et postulanti Matrimonium, quia ipsius grave nocumentum cavetur, ac prudenter ejus quieti et tranquillitati providetur; ac subinde nullum ipsi fit detrimentum et præjudicium. *Tum denique*, quia licitum est aliquando permittere minus malum, ut gravius caveatur: sed longe gravius malum est, quod perpetua sint scandala et continuæ inimicitia inter sponsam et sponsam, quam quod sponsaliorum fides frangatur: igitur, etc.

Respondeo secundo, pari ratione eos teneri ad contrahendum Matrimonium, vel certo tempore, si quod præfinitum fuit, vel si nullum est præfinitum, primo tempore congruo secundum judicium prudentium; vel saltem tempore utriusque consensu præfiniendo, ita ut neutri parti contra voluntatem alterius in mora esse debeat. Excipitur tamen casus, quo pars videtur sponte dilationem celebrandi Matrimonii concedere; quod utique præsumitur, quoties non urget promissionis impletionem, cum facile posset.

Tertio dico, Sponsalia obligare saltem mediate ad abstinendum ab eis omnibus (excepto ingressu Religionis, ac similibus de jure concessis) quæ si fierent a conjuge, forent contra finem Matrimonii; sicut enim in Matrimonio traduntur mutua corpora, ita per Sponsalia promittitur et traditur quoddam jus, saltem remotum, in ipsa corpora, contra quod jus peccarent sponsi, si post celebrata Sponsalia, fornicationem cum alio committerent.

Quale autem foret illud peccatum fornicationis, an verum adulterium, an vero præter malitiam fornicationis contineret etiam malitiam alterius peccati in ratione injuriæ, ita quod non solum esset contra castitatem et temperantiam, sed etiam contra justitiam in re gravi, controvertitur apud Theologos; aliqui enim censent cum Paludano, in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. esse revera adulterium; nonnulli vero cum Covarruvia 4. decretalium, parte 1. cap. 1. existimant non esse peccatum mortale distinctum a peccato fornicationis; cæteri vero communiter docent, illud peccatum esse distinctum peccatum mortale in ratione injuriæ a peccato fornicationis, subindeque transferre peccatum

fornicationis ad alteram luxuriæ speciem: *tum* quia qui fornicationem illam committit, præbet sufficientem causam solvendi Sponsalia; quod utique in levem injuriam non videtur convenire; nam culpa, quæ viro cordato non sufficeret ad repudiandam alterius amicitiam, non potest sufficere ad solvenda Sponsalia: *tum* quia licet per Sponsalia Sponsus non habeat *jus in re* ad corpus sponsæ. nec vicissim sponsa ad corpus sponsi, quia hoc jus tantum traditur per Matrimonium; attamen uterque habet *jus ad rem*: siquidem promissio facta in contractu Sponsaliorum, obligans ex justitia, est promissio donandi corpus utriusque partis alteri ex contrahentibus; unde sicut qui promittit equum alteri, dat ipsi quoddam jus remotum in ipsum equum, et ipsi facit injuriam, si reddat eum deteriolem, ita et sponsus tradens corpus promissum sponsæ alteri ab ea, facit ipsi injuriam, et peccat peccato speciali injustitiæ: *tum denique*, quia talis fornicatio cum aliena periculum præbet, ne nascatur proles, quam post celebratum Matrimonium teneantur conjuges communibus sumptibus alere; quod utique est contra justitiam, cum enim bona sint communia inter conjuges, non potest maritus, reluctante uxore, filium alienum et spurium in familiam suam inducere: igitur hoc peccatum non videtur simplex fornicatio, sed præterea habet quamdam malitiam injustitiæ sibi adnexam, et transfertur ad aliam a fornicatione speciem luxuriæ. Non tamen est adulterium, quippe adulterium est alieni tori violatio: talis autem non potest esse fornicatio sponsorum, quippe cum neuter eorum toro alterius fruatur. Unde ex L. si uxor § 3. ff. ad Legem Juliam. qua utitur Paludanus, contrarium ipsius sententiæ colligitur; nam talis lex utrumque peccatum distinguit, nempe violationem Matrimonii, quæ est adulterium, a violatione Sponsalium; tametsi utraque violatio dicatur ibi punienda his verbis: *Etiã in sponsa hoc idem* (scilicet crimen) *vindicandum; quia nec Matrimonium qualecumque, nec spem Matrimonii violari permittitur*. Unde sequitur, tale peccatum reductive solum spectare ad speciem adulterii, sicut ipsa Sponsalia reducuntur ad Matrimonium, ejus sunt quædam inchoatio.

Nec obstat, quod qui vovit ingressum Religionis, si labatur in peccatum carnis, non censeatur propter illud votum peccare peccato distincto a fornicatione. Hoc, inquam, non obstat; licet enim votum simplex Religionis se habeat ad votum solemne, sicut Sponsalia ad Matrimonium, in hoc, quod sicut votum simplex Religionis est tantum nuda promissio, votum autem solemne adjunctam habet traditionem rei promissæ, sic Sponsalia rationem habeant promissionis corporum; nihilominus in hoc differunt, quod per votum simplex Religionis, utpote soli Deo factum, Religio nullum acquirit jus in ipsum, qui vovit; at vero per Sponsalia sponsi acquirunt jus justitiæ in se invicem, ratione mutuæ promissionis datæ et acceptatæ: igitur non est utrobique paritas.

§ III. — *Quibus de causis Sponsalia licite dissolvi possint?*

Respondeo, varias a Theologis et Canonistis proferri causas, ob quas Sponsalia legitime inita dissolvi possunt citra culpam dissolventium, quarum præcipuæ hic assignandæ sunt.

Primo itaque, Sponsalia dissolvi possunt ex mutuo contrahentium

consensu, ut patet ex cap. 1. *De Regulis Juris*, ubi dicitur: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; ex hypothesi, quod natura sua sit solubilis, qualia sunt Sponsalia. Quod etiam verum est, quamvis Sponsalia jurata sint; siquidem juramentum non obligat, nisi in commodum partis, qua remittente obligationem, tollitur materia juramenti. Ut autem hæc remissio fiat legitime, necessum est, quod utrinque sit libera; si enim una pars alteram metu vel dolo ad remittendum induceret, inducens maneret obligatus in conscientia ad celebrandum Matrimonium. Secus autem est, si rationibus vel precibus non ita importunis partem alteram ad remissionem sollicitaret.

Secundo, Sponsalia inter impuberes contracta, adveniente pubertate, dissolvi possunt altero illorum resiliente; quia videntur celebrari sub hac tacita conditione, *nisi ad pubertatem deveniendo resiliant*; quod utique verum est, quamvis nulla interveniat causa, præter solam voluntatem revocantis, ut habetur *Extra De Desponsat. impub.*, cap. *de illis*, et cap. *a nobis*. Non est etiam necesse, quod unus pubertatem adeptus alterius pubertatem expectet; nam frustra expectatur eventus, cujus nullus debet esse effectus, ut habetur cap. *cum contingit de officio deleg.*

Tertio, dissolvuntur per ingressum Religionis, ex parte ejus qui in sæculo remanet, non vero ex parte ejus qui Religionem ingreditur. *Prima pars constat*: tum quia eo ipso, quod sponsus vel sponsa Religionem ingreditur, videtur Sponsalibus et Matrimonio renuntiare; ac subinde eo ipso alter solvitur ab obligatione: tum quia notabilis mutatio in persona sponsi vel sponsæ, quæ redundare possit in alterutrius vel utriusque contumeliam, sufficit ad dissolvenda Sponsalia, ut statim dicemus: sed per ingressum in Religionem fit notabilis mutatio in persona ingredientis, quæ cederet in contumeliam utriusque, si relicta Religione invicem contraherent; vertitur enim in opprobrium, et dedecus Matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, vel cum ea, quæ fuit Monacha: igitur eo ipso, quo quis Religionem ingreditur, alter, qui remanet in sæculo, liber censi debet ad contrahendum cum altero. *Secunda pars* communiter etiam docetur, quamvis nonnulli Theologi et Canonistæ reclamant; cum enim contrahentes Sponsalia ex justitia obligentur ad celebrandum Matrimonium, nisi aliquo jure vel ratione manifesta ab hujusmodi obligatione eximantur, censendi sunt tamdiu obligari, quamdiu hujusmodi jus vel ratio non adest: sed nullum jus aut ratio manifesta potest assignari ex parte ingredientis Religionem; sed solum ex parte remanentis in sæculo, nimirum notabilis mutatio status in altero facta: igitur per ingressum Religionis censi non debent Sponsalia solvi ex parte ejus, qui Religionem ingreditur, quamvis solvantur ex parte illius, qui in sæculo remanet. Nihilominus non est omnino improbanda opposita sententia, quam tuetur Toletus, lib. 7. cap. 21. nempe, quod dum unus ingreditur Religionem, Sponsalia debent censi dissoluta ex parte utriusque; quia sicut se habent Sponsalia ad Matrimonium, ita ingressus in Religionem, seu novitiatus se habet ad professionem: igitur sicut per professionem dissolvitur Matrimonium ratum, ita per ingressum Religionis, et novitiatum debent dissolvi. Censet autem Navarrus, cap. 22.

n. 26. utrumque tamdiu obligari, donec secuta fuerit Religionis professio; quia nullus Canon decernit Sponsalia dissolvi per solum Religionis ingressum, alioqui dum sponsus adhuc novitius est, potest ad sæculum reverti, et contrahere. Quæ utique sententia, licet minus probanda, non tamen est omnino improbanda.

Quarto, dissolvuntur per simplex votum castitatis, et susceptionem Ordinis sacri, idque ex parte utriusque contrahentis; quia quando duo vincula simul incompatibilia occurrunt, quod fortius est et præstantius debet prævalere: sed vinculum voti, aut suscepti Ordinis sacri incompatibile est cum vinculo Matrimonii, et ipso est præstantius ac fortius vinculo Sponsaliorum; quippe cum illud hominem Deo devoteat; hoc vero tantum homini et creaturæ: igitur debet prævalere; ac subinde unum per aliud dissolvitur. *Deinde*, Sponsalia censi debent contracta tantum sub hac conditione, *nisi alteruter perfectiorem statum elegerit*: sed status castitatis sive continentię præstantior est statu conjugali: igitur per votum simplex castitatis, aut per susceptionem Ordinis, irritum fieri debet vinculum Sponsalium.

Quinto, dissolvuntur per subsequens Matrimonium ratum cum altero; cujus utique ratio est aperta, quia Matrimonium est insolubile; ideoque per ipsum sponsio præcedens fit observatu impossibilis; ac subinde nulla ipsius remanet obligatio. Nihilominus graviter peccat, qui contra fidem datam Matrimonium cum altera contrahit. Sunt tamen, qui existiment cum Pontio, cap. 13. n. 4. quod si alter sponsus velit expectare dissolutionem illius Matrimonii per subsequentem mortem, Sponsalia non solvuntur ex parte ejus, qui nupsit; nam jura cap. 1. de sponsa duorum, cap. *sicut*, cap. *si inter*, etc. quæ decernunt Sponsalia dirimi per Matrimonium subsequens, solum statuunt, quod sponsus debeat manere cum qua nupsit, ex quo non sequitur, quod obligatio Sponsaliorum ex parte ipsius dissolvantur.

Sexto, dissolvuntur Sponsalia per subsequentem alterutrius sponsorum fornicationem, non quidem ex parte peccantis, sed ex parte innocentis. *Tum* quia in sponsalitia promissione subintelligitur hæc conditio; nisi sponsus, aut sponsa in Legem Matrimonii peccaverit: *tum* etiam quia si vir propter fornicationem uxoris juste potest illam a se dimittere, multo magis sponsus propter fornicationem sponsæ, poterit illam ad se non admittere, ut docet Innocentius III, cap. *Quemadmodum de jurejurando*. Quod etiam locum habet in puella rapta, aut vi oppressa; quemadmodum habet Glossa in idem caput. Porro, quod diximus de fornicatione corporea, dicendum est etiam de fornicatione spirituali per hæresim vel apostasiam; hæc enim sufficiunt ad Sponsalia dissolvenda; tum propter periculum perversionis sponsi Catholici, tum propter periculum, ne futura proles hæresi inficiatur.

Septimo, dissolvi possunt Sponsalia propter notabilem mutilationem vel deformitatem supervenientem sponso aut sponsæ, aut gravem, diuturnum, vel perpetuum morbum, veluti lepram, aut paralytimum prius incognitam; ex quibus contingere potest, quod sponsus vel sponsa sit inhabilis ad officium Matrimonii, vel alteri comparti odiosa et ingrata. Quo in casu is, qui sanus et integer permanet, solvitur ab obligatione; ita enim docet Urbanus III, cap. *litteras*, extra de conjugio leprosum, et Innocentius III, cap. *Quemadmodum*, Extra de

jurejurando. Ex quo patet hunc casum etiam ad jurata Sponsalia extendi.

Octavo, per longinquam peregrinationem, seu absentiam alterius, alter, seu altera sponsione liberatur. Quo casu quamvis jus civile bien-nium totum præcipiat expectari; jure tamen Pontificio, post cognitam sponsi in remotas terras profectionem, nullum tempus ad expectandum præscribitur, quia ille per talem discessum censetur juri suo renuntiare. Ita declarat Pontifex, cap. *De illis*, extra de Sponsalibus.

Nono, solvi possunt si gravis inimicitia inter sponso, vel eorum parentes intervenerit; item si sævitia, seu morum asperitas sponsi prius incognita, postea comperta fuerit; justa enim in utroque est ratio recedendi ab eo, quod pactum fuerat.

Decimo, solvuntur per hoc, quod non implentur conditiones promissæ, sive id voluntarie fiat, sive involuntarie, velut cum dos promissa non præstatur. Ratio est, quia promissio pendebat a conditione. Idem dicendum de paupertate superveniente alterutri sponso post contracta Sponsalia; paupertas enim est mutatio status notabilissima; quæ utique sufficit ad dissolutionem Sponsaliorum. Si autem contingat alterutrum sponsorum nova hæreditatis accessione ditio-rem effici, non propterea potest Sponsalibus renuntiare; quia per hoc non potest dici deceptus in sponsæ conditione, aut per errorem in Sponsalia consensisse; quia non erravit circa objectum sui consensus; nec aliud in ipso notabiliter mutatum est, sed tantum circa propriam conditionem, quæ præter spem proximi eventus melior facta est.

Plures sunt aliæ hujusmodi Sponsaliorum dissolvendorum causæ, quas videre est apud Sanchez, Canonistas, et Summistas, seu Theologos Morales, quos communiter Casuistas appellant, in quibus referendis et discutiendis diutius immorari superfluum duxi, utpote cum facili negotio ex assignatis colligi possint et innotescere.

Observandum nihilominus, quod toties universim Sponsalia dissolvi possunt per quodcumque accidens superveniens, quoties si revera extitisset, aut fuisset prævisum, verisimiliter et rationabiliter Sponsalia non fuissent contracta. Hæc tamen non sunt pensanda secundum præsentem sponsorum animi affectum et motum, sed libranda sunt juxta ipsorum conscientiæ dictamen, quo quisque judicare debet coram Deo scrutatore cordis, utrum revera Sponsalia non contraxisset, si id, quod accidit, extitisset, aut prævidisset.

Advertendum pariter circa Sponsaliorum dissolutionem, quod si illa publice contracta fuerint, et causa dissolvendi non sit manifesta, ac publice nota, necessum est ad ea dirimenda, quod interveniat Ecclesiæ auctoritas, ut scilicet vitetur scandalum; cujus si nulla adsit occasio, poterunt sine ipsa publica Ecclesiæ sententia, et per se solos contrahentes dissolvi.

ARTICULUS TERTIUS.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Cum Matrimonium sit essentialiter contractus pendens ex libera et voluntaria contrahentium voluntate, qui cum si sint fideles, subjiciuntur legibus, non solum politicis et civilibus Principum et Rei-

publicæ, sed etiam Ecclesiasticis et Canonicis: inde fit, quod sponsi invicem non possint valide aut licite contrahere, nisi juxta Canonum præscripta: quod si secus fiat, illiciti aut invalidi censentur eorum contractus.

Hinc varia a Theologis et Canonistis præscribuntur Matrimonii impedimenta; quæ ut distinctius et clarius a nobis declarentur, singula sequentibus in Paragraphis expendemus.

§ I. — QUID, ET QUOTUPLEX SIT MATRIMONII IMPEDIMENTUM.

MATRIMONII impedimentum in genere dicitur, quod præexistens contractui Matrimoniali ineundo positive, aut negative, invalidum, vel illicitum Matrimonium efficit jure naturali, aut divino, aut humano. Primo dicitur, quod præexistens: ut enim revera impedimentum efficiat Matrimonium invalidum, aut illicitum, necessario debet præexistere; enimvero si tantum ut superveniens attendatur, vel solum Matrimonii usum et actum prohibet, sicut copula cum sorore uxoris superveniens post Matrimonium; vel omnino vinculum dissolvit, ut votum solemne castitatis in Religione approbata, ante ipsius initi Matrimonii consummationem. — Additur, seu positive, seu negative; non enim necesse est, ut quod habet rationem impedimenti Matrimonii, quod semper sit aliquid positivum, quale est impedimentum criminis, voti castitatis, raptus, etc.; sed sufficit, quod sit quid negativum, quale est impedimentum impotentiae, absentiae Paroehi, etc. — Sequitur, quod ab initio Matrimonium invalidum, aut illicitum reddit: impedimentum enim, ut mox dicemus, est vel dirimens, et sic Matrimonium reddit invalidum, et nullum; vel solum impediens, et sic illicitum efficit. Quod utique fieri potest dupliciter: primo quidem, mediate, quando scilicet personæ, ratione Legis Ecclesiasticæ, aut civilis, redduntur inhabiles ad contrahendum; secundo, immediate, quando contractus ipse fit vel invalidus, aut illicitus ratione prohibentis Legis canonicæ, aut civilis. — Additur tandem, jure naturali, etc. sunt enim quædam impedimenta, quæ naturali jure Matrimonium ipsum invalidum efficiunt, qualia sunt impedimenta erroris circa personam, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, amentiae perpetuæ, et impotentiae ad actum Matrimoniale; alia vero, quæ jure dumtaxat positivo Matrimonium contrahendum impediunt, et dirimunt contractum, qualia olin erant impedimenta consanguinitatis in secundo gradu, et in gradibus inferioribus lineæ collateralis, tempore Legis Mosaycæ, ut præscribitur *Levitici* 18. Alia denique solo humano jure sunt dirimentia, ejusmodi sunt impedimenta criminis, raptus, etc.

§ II. — QUOTUPLEX SIT IMPEDIMENTUM.

IMPEDIMENTA sunt duplicis generis: Alia enim sunt, quæ dicuntur *impedientia* tantum; quia scilicet impediunt, ne Matrimonium licite contrahatur, contractum tamen non irritant, nec invalidum efficiunt. Alia vero sunt, quæ appellantur *dirimentia*, non quod Matrimonium jam valide contractum dirimant; sed quia efficiunt, ut nedum illicite, sed etiam invalide contrahi nequeat, ita ut cum aliquo ex his impedimentis contrahentes, ab invicem separari debeant, et dirimi, nisi iterum valide contrahant. Impedimenta primi generis communiter numerantur

duodecim, quorum aliqua ex jure naturali, alia ex jure positivo, quædam ex crimine, cætera vero ex aliis causis proveniunt. Quinque priora, quæ scilicet crimen non supponunt, his versibus comprehenduntur:

*Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.
Atque Catechismus, Sponsalia, jungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Alia vero septem, quæ crimen supponunt, his versibus comprehenduntur:

*Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc conjugium sociandum.*

Porro ex his omnibus tria dumtaxat vulgo recensentur, quæ nunc vigeant, et exactè observanda sint, puta *Ecclesiæ vetitum*, idest, prohibitio facta a superiore Ecclesiastico, ne Matrimonium contrahatur: *secundo, votum simplex castitatis: tertio, Sponsalia* valide cum alio contracta, et legitime non dissoluta. Alia vero, nempe, *primo*, susceptio alicujus in Catechismo, seu cognatio spiritalis nata ex catechizatione. *Secundo*, incestus cum consanguinea conjugis in primo, et secundo gradu: *tertio*, raptus alienæ sponsæ, ad explendam libidinem, etiamsi ipsa consentiat: *quarto*, uxoricidium, seu propriæ uxoris occisio, non quidem animo transeundi ad alias nuptias; hoc enim esset impedimentum dirimens, sed ex ira, odio, aut vindicta: *quinto*, injusta Presbyteri occisio; qui enim ita interficit Presbyterum, cujus est Matrimonio interesse, olim prohibebatur Matrimonium inire, ut legitur *Can. Presbyterum de Pœnit. et Remiss: sexto*, susceptio propriæ prolis, animo non reddendi debitum conjugale: *septimo*, Pœnitentia publica, qua durante, olim interdictum erat Matrimonium: *octavo*, Matrimonium sacrilege attentatum cum Sanctimoniali, ut habetur c. 28. q. 1. Hi, inquam, octo casus, qui totidem olim erant impedimenta Matrimonium ineundum impediunt, non videntur amplius vigere, sed per consuetudinem esse abrogata. Unde etiam Prælati non curant admonere fideles sibi subditos accedentes ad Matrimonium ineundum, ut si habeant quædam ex his impedimentis, vel a Matrimonio contrahendo resiliant, vel eorum impedimentorum dispensationem procurent; quia videlicet non existimant, hæc impedimenta amplius vigere. Unde de tribus dumtaxat prioribus impedimentis, Matrimonium licite contrahendum impediuntibus, sigillatim agendum est in præsentî Paragrapho.

Primum itaque impedimentum, prohibens Matrimonium ineundum, est *Ecclesiæ vetitum*, seu prohibitio facta a Superiore Ecclesiastico, de Matrimonio contrahendo; quæ utique potest esse vel generalis, et communis omnibus fidelibus, qualis est prohibitio facta in Concilio Trid., Sess. 24. cap. 1. *De Reform.* de non ineundo Matrimonio, nisi prius tres fuerint factæ denuntiationes publicæ tribus continuis diebus festivis, aut earum dispensatio habeatur; vel specialis, ut cum aliquibus in particulari justa de causa prohibetur Matrimonium, puta vel quia fit in præjudicium tertii, vel quia timetur impedimentum, cujus

veritas prius est investiganda, vel ad vitandum scandalum, aut aliud grave incommodum. *Per tempus feriatum* intelligitur certum anni tempus, quo Ecclesia prohibet Matrimonia esse celebranda. Porro tempus istud notatur a Concilio Trid., Sess. 24. cap. 10. his verbis: *Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ; et a Feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive, anti- quas solemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obser- vari S. Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit: quas Episcopi, ut ea qua decet modestia et hone- state fiant, curabunt: sancta enim res est Matrimonium, et sancte tra- ctandum.* His porro diebus, saltem post Tridentinum, non prohibetur Matrimonium non celebrari absolute, sed tantum cum solemnitate; et constat tum ex prædictis verbis Concilii Trid. tum pariter ex decla- ratione Cardinalium, ejusdem Concilii Interpretum, qui in hæc verba præfata ejusdem Concilii declararunt, quod quocumque tempore potest Matrimonium contrahi coram Parocho; sed nuptiarum solemnitates, convivia, traductio sponsæ ad domum sponsi, et carnalis copula certis temporibus prohibentur; unde hoc impedimentum non censetur abso- lute impediens celebrationem Matrimonii, se tantum prohibens quasdam ipsius celebrationis circumstantias.

Secundum impedimentum nunc vigens est votum aut castitatis perpetuum, aut simplex Religionis, aut suscipiendi Ordinem sacrum, aut non ineundi Matrimonium; cum enim votum propter fidem Deo datam obliget ad fidem ipsi servandam, consequenter prohibet contra- hendum Matrimonium ipsi voto oppositum; ac subinde redditur illi- citum, non tamen invalidum; quia votum simplex castitatis, seu pro- missio Deo facta proprii corporis, ad servandam continentiam, non impedit quin vovens possit valide, sed non licite, illud tradere uxori per Matrimonium.

Tertium impedimentum licitam Matrimonii celebrationem prohi- bens sunt *Sponsalia*, seu promissio futurarum nuptiarum alicui facta; qui enim futurum Matrimonium cum aliqua ineundum legitime et publice spondit, sine mortali peccato non potest cum altera Matri- monium inire, nisi aliqua ex assignatis causis in Articulo præcedenti interveniens sufficiat ad dissolutionem Sponsaliorum.

§ III. — DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Impedimenta dirimentia Matrimonium jam contractum, ante Con- cilium Trid. erant numero duodecim, quibus cum alia duo adjuncta sint ab ipso Concilio Tridentino, jam quatuordecim numerantur; his versibus comprehensa:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, et duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.
Hæc sociare vetant connubia, facta retractant.*

Rationem autem duodenarii impedimentorum illorum numeri præclare colligit Seraph. Doctor, in *Breviloq.*, part. 6. cap. 13. his

verbis: « Conjunctio Matrimonialis, *inquit*, debet esse ex libero con-
 « sensu, procedens ad copulationem personarum distantium in unam
 « Matrimonii legem, et hoc potest duodecim modis impediri: hinc est,
 « quod duodecim sunt impedimenta Matrimonii. Quod patet sic: ad
 « Matrimoniam namque consensum requiritur libertas in consensu,
 « et libertas in consentiente, et idoneitas ad conjunctionem. Sed li-
 « bertas in consensu tollitur per duo, secundum duas partes invo-
 « luntarii, scilicet per ignorantiam, et per violentiam. Et sic sunt duo
 « impedimenta, scilicet *error*, et *violentia*. Libertas autem in consen-
 « tiente tollitur per hoc, quod quis est alligatus alteri, et hoc, vel
 « Deo, vel hominī. Si Deo, hoc est, vel per *votum* expressum, vel per
 « aliquid quod habet votum annexum. Primum est in *voto*, secundum
 « in *Ordine*. Si autem hominī, hoc est dupliciter: aut per ligamen
 « existens, aut per ligamen præcedens. Primum est in *ligamine*, quo
 « quis ligatus est uxori; secundum est in *crimine*, quando mœchus,
 « vel mœcha machinatus est in mortem conjugis, vel ipso vivente
 « fidem de contrahendo dedit. Et sic sunt quatuor impedimenta, sci-
 « licet *votum*, *Ordo*, *ligamen*, et *crimen*. Idoneitas autem ad unionem
 « est distantia personarum conveniens, quæ tollitur per nimiam proxi-
 « mitatem, vel per nimiam elongationem. Nimia autem proximitas
 « venit sive per generationem, sive per aliquid simile generationi, ut
 « est cognatio legalis, aut spiritualis; aut venit per commixtionem
 « sexuum, aut per contractionem Sponsaliorum. Et sic sunt tria im-
 « pedimenta, scilicet *cognatio*, *affinitas*, et *publicæ justitiæ honestas*.
 « Nimia autem distantia aut attenditur quantum ad ea, quæ sunt na-
 « turæ, ut cum non possunt commisceri carnaliter; aut quantum ad
 « ea, quæ sunt fortunæ, quæ non sunt in nostra potestate, ut patet,
 « cum est unus servus, et alter liber; aut quantum ad ea, quæ sunt
 « Religionis Christianæ, ut cum unus est baptizatus, alter vero mi-
 « nime. Et sic sunt tria impedimenta, scilicet *impotentia cōiundi*,
 « *error conditionis*, et *disparitas Religionis*. Ac per hoc sunt in uni-
 « verso duodecim impedimenta, quæ, Spiritu Sancto dictante, intro-
 « ducta sunt in Ecclesia Dei ». — Paulo aliter congruam horum impe-
 « dimentorum distributionis rationem assignat in *Centiloq.*, 3. p. c. 55.
 ubi enumeratis duodecim illis impedimentis, scribit: « Tria sunt ex
 « parte causæ efficientis, quæ est consensus, ad quem concurrunt ratio,
 « et voluntas. Contra actum rationis est error; contra actum volun-
 « tatis est vis, sive violentia; contra actum utriusque est conditio
 « servitutis, quæ impedit partim propter defectum libertatis, partim
 « propter errorem. Tria ex parte causæ materialis. Nam Matrimonium
 « est conjunctio voluntarie introducta inter personas antea non
 « conjunctas. Unde conjuncti in proximitate ad Matrimonium sunt
 « inepti. Coniunguntur autem quidam consanguinitate, quidam affi-
 « nitate, quidam publicæ justitiæ honestate, quæ contrahitur ex Spon-
 « salibus per verba de præsentī. Et sic sunt tria impedimenta, sci-
 « licet *cognatio*, *affinitas*, et *honestas*. Tria sunt ex parte causæ for-
 « malis, quia Matrimonium est vinculum, in quo est mutua potestas
 « viri et uxoris. Hæc autem potestas impeditur, quando alter tradit
 « potestatem sui corporis alii, adhuc vivente proprio, et sic est liga-
 « men; aut quia dedicavit se Deo, et sic est *Ordo*; aut quia manci-

« pavit se Deo, et Præfato, et sic est votum. Tria autem ultima sunt
 « ex parte causæ finalis. Nam Matrimonium est ad procreandam pro-
 « lem, ad cultum Dei, vel saltem in remedium voluptatis. Contra
 « rationem generandi, vel remedii est impotentia coeundi: contra cultum
 « Dei, qui est in fide, est cultus disparitas: contra cultum Dei, qui est in
 « moribus, est criminis enormitas ». *Ita Seraphicus Doctor.*

Ut autem plenior ac planior horum omnium impedimentorum habeatur notitia, de singulis sigillatim agendum erit in sequentibus Paragraphis.

§ IV. — DE IMPEDIMENTO ERRORIS ET CONDITIONIS.

Cum consensus Matrimonialis debeat esse liber, cumque ex Aristotele 3. Ethic. ignorantia, quatenus involvit errorem, officiat libertati, et efficiat involuntarium, seu non voluntarium, secundum S. Augustinum, lib. 8. *De Trinitate*, cap. 4. *Nihil est amatum, vel volitum, nisi prius cognitum*, inde merito Theologi et Canonistæ inter impedimenta dirimentia Matrimonium, errorem computant.

Erroris autem nomine intelligitur actus intellectus existimantis rem esse veram, quæ a parte rei falsa est; aut e contra putantis rem esse falsam, quæ a parte rei vera est. Hic autem error, ut observat Doctor in 2. dist. 22. triplex distinguitur, nempe antecedens, concomitans, et subsequens. Primus facit actum prorsus involuntarium; quia voluntatem ita afficit, ut revera nullo modo hoc vellet, si ipsius veritas ipsi esset perspecta. Concomitans facit non voluntarium; quia nihil volitum, quin præcognitum; non tamen facit simpliciter involuntarium; quia voluntatem sic affectam relinquit, ut nihilominus istud vellet, tametsi veritas ipsius esset ipsi comperta. Subsequens vero ille dicitur, qui scilicet infligitur in pœnam peccati; quod utique fit, cum quis obœccatur, Sole Justitiæ super ipsum veritatis ac luminis cælestis radios, ut prius non instillante. Hic autem non est sermo de errore posteriori, sed tantum de duobus præcedentibus.

Advertendum insuper errorem in contractu Matrimoniali quadruplicem posse contingere. Primo, circa personam, cum videlicet una persona pro alia sumitur; sic Jacob existimans se ducere Rachelem in uxorem, accepit Liam. *Secundo*, circa personæ conditionem, puta, cum quis existimans se contrahere cum libera, contrahit cum ancilla. *Tertio*, circa personæ qualitatem, ut si putet uxorem, quam ducit, esse virginem, nobilem, pulchram, ac divitem, nihilominus eam invenit corruptam, turpem, et ignobilem. *Quarto*, circa affectum contrahentis; puta, inquit Doctor, dist. 30. q. 1. n. 3. « unus contrahit animo sincero ac simplici, existimans alterum idem facere, « qui tamen dolose fingit se contrahere Matrimonium, ut alterum decipiat, et ad explendam suam libidinem pelliciat ».

Quæritur ergo, quisnam eorum errorum Matrimonium dirimat et irritum faciat. *Respondeo primo*, errorem antecedentem et concomitantem circa personam jure naturæ, necnon et humano Matrimonium irritare, et invalidum efficere. Hæc est communis apud Theologos, eamque docent S. Bonaventura in 4. dist. 30. et S. Thom. ibid. necnon et Subtilis Doctor; quam utique conclusionem probat; quia videlicet error circa personam contractui Matrimoniali adversatur, sicut et cuilibet

alteri contractui: *Impedit enim, inquit, omnem venditionem, et traditionem rerum, puta, si ematur aurum, et vendiderit aurichalcum; ita hic intelligitur, quod Bonaventura dedit potestatem sui corporis, si Bertha det.* — *Insuper hic error destruit consensum qui ad Matrimonium requiritur; siquidem qui contrahit, non consentit Matrimonium inire, nisi cum ea, quam habet in animo: at revera cum illa non contrahit, quam habet in animo, dum contrahit cum errore circa personam: igitur nec consentit in illum contractum.* — *Idem dicendum de errore concomitante, licet enim hic error non faciat involuntarium positive, seu contrarie, facit tamen involuntarium negative, idest, non voluntarium: sed est de ratione et essentia contractus Matrimonialis, ut positive sit voluntarius, idest, ut actu et re ipsa contrahens consentiat in personam, quæ ipsi traditur: igitur ex natura rei talis error Matrimonium irritum efficit.* — *Nec obstat, quod habens talem errorem concomitantem ita sit affectus in voluntate, ut si sciret, illam, cum qua contrahit, esse revera Margaritam, quam tamen putat esse Bertam, nihilominus cum ipsa contraheret. Hoc, inquam, non obstat, quia consensus, qui ad Matrimonium requiritur, debet esse positivus, actualis, et absolutus: consensus autem, qui habet errorem concomitantem, non est ejusmodi, cum nihil sit volitum, quin prius cognitum: igitur, etc.*

DICES 1: Contractus venditionis et emptionis non attendit, nisi qualitatem secundum justitiam commutativam. Unde vendens aurum non obligatur ad hoc, aut illud aurum in individuo, sed ad aurum in specie: ergo similiter in proposito perinde est sive Francisca, sive alia sit in individuo, modo servetur æqualitas: et sic ratio proinde non concludit. — **Respondet Hiquæus**, quod sicut consensus ementis respicit rem in specie, necnon usum et commoditatem secundum naturam suam, per quam cadit in contractum, ita ille fit nullus, si alia res supponatur diversæ speciei, licet enim ejusdem possit esse valoris, non est ejusdem tamen usus, aut commoditatis; quia error est circa substantialem conditionem et materiam, circa quam fit contractus. Ita in proposito, materia circa quam fit contractus, est individua persona, pro cujus corpore transfert consentiens suum corpus, dirigendo consensum ad personam individualem, ad ineundam individua cum ipsa et personalem societatem indivisibilem; ideo fit dolus in substantia contractus quoad materiam, quam respicit consensus per se, et sic annullat, sicut emens aurum non intendit aurichalcum.

DICES 2: Validum fuit conjugium Jacob cum Lia, Rachelis loco substituta: ergo error antecedens circa substantiam personæ, non facit Matrimonium irritum. — **Respondet Doctor**, n. 7. quod sive Jacob possit excusari a peccato, si cognovit Liam prima nocte, sive non, non est magna vis, quia non fuit confirmatus; sed postquam apprehendit illam esse Liam, consentit novo consensu propter illa verba Laban: *Non est consuetudinis in loco isto, ut minores prius tradantur ad nuptias:* et ex tunc fuit uxor ejus. Alias bene concedo, quod potuisset repudiare eam, sicut non suam. In idem collimat sententia Magistri sententiarum, et S. Thomæ, dicentium, quod *Matrimonium, quod fuit inter Liam et Jacob, non fuit perfectum ex ipso concubitu, qui ex errore contigit; sed ex consensu, qui postmodum accessit; tamen uterque a peccato excusatur;* quia nimirum Jacob maritali affectu ac-

cessit ad Liam, putans esse Rachelem; et Lia uxorio affectu debitum solvit, existimans juxta patriæ consuetudinem, Lege primogenitarum, jure se illi a parente fuisse copulatam.

DICES 3: Baptizans unam personam, quam putat esse aliam, vere baptizat: ergo etiam contrahens cum alia, quam putat, vere contrahit. — Respondet Doctor, n. 8. quod non est simile de Baptismo ignoranter collato; quia ibi non est contractus. « Si tamen aliquis ad « solutionem hujus quæstionis acciperet rationem ex ratione Sacra- « menti, quod non posset conferri ab errante; videtur probabile, quod « errans in baptizando circa personam, non baptizaret, sicut nec in « Matrimonio. Sed ista ratio non est posita ad solutionem quæstionis: « nec talis error, quod sit A, vel B, dum tamen intendat conferre Sa- « cramentum illi personæ, quæ præsens est, videtur impedire colla- « tionem aliorum Sacramentorum, sicut hic impedit; non quod impe- « diat Sacramentum primo, sed quia impedit contractum donationis « faciendum illi, cui non vult donare illud, quod hic datur ». Ita Do- « ctor: quibus verbis duo significat: *primum*, quod non sit idem fe- « rendum judicium de Matrimonio, ac de cæteris Sacramentis; cujus « utique discriminis ratio est, quia in reliquis Sacramentis, persona, quæ « illa accipit, se habet dumtaxat per modum subjecti, cui illa appli- « cantur; in Matrimonio autem contrahentes, eorumque corpora, sunt « materia ex qua ipsum Sacramentum constat. Similiter in contractu « Matrimonii, persona ipsa est id, quod traditur per contractum; secus « in venditione mercium, aut prædiorum, vel similium rerum; in ven- « ditione vero servi, quia persona cadit in materia contractus, error « circa personam contractum vitiat. Unde id, quod est accidentale re- « spectu unius contractus, potest esse substantiale respectu alterius.

Dico secundo, quod error circa conditionem personæ, puta cum ali- « quis liber intendit contrahere cum altera, quam putat etiam esse libe- « ram, quæ tamen est serva; hic, *inquam*, error dirimit Matrimonium; « quia, *inquit* Doctor, n. 3. in Matrimonio est permutatio potestatis « corporis pro potestate corporis: servus autem non potest dare pote- « statem sui corporis liberæ, sicut illa e converso; et illa nesciens ser- « vitutem ejus, per consequens non consentit scienter in servum, nec « vult commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis, quam « servus non potest facere, quia non habet illam. *Hæc* Doctor, quibus « probat, conditionem servitutis annullare Matrimonium, quando liber « contrahit ex errore conditionis; intendit autem non servitutem adscri- « ptitiam, qualem habent illi, qui ad certa opera tenentur dominis, ut « qui colunt terras nunquam inde recessuri, et quibus tantum sumptus « et victus cedit; neque etiam originariam servitutem, quibus obnoxii « sunt filii illorum; sed servitutem proprie dictam, qua quis est obno- « xius voluntati domini, ut eum vendat, et omnia acquirat domino, non « sibi, aut filiis, aut uxori. — Porro quod error talis conditionis Matri- « monium irritum faciat, constat ex utroque jure; nam authentic. *De* « *Nuptiis* § *Si vero decretum*, sic dicitur: *Si ab initio putaverit aliquis* « *liberæ jungi personæ: illa vero in familia postea declaretur existens,* « *non dicimus solvi Matrimonium, sed ab ipso initio neque Matrimonium* « *feri propter inæqualitatem personarum.* Item cap. *Si quis ingenuus* 29. « q. 2. sic habetur: *Si quis ingenuus homo uxorem ancillam alterius ac-*

ceperit, et existimat, quod ingenua sit, ipsa fœmina fuerit postea in servitute detecta, si eam a servitute redimere potest, faciat, si non potest, si voluerit aliam accipiat. Et cap. 2. De conjugio servarum, Alexander III, mandat, Matrimonium errore servilis conditionis a libero cum ancilla contractum, separari, si post notam servitutem, carnaliter eam non cognoverit. — Quod autem hic error Matrimonium irritet, non solum jure civili et canonico, sed etiam jure naturali et divino, colligi potest ex supra dicta ratione Doctoris, nempe ex defectu consensus per se requisiti ad validum et legitimum contractum; quem utique consensus non habet liber contrahens cum ancilla, ex eo quod liber intendat commutationem sui corporis liberam facere, pro potestate libera corporis alterius; sed servus non potest hanc commutationem liberam facere, quia est obnoxius domino per servitutem, qui eum vendere potest, etiam extra patriam: ergo liber non censetur consentire scienter in servum; et sic ex defectu consensus liberi, contractus est nullus. *Patet ultima consequentia*, quia est maxima inæqualitas quoad materiam transmutationis in ordine ad finem intrinsicum Matrimonii, nempe educandæ prolis, ejusque alendæ, cum omnia acquirat servus domino, sicut et uxoris, et individuae societatis, quæ removerent a consensu, si scirentur; consensus enim Matrimonialis contraria his intendit ex natura ipsius consensus, ut respicit finem contractus: ergo eorum error reddit consensus nullum, ac subinde irritum Matrimonium. — Eadem veritatem, et rationem confirmat Hiquæus in *Commentario*, ad eandem q. n. 10 his verbis: « In justitia
« commutativa, quæ versatur in medio in re ipsa, quantitas spectat
« ad substantiam contractus, absolute loquendo, quando aliud non
« excipitur per formam, et ad materiam commutationis, ut si quis
« vinum, aut granum in specie mutuavit, acquirit jus recipiendi
« tantum in specie, quantum mutuavit: sed in proposito persona libera
« ex errore antecedente transferens potestatem liberam sui corporis in
« aliam, quam putavit liberam, contrahit secundum justitiam commu-
« tativam, ut versatur in medio ipsius rei: ergo consensus ejus non
« est trahendus ad inæqualitatem in re ipsa ex vi contractus, neque
« ex Lege, neque secundum rectam rationem. *Probaturs consequentia*,
« quia contractus bonæ fidei, cui dolus causam dedit, est ipso jure
« nullus, secundum communem Doctorum sententiam. Si autem est
« stricti juris, est irritandus; quando autem in cæteris contractus est
« irritabilis, in Matrimonio est nullus; quia aliter subveniri nequit
« huic contractui, quia valide transactus fit insolubilis, ac proinde ad
« eum requiritur consensus legitimus, et per Legem regulatus, ut va-
« leat, qui in præsentī casu non invenitur in persona libera, cujus
« consensus dirigitur ad personam quæ libera putatur, et secundum
« æqualitatem rei. *Patet eadem consequentia*, quoad Legem non esse
« consensus legitimum; quia lex divina, et naturalis excludit dolum,
« et inæqualitatem notabilem in commutatione, prout per dolum cau-
« satur, et non per consensus ejus, qui patitur; et magis respiciat
« hunc contractum secundum naturam contractus legitimi, et juxta
« ordinarium modum contrahendi secundum æqualitatem regulariter,
« quam ex accidenti annexæ. Ordinarius modus, quem respicit prima
« institutio, est libera et æqualis translatio, quia contractus institutus

« est ante conditionem servitutis. Idque concedere debent adversarii, « qui docent Ecclesiam instituisse hoc impedimentum propter injustitiam, quæ per dolum fit personæ liberæ, et propter necessaria de- « trimenta, quæ fini Matrimonii in alenda et educanda prole eveniunt ».

Respondeo tertio, quod error circa qualitatem, si redundet in errorem ipsius personæ, non autem solum circa ipsius qualitatem et statum, revera Matrimonium irritat. Cujus utique ratio est aperta ex dictis; siquidem error ille tollit consensum; quia contrahens non intendit Matrimonium inire, nisi cum determinata persona, quam habet in mente. Unde si fœmina v. gr. contrahat cum aliquo, quem putat esse Principis primogenitum; ita quod cum ipso non contraheret, nisi primogenitus esset, et regni hæres, si substituatur alius Regis filius minor-natu, revera nullum est Matrimonium, propter defectum intentionis, et consensus. Tunc autem cognoscitur, quod error qualitatis et fortunæ personæ errorem involvit, cum directe contrahentis consensus fertur in personam illam determinatam, quæ certam et determinatam habet qualitatem, quam non habet illa persona, cum qua contrahitur. Secus autem accidit, si persona intendatur, status autem et conditio secundario et indirecte; puta si Margarita contrahat cum Petro, quem existimat esse nobilem, ac divitem; revera validum est Matrimonium, tametsi ille non sit nobilis, nec dives, sed talem se finxerit.

Respondeo quarto, quod si quis contrahat cum aliquo fecte contrahente, nullum est Matrimonium, ut docet Doctor, n. 3., dicens: « Si « unus contrahit animo simplici, et alter dolose utens signis contractus « sine animo contrahendi, non est contractus; quia deficit ibi princi- « palior causa, scilicet actus mutuus voluntatis, sine quo causa minus « principalis, scilicet signum exterius, non sufficit. Neque hunc con- « sensum potest supplere Ecclesia, licet illum præsumat, donec con- « trarium probetur, et ad cohabitationem cogat; in aliis autem con- « tractibus, quæ sunt secundum Legem humanam, et ejus institutio- « nem, aliquando lex ipsa supplet defectum consensus in pœnam doli, « et tunc valet contractus virtute legis, ut quando contractus est stricti « juris, neque adest impedimentum præter defectum consensus ex dolo. « In contractibus tamen bonæ fidei requiritur consensus, et ejus defe- « ctus non suppletur ».

§ V. — AN, ET QUALE VOTUM MATRIMONIUM CONTRACTUM DIRIMAT.

Observandum est in primis, *voti* nomine intelligi promissionem deliberatam Deo factam de meliori bono. Votum autem generatim duplex est, nempe publicum, et privatum; deinde simplex, et solemne; nam, *inquit* Doctor, dist. 38. n. 2. *istæ distinctiones non sunt eadem, quia tam publicum, quam privatum potest esse simplex, et solemne.* Publicum est, quod fit non solum publice, sed etiam quod presentibus testibus, aut per scripturam probari potest; privatum vero quod non fit ejusmodi. Votum castitatis solemne dicitur, quod fit solemniter, idque vel expresse, vel tacite, seu implicite vel explicite; explicite quidem, ut cum v. g. fit in professione Religionis approbatæ, juxta ritum in ipsius Regula expressum, et coram Prælato publice votum acceptante; implicite autem, ac tacite, ut cum v. g. fit in Ordinis sacri susceptione. « Unde *inquit* Doctor, n. 3. Votum dicitur solemne,

« non quia publicum, sed quia in se habet aliquid annexum, ut in
 « publicum debeat venire, et per quod vovens ponitur sub alterius
 « nomine; et sic est præcise in susceptione sacri Ordinis, per quem
 « suscipiens constituitur Minister, et aliter quam prius sub Episcopi
 « potestate: quia Episcopus potest eum cogere ad statum Clericalem
 « servandum, et ad vitandum ea, quæ repugnant statui Clericali. Unde
 « si prædictum Ordinem susciperet in secreto, adhuc esset solemne pro-
 « pter rationem jam dictam; sicut etiam professio Religionis facta in
 « manu ejus, qui potest recipere, habet in se aliquid annexum, unde
 « debeat in publicum venire; quia propter talem, tenetur vitam sæ-
 « cularem dimittere, et cum alijs in claustris sui Ordinis conversari,
 « et ideo est solemne, etiamsi fieret in occulto ». — *Votum vero non
 solemne seu simplex, est id, quod fit a persona vovente, et absque
 ejusmodi solemnitate. Jam diximus, votum simplex impedire quidem
 celebrandum Matrimonium; non autem celebratum dirimere. Unde hic
 solum sermo est de voto solemniter castitatis. Itaque*

Respondeo, votum solemne castitatis, factum in Religione appro-
 bata, dirimere quodcumque Matrimonium subsequens; ita enim expresse
 definivit Alexander III, cap. *Meminimus*, et Innoc. III, cap. finali, *Qui
 Clerici vel voventes*, et Bonif. VIII, cap. unico, *De Voto in Sexto*, ma-
 xime autem Concilium Trid., Sess. 24. Can. 9., his verbis: *Si quis
 dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castita-
 tem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque
 validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil
 aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Ma-
 trimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere
 donum, anathema sit.*

Id etiam ratione suadetur: quid enim æquius et rationi conve-
 nientius est, quam ut qui per deliberatam et solemnem professionem
 in Religione approbata moriuntur mundo, non amplius possint valide
 contrahere Matrimonium, per quod reducantur ad multo minus perfe-
 ctum statum, quam sit status Religionis? *Secundo*, quis non videat,
 quod magnum inde scandalum oriretur in Ecclesia, et multa inde in-
 commoda gravissima sequerentur, si qui solemniter professi sunt Re-
 ligionem, valide Matrimonium inire possent?

*Quare autem potius votum solemne, quam simplex, Matrimonium
 dirimat, variæ rationes proferuntur a Doctoribus. Verum eas omnes
 impugnat Subtilis Doctor, n. 4. et 5. Earum primam profert Richardus
 dist. 36. art. 7. qu. 2. Quia, inquit, solemne probari potest, non autem
 simplex. Verum, inquit Doctor, hæc ratio est insufficiens, quia votum
 simplex, etsi sit publicum et probetur, non tamen Matrimonium di-
 rimit. Profert Richardus alteram rationem; quia videlicet per votum
 solemne dat aliquis illi, cui vovet, jus sui in actum sequentem illud
 votum. Et per consequens vovens solemniter continentiam, dat illi,
 in cujus manu vovet, jus sui ad faciendum illud observari: igitur qui
 vovit continentiam solemniter, cum dederit Deo jus in suum corpus,
 et Episcopus aut Prælati, sub quibus vovit, habeat facultatem com-
 pellendi eum ad votum implendum, non potest amplius dare potesta-
 tem alteri in suum corpus ad actum oppositum castitati, qualiter tradi
 debet in Matrimonio. Verum, inquit Doctor, licet hæc ratio sit proba-*

bilis, nihilominus non videtur certa; quia, *inquit*, vovens voto privato, dat etiam corpus suum conjugii ad actum contrarium; non enim minus transfert aliquis a se, quod immediate dat Deo, quam quod dat sibi mediante homine vicario. Si dicatur, quod Deus noluit potestatem corporis immediate sibi dari, sic quod datio sequens ad conjugium simpliciter nulla est, sed sic voluit de datione facta sibi mediante homine; sed unde hoc? Scriptura non videtur continere istam voluntatem Dei.

Tertiam rationem profert *ibid.* Richardus, qu. 1. nempe, quod vovens solemniter mittit in possessionem illum, cui vovet; vovens autem private non dat actu possessionem sui corporis, sed tantum permittit. Verum, *inquit* Doctor, *ibid.* hæc ratio minus valet, quam præcedentes; quia omnia intrinseca voto, ut respicit actum voluntatis, per quem obligat se vovendo, et transfert dominium suum in alterum (quia per solam voluntatem est dominus, et transfert dominium) omnia, inquam, ista sunt æqualia hinc inde: igitur non magis datio hic, quam ibi; sed de hoc non quæritur: non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum.

Quartam rationem profert Magister Sententiar., dist. 38. cap. 2., quod transgressio voti solemnitis est scandalosa; et ideo ad ejus observantiam tenetur, non tantum Deo, et sibi, sed etiam toti Ecclesiæ; transgressio autem voti privati non habet sic scandalum annexum. Verum, *inquit* Doctor, hæc ratio nihil aliud evincit, nisi quod transgressio voti solemnitis sit gravius peccatum, quam voti simplicis: sed id non spectat ad scopum difficultatis; non enim semper peccatum gravius tollit potestatem ad contrahendum. *Adde quod, inquit* *ibidem* Doctor, si peccatum gravius impediret contractum Matrimoniale, videretur illicitum contrahere post votum privatum, quia simpliciter peccat mortaliter in contrahendo cum intentione consentiendi, et consummandi actum carnalem; et ideo non potest licite contrahere, nisi cum intentione non consentiendi, et per consequens intrandi Religionem. Quando etiam consummat, videtur peccare mortaliter, quia contra votum suum, licet secundum aliquos post primum actum non peccet mortaliter in reddendo, quia ad illud jam non est obligatus vinculo fortiori; peccat tamen mortaliter petendo, quia nihil habet juris in hoc, cum renuntiaverit tali juri in voto. Hæc etiam ratio de scandalo non cogit, quia votum publicum, etsi non solemne, inducit scandalum, si vovens transgrediatur finaliter.

His itaque rationibus explosis et confutatis, concludit Doctor, rationem discriminis inter votum solemne et simplex, cur videlicet hoc tantum impediatur Matrimonium, illud vero dirimat, non esse aliunde repetendam, quam ex determinatione Ecclesiæ, quæ irritavit Matrimonium contractum post solemne votum castitatis: « Et hoc, *inquit*, « fuit rationabile, quia ipse posuit se in potestate Ecclesiæ, quantum « ad oppositum ejus, ad quod est contractus Matrimonii. Voventem « autem private non illegitimavit, quia non sic se posuit in ejus potestate; sed quia se posuit in manu Dei ad oppositum servandum, « et consuluit animæ suæ apud Deum, ne transgrediatur; nam Ecclesia reliquit eum judicio divino.

« Et si quæras, quare non illegitimavit eum, cum peccet mortaliter contrahendo, nisi cum proposito non consummandi? *Respondet*

Doctor: « non omnia mala punit Ecclesia, nec sic ea prohibet, ut pro-
« pterea pœnas Ecclesiasticas injungat; et forte majus malum seque-
« retur ex illegitimatione voventium voto simplici, quam ex non il-
« legitimatione; quia ibi sequeretur frequentior culpa in actu carnali,
« si nollent continere, sicut valde probabile est de multis, nec habe-
« rent suas quibus contenti essent, etsi non petendo, tamen reddendo
« licite uterentur ».

Porro quod votum solemne solo jure Ecclesiastico, non autem naturali aut divino positivo, vim habeat dirimendi Matrimonium, cum Subtili Doctore docent Henricus, quodlibeto 1. q. 25. Gerson 1. parte de regulis Moralibus, Bellarminus, lib. 2. *De Monachis*, c. 34. et plures alii Recentiores, quibus aperta suffragatur ratio: *primo* quidem, quia votum solemne Religionis non dirimit Matrimonium, nisi quatenus est solemne; votum enim simplex castitatis vel Religionis Matrimonium non dirimit, sed tantum impedit: sed voti solemnitas est tantum de jure Ecclesiastico: *tum* quia Bonifacius VIII interrogatus ad Episcopo Biterrensi, quod votum dici debeat solemne et efficax ad dirimendum Matrimonium; respondet cap. unico de voto et voti redemptione in 6. quod, *cum voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ sit inventa, Matrimonii vero vinculum sit ab ipso Deo, illud votum debet dici solemne, quod per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem in Religione approbata solemnizatur.* Ubi Pontifex expresse asserit, solemnitatem voti ex sola Ecclesiæ constitutione pendere, et in hoc differre a vinculo Matrimonii, quod est de jure divino.

Deinde, quod votum religiosum efficiat capacem aut incapacem ad contrahendum Matrimonium, id habet ex constitutione Ecclesiæ: igitur, etc. *Probatur antecedens* ex Bulla Gregorii XIII, quæ incipit, *Ascendente Domino in naviculam*, edita anno 1584. ubi summus Pontifex declarat, vota simplicia, quæ fiunt a Patribus societatis Jesu, post biennium Novitiatus, reddere eos vere Religiosos, et prorsus inhabiles ad ineundum Matrimonium: igitur quod votum habet vim dirimendi Matrimonium, id habet tantum ex constitutione Ecclesiæ.

Denique, quidquid convenit voto solemniter essentialiter, convenit etiam voto simplici, nempe quod non sit simplex promissio, sed etiam traditio rei promissæ sub potestatem et dominium illius, cui vovetur, ut constat ex dictis supra: sed votum simplex non habet ex propria natura, neque ex ulla ordinatione divina vim dirimendi Matrimonium: ergo nec votum solemne; sed tantum id obtinet a determinatione Ecclesiæ.

Nec obstat quod Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 4. ait: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, non obstante Lege Ecclesiastica, et voto, anathema sit.* Ubi videtur distinguere irritationem Matrimonii causatam Lege Ecclesiastica in iis, qui sacris Ordinibus initiati sunt, ab ea, quæ in Religiosis causatur per votum; quasi censeret duplicem, ac diversam esse illam inhabilitationem ad Matrimonium, unam ex parte constitutionis Ecclesiæ, alteram ex parte voti. Hoc, inquam, non obstat; nam intentum Concilii ibidem est decernere contra hæreticos, maxime Calvinistas et Lutheranos, quod continentia sit annexa sacris Ordinibus, quodque illis initiati, sicut

et illi, qui Religionem approbatam voverunt, sunt incapaces contrahendi Matrimonii; non autem mens Concilii est decernere, utrum votum solemne reddat Religiosum perpetuo inhabilem ad Matrimonium ex natura ipsius voti, aut ex constitutione Ecclesiæ; hanc enim quæstionem utrinque librandam reliquit Theologis.

§. VI. — QUÆNAM COGNATIO MATRIMONIUM DIRIMAT.

Nomine cognationis intelligitur aliqua propinquitas, ratione cujus aliquæ personæ invicem conjunctæ sunt. Hæc autem cognatio triplex solito distinguitur, nempe carnalis seu naturalis; quæ per carnalem generationem derivatur; spiritualis, quæ per regenerationem in sacro fonte Baptismatis, et in Sacramento Confirmationis comparatur; et legalis, quæ fit per adoptionem juxta legum præscripta.

Cognatio naturalis, seu consanguinitas, dicitur quasi sanguinis unitas; definitur autem: *Vinculum intercedens inter illas personas, quarum una descendit ab alia per carnalem generationem. Vel inter illas, quæ ab eodem communi et propinquo stipite per carnalem generationem descendunt.* Primo dicitur, *Vinculum*, seu relatio quædam, et animorum conjunctio mutua in communicatione ejusdem sanguinis fundata, quæ amicitiae radix est, et incentivum; nam, ut inquit S. Augustinus, lib. 12. *De Civitate*, cap. 21. *Deus ab uno homine omnes propagari voluit, ut non tantum inter se naturæ similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur*: quod servari non voluit in quibus non est consanguinitas, quia ad amicitiam invicem non ordinantur. Additur, *intercedens inter illas personas, quarum una procedit ab alia per generationem carnalem*: tum ut linea recta consanguinitatis denotetur: tum ut excludatur Evæ formatio, quæ non processit per generationem, sed ex costa Adami a Deo facta est. Sequitur, *vel inter illas personas ab eodem communi stipite*, etc. idest, ab eodem homine originem ducunt et pullulant, sicut rami a stipite. Additur, *propinquo stipite*: qui enim descendunt a stipite nimis remoto non solent amplius consanguinei nominari, alioqui omnes Adæ posterii, ac subinde omnes homines consanguinei censerentur.

Porro ex hoc stipite deducuntur diversi gradus et lineæ propinquitatis. *Gradus* autem est habitudo seu mensura distantium personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis distantia aliqui conjunguntur, metaphora ducta a scala, qua ascenditur, et descenditur. *Linea* autem est ordinata collectio personarum ab eodem stipite descendentium, metaphora ducta a linea, quæ ducta a centro et eodem puncto, ad circumferentiam protrahitur. Hæc autem linea solito duplex distinguitur, nempe recta, et collateralis, seu transversalis. *Linea recta* est illa consanguineorum series, in qua inferiores a superioribus per carnalem generationem descendunt; talis est series, in qua descendit a patre filius, a filio patris nepos, etc. *Linea transversalis*, seu *collateralis*, est series ordinata consanguineorum ab eodem communi et propinquo stipite descendentium, sed non descendentium a se invicem; talis est series fratrum cum sororibus, et patruorum cum nepotibus, etc. Rursum hæc transversalis est duplex: alia est *æqualis*, quando ambo qui comparantur æque distant a communi stipite, ut duo fratres, eorum filii, etc.; alia *inæqualis*, quando nimirum non

æqualiter distant a communi stipite, ut si frater comparetur cum filio sui fratris.

Triplex a Doctore, *dist. 40. n. 3.* assignatur regula, quas probant cæteri Theologi et Canonistæ, ut dignoscantur quænam personæ possint cum aliis Matrimonium inire. « Prima regula, *inquit*, est hæc: in linea « recta tot sunt gradus, quot sunt personæ, una minus. Hoc probatur, « quia tot sunt gradus, quot propagationes, cum gradus sit habitudo vel « propinquitas inter personam et personam: sunt autem personæ una « plures, quam propagationes; quia præsupponitur toti collectioni ali- « qua ibi non propagata. Secunda regula: in transversali computan- « tur gradus secundum magis remotum a stipite, *Extra de consang.* « *Vir qui a stipite, secundum regulam approbatam quoto gradu re-* « *motior distat a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendantem.* « Et ratio hujus est, quia personæ, quæ sunt in linea transversali, « non habent inter se propinquitatem, nisi ratione stipitis; et ideo « non possunt inter se propinquius conjungi, quam remotior eorum « conjungatur stipiti. Ad propositum etiam est una regula, quod ef- « ficacior gradus est in linea descendente, quam in transversali. Et « ratio naturalis est, quia plus conjungitur proles parenti, quam pro- « les proli; et ideo magis est contra Legem naturæ conjungi in primo « gradu in linea recta, quam in transversali; semper enim fuit contra « Matrimonium illa conjunctio, et magis filii ad matrem, quam pa- « tris ad filiam, quia major irreverentia est. Unde 8. *de animalibus* « dicit Aristoteles de equo, qui velatus cognoverat matrem suam, quod « postea discoopertis oculis videns hoc se præcipitavit. Et *alibi* (apud « Plinium in *Naturali Historia*, cap. 42.) loquitur de elephante, qui « ingeniatus, ut matrem suam cognosceret, post hoc ingeniatores « occidit. Ex quo patet, quod est contra Legem naturæ, etiam ut com- « petit brutis per propagationem; et ideo primus gradus descendens, « et potissime matris ad filium maxime impedit Matrimonium ».

Nihilominus apud Persas permissæ dicuntur nuptiæ in rectilineis fuisse, ut etiam apud Chaldæos, atque plerasque alias nationes, imo sub Imperatoribus Romanis, Nero, Otho primus, et Vitellius a propria matre non abstinerunt. Quin imo ex tali nefario concubitu, Magos gigni, et procedere voluerint, ut Catullus his versibus declarat:

*Nascetur Magus ex Gelli matrisque nefando
Conjugio, ut discat Persicum Haruspicium,
Nam Magus ex patre, et gnato, gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia Religio.*

Idem refert Harmens. lib. 1. Tit. 1. § 15. inde Mirrha apud Ovidium quæritur, sibi non licere thalamum ingredi parentis, his verbis 10. *Metamorph.*

*Gentes esse feruntur
In quibus, et nato genitrix, et nata parenti
Jungitur, pietas geminato crescit amore.*

Verum hos omnes quasi naturæ ludibria execrantur cæteræ Nationes, et hujusmodi nuptias, ac incestuosa commercia, quasi humanitatis portenta abhorrent.

Paulo aliter has regulas declarat Seraphicus Doctor in explicatione textus, dist. 40. art. 1. ubi ait: *Prima regula est*, quod nulli licet contrahere cum aliqua usque ad quartum gradum inclusive; et talis est hujusmodi prohibitio, quod si quis contra eam præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diurnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat, et tanto graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam; et hoc probatur *Extra de consanguinitate. Non oportet*, etc.

Secunda regula est, quod toto gradu personæ descendentes a stipite distant a se invicem, quoto distant a stipite: « Et ideo si aliquis
« vult scire quoto gradu aliqui sibi attineant, cum talis attinentia
« originem ducat a stipite, oportet quod ad illam personam recurrat,
« cui immediatius conjungitur. Exempla manifesta sunt, ut si ab A,
« procedant B, et G, et B generat C, D; et D, E et F. Similiter G
« generet H, et H generet I, et I generet K, et K, L: si vis scire quoto
« gradu distant F, et L, oportet utriusque generationem reducere ad
« A, qui toto gradu differunt ab invicem quoto a stipite.

« *Tertia regula est*, quod quando personæ inæqualiter distant a
« stipite, ut puta quando una in secundo gradu, et altera in quinto,
« quia linea consanguinitatis et gradus debet computari secundum
« distantiam magis remoti, et ista regula confirmatur per illud, quod
« dicitur *Extra de consanguinitate*, in ultima decretali, quæ est Gre-
« goriana.

« Ratio autem hujus est, quod tota ratio proximitatis ortum habet
« a stipite: ergo nullus proximior est alicui collateralis, quam stipiti.
« Si ergo distat a stipite per quinque gradus, pari ratione distat a
« collateralis, sive distet per unum gradum, sive per duos distet gradus
« in quinque. Quod si amplius distet, secundum magis distantem
« oportet computari; et ideo ille, qui distat in quinto gradu potest
« contrahere cum illo, qui distat in secundo ».

Cæterum non eadem est in omni Lege, nempe Naturali, Mosayca, et Evangelica, interdictio et prohibitio celebrandi Matrimonii intra eosdem gradus; nam, *inquit Doctor* n. 4. in omni Lege prohibitum fuit Matrimonium inter patrem et filiam, matrem et filium: « Quod, *inquit*,
« non intelligitur tantum de patre proximo, sed de quocumque in linea
« recta; ita quod si Adam hodie viveret, non posset ducere aliquam
« uxorem. Forte etiam post multiplicationem humani generis, si stetit
« sent in innocentia, fuisset prohibitio in quibusdam gradibus ultra
« primum; sed in principio non potuit fieri, quia non erant aliæ fe-
« minæ, quam sorores. *In Lege Mosayca* erat prohibitio quantum ad
« quosdam gradus ultiores, ut patet *Levit. 8*. In Lege autem Evan-
« gelica fuit aliquando prohibitio usque ad septimum gradum. *Patet*
« per Magistrum in littera. Sed sub Innocentio III restricta est usque
« ad quartum gradum inclusive, *Extra De Consang., cap. Non det*:
« *Prohibitio copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de*
« *cætero non excedat*; et assignat rationem, quoniam in ulterioribus
« gradibus jam non potest absque gravi dispendio observari. Et post
« approbat et ratificat pro futuro: *Cum ergo*, inquiens, *jam usque ad*
« *quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit requisita*: scilicet
« per nos hic in Concilio, et infra; ita eam volumus esse perpetuam.

« non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis,
 « vel a nobis. Et in eodem cap. revocat omnes prohibitiones de conjugio
 « contrahendo in secundo et tertio genere affinitatis, et de sobole
 « suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri prioris non copulanda;
 « quæ prohibitiones multas difficultates inducebant, et (ut dicit) *ali-*
 « *quando periculum animarum* ».

Inquirit Doctor: « Sed unde est, quod propinquitas talis vel talis
 « simpliciter impedit? *Respondet,* « quod in Lege Evangelica non inve-
 « nitur a Christo alia prohibitio ultra prohibitionem Legis naturæ;
 « nec etiam explicite confirmavit prohibitionem super hoc factam in
 « Lege Mosayca; sed Ecclesia illegitimavit personas aliquando in gradu
 « remotiori, postea in quarto gradu; et ratio illegitimationis fuit pro-
 « pter pacem et amicitiam servandam in Ecclesia; usque enim ad
 « quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis; et ex tunc
 « incipiunt esse quasi extranei, et amore contepescere; et ideo con-
 « gruum est tunc per vinculum conjugale tepescentem amicitiam
 « revocare ».

Quod autem Ecclesia recte definierit, Matrimonium posse legitime
 contrahi inter fideles intra pauciores gradus, quam qui in *Levitico*
 præscribuntur, aperte definit Concilium Trident., Sess. 24. Can. 3. his
 verbis: *Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus,*
qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahen-
dum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum
dispensare, aut constituere, ut plures impediunt, et dirimant, ana-
thema sit.

Quod pariter jure merito Ecclesia in Concilio Lateranensi revoca-
 verit prohibitionem contrahendi infra septimum gradum consanguini-
 tatis, et revocaverit ad quartum, variis, et congruis rationibus suadet
 Seraphicus Doctor, dist. 40. q. 3. quarum præcipua fuit propter vitan-
 dum periculum illiciti Matrimonii: « Quoniam, *inquit,* propter multi-
 « tudinem consanguineorum, et brevitatem dierum vix potest aliquis
 « computare consanguineos usque ad septimum gradum, et ibi ita erat
 « maximum periculum, et frequentissime contingebat homines jungi
 « infra gradus prohibitos; imo vix poterat aliquis evadere; et ideo
 « oportuit prius statutum retractare. Tale periculum vel talis neces-
 « sitas non fuit tempore Ecclesiæ primitivæ, tum quia homines erant
 « longioris vitæ, tum quia minoris generationis; nunc autem crevit
 « in hominibus potentia virtutis generativæ propter fervorem libidinis,
 « qui viget nunc in hominibus, adeo quod secundum communem
 « cursum possent homines ita multiplicari, quod usque ad quartum
 « gradum, nedum usque ad octavum, vix inveniret aliquis, cum qua
 « contraheret. Et illud patet ad oculum; possibile enim est, quod ali-
 « quis generet xx et iterum quod aliquis generet tres; nunc ponamus
 « secundum communem cursum, quod generet x, et illi x alios x, in
 « secundo gradu erunt C, in tertio M, in quarto X millia; et ita infra
 « quatuor gradus haberet aliquis consanguineos in una linea XI millia
 « centum, et XI totidem in linea ascendente, et totidem in transver-
 « sali: ergo secundum naturam haberet XXXIII m. et trecentos XXXIII
 « consanguineos. Et sic in una Patria magna vix inveniret cum qua
 « contraheret usque ad quartum gradum; quanto magis usque ad

« octavum? Et ita propter periculum oportuit revocari illud statutum,
 « hoc scilicet usque ad quartum gradum statuere. Et ista fuit potis-
 « sima ratio, quare mutatum est, sicut expresse dicitur in Decretali
 « edita in Concilio Generali, ubi dicitur non reprehensibile judicari,
 « si secundum veritatem temporum statuta quoque varientur humana,
 « præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas hoc exposcit:
 « hoc autem non solum necessitas exposcebat, sed et utilitas requirebat,
 « et aderat congruitas et potestas: ideo juste usque ad quartum gra-
 « dum impedire Matrimonium rectissime et irreprehensibiliter statuit
 « et ordinavit Ecclesia ».

Cognatio spiritualis est propinquitas, quæ oritur ex administratione vel susceptione Baptismi, Confirmationis, vel ut Baldus, Codice *De Nuptiis*, ait, *Est quædam animarum conjunctio mediante Deo*. Ex spirituali autem cognatione orta ex Baptismo et Confirmatione, olim jure Pontificio, et Canonico triplex erat propinquitas, nempe paternitas, compaternitas et fraternitas, ut colligitur ex cap. 1. *De Cognatione Spirituali*. Paternitas reperitur inter baptizantem, vel patrinum, vel confirmantem ex una parte, et inter baptizatum, vel confirmatum ex altera. *Compaternitas* est inter baptizantem, vel suscipientem, aut confirmantem ex una parte, et inter baptizati, vel confirmati parentes ex altera, quæ cognatio etiam in compatris uxorem olim transfundebatur ex cap. Martinus, *De Cognatione Spirit.* Denique, *fraternitas* olim erat inter filios carnales baptizantis, vel suscipientis, aut confirmantis ex una parte, et inter ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera. Sed ista tertia cognatio jure novo Concilii Tridentini sublata est, remanentque solum duæ priores, quarum neutra nunc in uxorem transfunditur.

Ut autem clarius innotescat Concilii Tridentini hac de re sanctio, placet illam ex cap. 2. hic exscribere, ubi cum præmisisset, quod varia incommoda et scandala ex ignorantia spiritualis cognationis oriebantur, statim addit: *Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro nomina eorum describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant: constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur; omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Igitur ex Concilio Tridentino affinitas spiritualis Matrimonium di-

rimens ex Baptismo et Confirmatione tantum est duplex: *prima*, per modum *paternitatis* inter baptizantem, seu confirmantem, qui se habet ut pater, et patrinum et matrinam ex una parte, qui se habent ut mater, quia gerunt vicem Ecclesiæ, et baptizatum, seu confirmatum ex altera. *Secunda* vero per modum *compaternitatis* inter baptizantem sive confirmantem, patrilosque ex una parte, et parentes baptizati, seu confirmati ex altera. Nulla vero spiritualis cognatio, ac subinde nullum Matrimonii impedimentum contrahitur inter virum et fœminam, qui eundem de sacro fonte suscipiunt, aut in Sacramento Confirmationis tenent; quia videlicet Concilium Tridentinum, loco citato, expresse dicit inter alias personas tolli omne impedimentum cognationis spiritualis.

Nihilominus, si vir teneret proprium filium, aut citra necessitatem baptizaret, contraheret cognationem spiritualem cum uxore, ex qua illum suscepit, ratione cujus prohiberetur a debito conjugali. Idem dicendum de fœmina.

Ut autem cognatio spiritualis inter præfatas personas intercedat, necessarium est, quod hæ conditiones adsint: *primo*, quod Baptismus, et Confirmatio vere ac valide conferantur; si enim Baptismus domi fuerit collatus, et dumtaxat postmodum in Ecclesia fiant cæremoniæ non oritur talis cognatio inter præfatas personas. *Secundo*, quod personæ sint capaces hujus cognationis; unde si infidelis baptizaret proprium filium, non contraheret illam cognationem; neque etiam si fidelis baptizaret filium infidelis, contraheret cognationem spiritualem cum patre infideli; quia talis cognatio debet esse inter duos terminos ipsius capaces: infidelis autem est incapax cognationis spiritualis. *Tertio* requiritur, ut quis suo, non autem alterius nomine, baptizatum vel confirmatum suscipiat; si quis enim tantum suscipiat nomine alterius, ut ejus procurator, non contrahit prædictam cognationem; quia non tam est patrinus, quam patrini supplens locum et officium; ideoque solus ille, cujus vices obit, cognationem contrahit. Nec obstat, quod qui deputat, non teneat ipsum baptizatum, vel confirmatum, sicut requiri videtur causa 30. qu. 1. qui facit per alium, perinde est ac si per seipsum faciat, ex Regula 72. juris in 6.

Cognatio legalis est propinquitas ex adoptione alicujus in filium. Ut autem adoptio hæc fiat legitime, quatuor requiruntur conditiones ex parte adoptantis. *Primo*, quod sit masculus; *secundo*, quod sit sui juris; *tertio*, quod sit major viginti-quinque annis; *quarto*, quod nullos habeat filios, nec habere possit. Ex parte vero adoptati tres conditiones desiderantur: *primo*, ut in adoptionem consentiat; *secundo*, ut saltem octodecim annis adoptante sit minor, et ita eum habere possit pro patre; *tertio*, ut sit persona extranea, ut alias diximus agendo de adoptione Christi Domini.

Porro cognatio legalis proveniens ex adoptione contrahitur *primo*, inter adoptatum et adoptantem; *secundo*, inter adoptatum et conjugem adoptantis; *tertio*, inter adoptantem, et conjugem adoptati; *quarto*, inter adoptantem et filios adoptati usque ad quartam generationem; *quinto*, inter adoptatum et legitimos filios adoptantis, etiam usque ad quartum gradum, si videlicet adoptans post adoptionem, per miraculum, aut alia virtute reddita facultate generandi, legitimos habeat filios.

Quod autem hæ species cognationis legalis Matrimonium dirimant, constat ex jure Canonico, et civili; nam cap. unico, *De Cognatione Legali*, sic dicitur: *Sic quia per adoptionem mihi soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio inter me et ipsam, nuptiæ consistere non possunt.* Et in cap. *Ita diligere*, Nicolaus Summus Pontifex determinans, quod non potest esse conjugium inter quos est cognatio spiritualis, id probat hac ratione: *Si inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare illos quos per cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Spiritus jungit?*

§ VII. — AN, ET QUALE CRIMEN VIM HABEAT DIRIMENDI MATRIMONIUM.

Respondet Doctor, dist. 36. num. 2., « quod tria sunt crimina quæ
« conjuncta, vel separata, videntur facere difficultatem circa Matrimo-
« nium contrahendum. Sunt autem crimina illa: adulterium, machi-
« natio in mortem conjugis legitimi, fidei datio ipsi adulteræ vel con-
« tractus de facto cum ea, vel promissio cum juramento; quia hæc
« tria ultima ad propositum pro eodem reputantur. De duobus primis
« patet *Extra, de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per*
« *adulterium*, cap. ult. De tertio, scilicet promissione cum juramento,
« an valeat, habetur *Extra de his, quæ metu, vel vi fiunt. Ad aures.*
« De his tribus dico, quod ultimum per se non impedit Matrimonium
« contrahendum post mortem viri, sicut habetur *Extra de eo qui duxit*
« *in Matrim.*, cap. ult. *Si quis, uxore vivente, fide data promiserit se*
« *aliam ducturum; vel cum ipsa de facto contraxerit, si nihil aliud*
« *fuerit, non est Matrimonium, quod cum ea contraxit, post uxoris*
« *obitum, dirimendum.* Tertium cum primo simpliciter impedit, et di-
« rimit; ibidem in eodem cap. sequitur enim ibi: *Tollerari non debet,*
« *si prius, vel postea dum vixit uxor illius, illam adulterio polluisset;*
« et refertur prius, et post ad fidei dationem. Hoc autem intelligen-
« dum est, quando ambo sunt conscii, quod actus ille est adulte-
« rium; si enim vir tantum sit conscius, et mulier inscia, puta quia
« nescit eum habere aliam, tunc si vir postea contrahat cum illa ad
« petitionem viri non est divortium celebrandum, sicut habetur tit.
« eodem, cap. 1. ».

Itaque ex mente Doctoris, necnon et omnium Theologorum, duo sunt crimina Matrimonium dirimentia: nempe *homicidium, et adulterium*, non quidem qualiacumque, sed cum his quatuor conditionibus perpetrata: *primo* quidem, quando vir et fœmina communi consensu machinantur mortem alterius conjugum, ut Matrimonium postea simul ineant: *secundo*, cum adulter ideo procurat mortem uxoris suæ, vel mortem mariti adulteræ suæ, ut cum ista adultera Matrimonium ineat; similiter cum adultera procurat viri sui mortem, vel mortem uxoris illius, cum quo adulterata est, ut cum tali Matrimonium possit inire: *tertio*, cum adulteri de facto contrahunt inter se, viventibus adhuc suis conjugibus; vel saltem dum unus e contrahentibus istis adhuc habet suam compartem: *quarto denique*, dum adulteri sibi mutuo fidem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo post mortem suæ compartis; quos utique quatuor casus subtiliter non minus, quam distincte explicat Doctor loco supra laudato.

§ VIII. — AN, ET QUÆ DISPARITAS CULTUS MATRIMONIUM DIRIMAT.

PER disparitatem cultus hic intelligitur Religionum diversitas, quæ reperitur inter fideles et infideles, sive illi sint baptizati, ut hæretici; sive non, ut gentiles. Quæritur ergo, an ea Religionis diversitas sufficiat ad dissolvendum Matrimonium.

Respondeo primo, disparitatem cultus, quæ est inter baptizatum et non baptizatum, habere vim impedimenti dirimentis Matrimonium. Hæc constat ex usu et universali Ecclesiæ consuetudine ab Apostolis ad nos usque derivata; cujus utique fundamentum præbuit Apostolus 2. ad Cor. 6. dicens: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio lucis ad tenebras, aut quæ pars fidei cum infidei?*

Hinc Tertullianus, lib. 2. ad uxorem, hujus consuetudinis meminit, ubi pariter hoc Matrimonium cum infidelibus initum damnat. Videtur etiam fuisse definitum in Concilio Nicæno I, Can. 67. ex Arabicis, ubi sic habetur: *Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, a communione fidelium separetur. Quæ si pœnitentiam egerit maleficii, et eum virum, quem habere non poterat, idest, infidelem, dimiserit, non est recipienda, nisi eo modo, quo recipitur, qui postquam fidem negavit, ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.* Idem definitur a Concilio Toletano III, cap. 14. necnon et constat ex causa 28. q. 1. cap. *Sic enim*, et cap. *Cave*.

Hæc tamen Matrimonii irritatio non fit jure divino; quia, ut optime probat Doctor, dist. 39. n. 2. potest esse verum Matrimonium inter infideles, necnon inter fidelem et infidelem subsistere, quando videlicet initum fuit, dum ambo essent infideles. Quod utique probat Doctor n. 5. per illud Apostoli, *Vir infidelis non dimittat uxorem infidelem, quæ consentit habitaret cum eo*: « Si enim non esset Matrimonium, suaderet fornicationem; si autem non esset hoc licitum et honestum, Apostolus non consuleret. Sic igitur patet, qualiter potest esse Matrimonium inter fidelem et infidelem ».

Quærit Doctor: « Numquid igitur potest contrahi? *Respondet*, quod sic, quantum est ex jure divino; « quia ex illo non magis habetur, « quod contractus sit nullus, quam quod obligatio ex contractu priori « sit nulla; quia non posito novo impedimento, qui potest esse alterius, potest se dare alteri.

« Sed de jure positivo Ecclesiæ simpliciter non potest; quia Ecclesia « illegitimavit fidelem, non simpliciter, sed respectu infidelis, sicut patet « in auctoritate adducta ad oppositum, 28. q. 1. Hoc autem Ecclesia « rationabiliter ordinavit, quia hoc non potest congrue et honeste « fieri; et ad hoc valent aliquæ rationes adductæ ad primum articulum; « non enim est honestum fidelem contrahere, cui contractui non sit « annexum Sacramentum fidei Christianæ, et etiam ubi non sit bonum « Sacramenti, idest, indissolubilitas; quia conjugium Christianorum « natum est habere hæc bona.

Instat Doctor: « quare ergo Apostolus suadet Matrimonium inter « infideles contractum, esse servandum post conversionem alterius? si « enim propter aliquem bonum finem honeste servatur: igitur propter « eumdem posset honeste contrahi.

Respondet, « causa Apostoli patet ibi: *Salvabitur*, inquit, *vir infi-*

« *delis per mulierem fidelem*: igitur servare Matrimonium prius con-
 « tractum est occasio convertendi conjugem infidelem; cessante autem
 « evidenter causa illa, non debent insimul commanere: ut puta, si
 « non consentit habitare cum converso, vel non sine injuria Creatoris,
 « blasphemando scilicet, vel sollicitando conversum ad infidelitatem;
 « vitanda est enim tam singularis familiaritas cum quocumque con-
 « trariæ sectæ, nisi propter majus bonum. Ad propositum autem, con-
 « trahere de novo cum infideli non est occasio probabilis ad expe-
 « ctandum tantum bonum, scilicet conversionem ejus; quia multum
 « amans conjugium multa et magna faceret, ut illud attingeret, quæ
 « non esset factururus, ipso adepto: et ideo si iste non vult converti in
 « primo, ut possit habere conjugium cum Christiana, non est proba-
 « bile, quod ista postea lucretur eum, sed magis e converso; quia ille
 « videtur obducere istam; et ideo cessat ratio tantæ familiaritatis ad
 « infidelem, et manet ratio fugiendi illam familiaritatem; et ideo idem
 « Apostolus, qui consuluit manere conversum cum non conversa, dis-
 « suasit contrahere fidelem cum infideli, sicut argutum est ad oppo-
 « situm ».

Quibus verbis Doctor duo resolvit: *primum* quidem, quod Matrimo-
 nium licitum sit et validum inter fidelem et infidelem jure divino:
tum quia id significat Apostolus; *tum* quia, ut dixit, n. 2. Matrimo-
 nium potest esse validum inter infideles, et perseverare altero conjugum
 converso ad fidem; hoc enim non obstat fidei servandæ in Matrimonio:
 quia, *inquit*, fidelitas servari potest sine fide, qua creditur in Deum;
 hanc enim servant infideles fidelibus in contractibus; non enim se-
 quitur: non vult servare fidem istam ad Deum, a qua Christiani di-
 cuntur fideles: ergo non vult servare fidem, idest, fidelitatem proximo:
tum quia non sequitur: non vult servare perfectius: igitur nec minus
 perfectum: *tum* quia infidelis non potest attingere per rationem natu-
 ralem ad observantiam fidei divinæ, sicut percipere potest servandam
 esse fidelitatem humanam. Nec etiam Matrimonii validitati inter infi-
 deles obstat bonum prolis educandæ; quia in hoc Matrimonio bonum
 prolis sequitur dictamen rationis naturalis; quod utique sufficit ad va-
 liditatem contractus Matrimonialis; nam quod proles educetur in or-
 dine ad cultum supernaturalem Dei, hoc est extrinsecum ipsi contra-
 ctui, qui tantum obligat ad id, quod servandum proponitur secundum
 dictamen vel solius rationis rectæ, si tantum affulgeat illius lumen;
 vel fidei divinæ, dum quis ea illustratur.

Non *denique* obstat bonum Sacramenti; quia, (*inquit* Doctor n. 3.)
 omnibus contractibus Matrimonii præcedentibus Legem Evangelicam
 non fuit annexa virtus et dignitas Sacramenti propriè dicti; nec etiam
 annexa fuisset in statu innocentiae, si ille perseverasset; attamen tunc
 Matrimonium non caruisset debita perfectione ad rationem contractus
 pertinente; ac subinde Matrimonium inter infideles habere potest omnia
 bona Matrimonii, quatenus est contractus civilis, et consequenter po-
 test esse validum; unde merito monet Apostolus, ut vir fidelis non
 dimittat uxorem infidelem, quæ consentit cum ipso habitare.

Secundo Doctor concludit, jure positivo Ecclesiæ ista Matrimonia
 censeri irrita. Quod utique constat non solum ex consuetudine et
 praxi, sed etiam ex variis decretis Conciliorum; nam, ut diximus, id

prohibet Concilium Nicænum, necnon et Carthaginense tertium, quod vetat cap. 12. ne Clerici filias suas nuptui dent infidelibus. Idem sanxit Aurelianense II, cap. 19. ubi prohibet Matrimonium cum Judæis non conversis. Idem Aurelianense, cap. 6. et Meldense, Can. 73.

Nec abs re quidem Ecclesia talia Matrimonia irritavit; nam, *inquit Doctor*, n. 5. *Primo*, non fuit conveniens, ut contraheretur Matrimonium cum aliquo, ex quo futurum esset periculum perversæ educationis prolis. *Secundo*, non fuit conveniens, quod fideles contraherent, ubi non occurrit bonum Sacramenti; nam fidelium Matrimonia debent habere hoc bonum. *Tertio*, periculum esset, ne fidelis, suadente infideli conjugē, a fide deficeret; *Quis enim dubitat*, *inquit Tertullianus*, lib. 2. ad uxorem, *obliterari quotidie fidem commercio infideli? bonos corrumpunt mores confabulationes prævæ, quanto magis conjunctus et individuus usus? Denique Religionis disparitas esset occasio discordiarum, ut docet S. Ambrosius*, lib. 1. *De Abraham*, cap. 9. ubi pariter præfata incommoda ex Matrimonio cum infideli inito oriunda recenset, dicens: « Quomodo potest congruere charitas, si discrepet
« fides? Et ideo cave, Christiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tra-
« dere, Cave, inquam, Gentilem aut Judæam, atque alienigeam, hoc
« est hæreticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersas tibi.
« Prima conjugii fides, castitatis gratia est. Si idola colat, quorum
« prædicantur adulteria; si Christum neget, qui præceptor et remu-
« nerator est pudicitiae, quomodo potest diligere pudicitiam? Si Chri-
« stiana sit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento Bapti-
« smatis. Simul ad orationem nocte vobis surgendum est, et conjun-
« ctis precibus obsecrandus Deus. Accedit aliud insigne castimoniae,
« si credas a Deo tibi, quod sortitus est conjugium datum. Unde et Sa-
« lomom ait: *A Deo præparatur viro uxor*. Non possunt hoc dispa-
« re fide credere, ut ab eo quem non colunt, putent sibi connubii im-
« partitam gratiam. Ratio docet; sed amplius exempla movent. Sæpe
« illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a Religione fecit
« discedere. Et ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. Ratio
« docet. Primum ergo in conjugio Religio quæritur ».

Licet autem hæc vera sint, quando adest periculum subversionis alterius conjugis, aut aliquod imminet ex malis mox recensitis; nihilominus ubi tale periculum non imminet, revera licitum est Matrimonium ducere cum infidelibus, saltem ex decreto, et consensu Ecclesiæ. Quod utique probari potest variis exemplis veteris Testamenti; nam Jacob duxit uxores filias Laban hominis gentilis, Genes. 29. Joseph duxit filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos Genes. 41. Moyses Sæphoram filiam Jethro Sacerdotis Madian, Exodi 1. Esther nupsit Assuero Regi Persarum, et Salomon varias duxit uxores alienigenas. « Verum ipse, *inquit Doctor* num. 8., sicut pessimus et ingrattissimus
« homo, Deo suo, non solum in hoc peccavit, quia alienigenas duxit
« contra legem, etiam de gentilibus specialiter prohibitis, sed etiam
« in multitudine mulierum; siquidem habuit secundum unam litte-
« ram 706. uxores quasi Reginas, et 300. concubinas; cum tamen
« diceret lex specialiter de Rege, *Deuteron.*, cap. 17. *Non habebit
« uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus*; quod forte specialiter
« dixit Moyses propter malitiam istius prævisam, ut si non compesce-

« retur, saltem confunderetur, ne alii etiam eum imitarentur: et quod
 « pejus est, copulatus est eis amore ardentissimo, in tantum, ut faceret
 « eis idola, et templa ad colendum Deos suos; unde non sine causa
 « subjunxit Moyses, ut supra, *quæ alliciant animum ejus*; et hæc
 « omnia aggravat singularis ingratitude sapientiæ eminentis sibi su-
 « bito a Deo concessæ; ita quod ista auctoritas non requirit respon-
 « sionem, sed solam detestationem ».

Idipsum constat variis exemplis Sanctorum Legis Evangelicæ; nam S. Cæcilia nupsit Valeriano adhuc Gentili, ut habetur ex actis ejus vitæ, et martyrii; S. Monica, mater S. Augustini, nupsit Patricio Ethnico, ut ipse S. Augustinus testatur, lib. 9. *Confess.*, cap. 9. S. Clotildis nupsit Clodovæo Regi Francorum adhuc idololatræ, ut testantur omnes Historiæ Francorum illius ævi, et Gregorius Turonensis, lib. 2. *Historiæ*, cap. 28. et 31.

Ex his collige, potiori jure Matrimonia cum hæreticis non semper esse illicita; quamvis enim aliquibus in locis, ex Ecclesiæ decreto irrita haberentur hujusmodi Matrimonia, ut insinuat Canon Trullanus 72. qui includitur in Can. 67. Laodiceni, et indicat Theodorus Balsamon in priorem Canonem, et in *novo Canone*, tit. 12. c. 13. hanc praxim docet viguisse in Græcia non ex alio capite, quam ex canonicis antiquis inhabilitantibus personas ad contractum, fidelis quidem respective ad infideles, et Judæos, sed præterea baptizatos hæreticos, et fideles utrumque comprehendentes, damnat præfatus Auctor Iberos, qui connubium inibant cum Saracenis.

His, inquam, non obstantibus, constat ab Ecclesia permitti posse, ut fideles Matrimonia ineant cum hæreticis, quando id rationabilis causa exigit, puta *primo*, cum affulget spes conversionis conjugis infidelis ad fidem: 2. si Matrimonium istud sit motivum et occasio conciliandæ pacis inter Principes et Regna: 3. si nullum adsit ex præfatis periculis: 4. si conjux fidelis proficere possit ad fidem in aliquo regno propagandam aut fovendam. Attamen cavendum est, ne hujusmodi Matrimonia sub hac conventionem ineantur, ut filiorum educatio pertineat ad patrem fidelem, v. g. filiarum vero ad matrem hæreticam; hæc enim pactio vergeret in præjudicium salutis ipsarum filiarum, quæ forte ab hæretica matre in erroribus, quibus inficitur, educarentur.

Septimum impedimentum est *vis*, seu *coactio*; cum enim contractus Matrimonii debeat esse liber, ut diximus, sufficienter apparet, quod dum contractus ille inicitur ex gravi metu, qui virum constantem dejicere posset, prorsus irritus habendus est; quia bona, quæ ad aliquem dominum proprium pertinent, transire non possunt in alterius dominium et potestatem, sine proprii domini consensu; vel sine dispositione alicujus legis ad id cogentis: sed bona contrahentium Matrimonium sunt ipsis personalia, qui sibi Matrimonium ineundo tradunt: igitur non potest illa traditio fieri sine libero eorum consensu, maxime cum tantum absit, ut aliqua Lex Ecclesiastica vel civilis conjuges ad hujusmodi traditionem corporum adstringat, quin potius utraque lex consensum istum requirit, ut constat non solum ex Concilio Tridentino, Sess. 24. cap. 9. sed etiam colligitur ex cap. *Sufficiat*, causa 27. q. 2. et cap. *Cum apud de Sponsalibus*. Item ex L. *Nuptias* ff. de legibus juris, quæ cum alibi expenderimus agendo de libertate ad

consensum Matrimoniale[m] necessaria, non est necessum, ut in hoc declarando impedimento diutius immoremur.

§ IX. — UTRUM, ET QUALIS ORDO MATRIMONIUM DIRIMAT.

Certum est, minores Ordines nec dirimendi, nec impediendi Matrimonii vim habere, quippe cum nullum continentiae votum annexum habeant, neque id ullo jure sancitum alicubi reperiatur. Quantum autem ad Ordines sacros, nempe Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, et Episcopatum, conveniunt omnes Theologi et Canonistæ, eos Matrimonium subsequens irritare, ut constat cap. 1. *Qui Clerici, vel voventes*, et ex cap. *Ut Lex* 27. q. 1. ubi postquam statuit Pontifex, et præcepit, ut qui post sacros Ordines uxores duxerint, ab illis separentur, subjungit causam his verbis: *Hujusmodi namque copulationem, quam contra Ecclesiasticam regulam constat esse contractam, Matrimonium non esse censemus*. Idipsum expresse definit Concilium Tridentinum, Sess. 24. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante Lege Ecclesiastica, vel voto; et oppositum nihil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit; cum Deus id recte petentibus non denegat, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari*.

Hæc autem vis dirimendi Matrimonium Sacris Ordinibus insita non provenit, (*inquit Doctor*, dist. 37. n. 3.) præcise ex eo quod habeant annexum votum castitatis; quia, *inquit*, votum illud haberet hunc effectum, *vel* ex eo quod emittatur a suscipiente, *vel* quia ex præcepto Ecclesiæ votum illud conjunctum est Ordini sacro: sed neutrum dici potest. Et non quidem *primum*; quia posset aliquis Ordines suscipere, absque voluntate continendi, et cum intentione nubendi; quo in casu non teneretur ex voto ad continentiam, quia nullus vovens vovet nolitum; ac subinde iste suscipiens sacrum Ordinem cum hac voluntate, non teneretur ex voto servare continentiam.

Nec obstat, quod iste suscipiens Ordinem sacrum suscipiat signum, cui ex praxi Ecclesiæ Latine annexum est votum continentiae. « Hoc, « *inquam*, non obstat; quia, *inquit Doctor*, nullus tenetur ex voto ad « votum factum ab alio, maxime si habeat votum contrarium. *Deinde*, « Græci suscipiunt idem signum absque ulla voluntate castitatis; unde « ad ipsam non tenentur.

« *Secundum* etiam dici non potest, quia licet Ecclesia simpliciter « prohiberet Matrimonium existenti in Ordine Sacro, non inde Matri- « monium irritatur; quia non omnis prohibitio irritat factum, ut constat « ex cap. *Ex litteris*, ubi legimus: *Licet contra interdictum Ecclesiæ « transire ad secunda vota non debuerint, non est tamen conveniens, « ut ob hoc, Sacramentum conjugii dissolvatur; aliqua tamen pœni- « tentia debet eis imponi, quia contra prohibitionem Ecclesiæ hoc fece- « runt*. Igitur si votum continentiae est annexum Ordini Sacro solum « ex præcepto Ecclesiæ, sequitur quod non simpliciter illegitimat ad « contrahendum; universaliter enim in jure statutum prohibens hoc « fieri non illegitimat, sed oportet, quod contineat talem sententiam,

« quod si contractum fuerit, dirimatur, vel si copulati fuerint, non
« sint aliquid tolerandi.

Itaque concludendum est cum Doctore, ibidem n. 4. « quod nec
« propter votum continentiae proprie dictum annexum Ordini sacro, nec
« annexum ex præcepto Ecclesiae præcipientis tali non contrahere, est,
« quod iste non potest contrahere, sed ex hoc quod Ecclesia facit talem
« personam simpliciter illegitimam. Quod statutum fuit rationabile,
« sive habitum fuerit a Christo, sive non, qui talis deputatur ministerio
« sacro, quod requirit munditiam mentis et carnis, perspicacitatem in-
« tellectus, fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, et ad
« eorum opposita frequentia carnalis actus. Nec in hoc debet aliquis di-
« cere, Ecclesiam sibi præjudicare in suo jure; quia Ecclesia commu-
« niter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri, et satis publi-
« cavit, quia post talem Ordinem susceptum, suscipiens est inhabilis ad
« contrahendum: igitur voluntarie incurrit talem inhabilitatem ».

Corollarium. — Ex hac doctrina *sequitur*, constantissimum esse, quod sacris Ordinibus etiam ab ipso Ecclesiae nascentis exordio cœlibatus fuerit annexus, ut colligi potest ex variis Conciliis: *primo* quidem, ex Concilio Apostolorum, Can. 27. qui potestatem facit ducendi uxorem, sed Lectoribus tantum atque Cantoribus; si autem voluissent promoveri ad majores Ordines, jam evecti omnino debebant abstinere a commercio uxorum: igitur signum est, Apostolos interdixisse usum nuptiarum in majoribus Ordinibus constitutis. Similiter Concilium Ancyranum, Can. 10. jubet ut Presbyteri, qui Matrimonium contraxerunt, a Ministerio deponantur, et redigantur ad communionem laicam. Item in Neocæsariensi, Can. 1. sic habetur: *Presbyter, si uxorem duxerit, ab Ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, vel adulterium perpetraverit, extra Ecclesiam abjiciatur, et pœnitentiam inter laicos redactus agat.* Similiter Eliberitanum, Can. 32. *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis, et non generare filios.* Idem decernunt cætera Concilia Romanum, cap. 3. Arelatense II, cap. 2. et 3. Carthaginense II, cap. 2. III, cap. 17. et 19. IV, cap. 3. Toletanum I, cap. 1. et 4. Africanum I, cap. 22. Andegavense apud Baronium, anno 453. Turonense I, cap. 1. 2. et 6. Aurelianense II, cap. 8. Avernense, cap. 12. Aurelianense III, cap. 2. et 7. IV, cap. 17, V, cap. 4. Turonense II, cap. 10. Matisconense, cap. 11. Lugdunense II, cap. 1. Toletanum III, cap. 1. Hispalense I, cap. 3. Toletanum IV, cap. 20. et 26. Toletanum VIII, cap. 4. Cabilonense I, cap. 3. Moguntinum, cap. 10. Rhemense, cap. 22. Aquisgranense, cap. 6. et 9. Wormatiense, cap. 9. et 11. Lateranense, Sess. 9. Omnia hæc Concilia statuunt continentiam virorum sacrorum, vel declarant, vel puniunt, et reprobant contrarium.

Idem docent plurimi SS. Patres, quos laudat et refert Hiquæus ad dist. 37. n. 2. et sequentibus. Unde cœlibatus semper in Ecclesia Latina sacris Ordinibus ita fuit annexus, ut ab ea praxi nusquam licitum fuerit deviare, saltem ex consensu communi; nam ubi mos contrarius cœpit serpere, statim per Conciliorum et summorum Pontificum vigilantiam extirpatus est.

Secus autem in Græca, in qua licet ab initio idem ritus vigerit, nihilominus postmodum hæc lex fuit abrogata, et permissum est Ministris Altaris cum propriis uxoribus ante sacros Ordines Matrimonio copulatis consuetudinem habere eo tempore, quo sacris Ministeriis non vacant; idque non improbat Ecclesia Romana; nam, ut observat Arcudius, lib. 7. cap. 33. Stephanus Romanus Pontifex, ut refertur cap. *Aliter*, dist. 31. ait: *Aliter*, inquit, *se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi Matrimonio copulantur*: (glossa, hoc est carnaliter commiscuntur; seu, quod idem est, Matrimonio antea contracto utuntur; is enim est mos Orientalium) *istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi*. Nec tamen eum morem reprehendit Pontifex. Et in cap. *Quæsitum De Pœnitentia et remiss.* ait Clemens III. *Quæsitum est, utrum Sacerdotibus Græcis, quibus legitimo Matrimonio uti licet*. Et in cap. *Ut Clericorum mores de vita, et honestate Clericorum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III dicitur in fine: Qui autem secundum Regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur. cum legitimo Matrimonio uti possint*. Ubi glossa notat, hoc dici propter Orientales, qui post sacros Ordines susceptos, utuntur conjugio ante contracto. Et cap. *cum olim de Clericis conjugatis* Innocentius III mandat Acherentino Episcopo, ut filium ejusdam Presbyteri Græci in Ecclesia Latina Cantoratus dignitate insignitum, quippe legitime prognatum, et electum a populo, in Episcopatum promoveat, modo aliud non obstat: *Nos, inquit, attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentis non admisit, quoniam Orientales in minoribus Ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur Matrimonio jam contracto*. Unde certum est, Ecclesiam Romanam Presbyteris Græcorum usum Matrimonii post susceptos sacros Ordines impune permisisse, seu potius tolerasse.

Quamvis enim Nicolaus I ut habetur dist. 28. cap. *Consulendum*, respondens ad quæstiones Bulgarorum, dicat Græcos ea in re esse valde reprehensibiles; hoc tamen dicit Bulgaris recenter ad fidem Christi per Romanam Ecclesiam conversis, ut ostendat usum Matrimonii Græcorum Presbyteris, non quidem ut bonum, sed ut minus malum toleratum fuisse. Et ob eam causam minime eos rejiciendos esse ait. Forte etiam quia Græci ex Concilio Quinisexto reprehendebant Ecclesiam Romanam cœlibatum servantem.

Unde merito Pontifex dixit, Græcos esse longe majori reprehensione dignos, utpote qui Antiquorum canones minus servant. Quod si alia est mens et sententia Nicolai, tamquam quæ non ex cathedra sit prolata, minus probanda est, idque auctoritate plurimorum Pontificum contrarium sentientium. Nam et Gregorius Magnus prædecessoris sui sententiam minime probat; ne Subdiaconi uxoribus antea ductis miscerentur, lib. 1. Epist. 42.

Cæterum (inquit Arcudius) Græci suos ritus mordicus nimis retinentes, et suarum consuetudinum nimium amantes, quod illis impune et sine peccato, ob fragilitatem et penuriam Sacerdotum a principio concessum, seu potius toleratum fuerat, idem laude atque imitatione

dignum ducentes, neque incommoda Matrimonii ab Apostolo in priori ad Cor. cap. 7. enumerata considerantes, optarent reliquos omnes Presbyteros suo more uxores ducere; neque laude castitatis alios sibi anteferri æquo animo patiuntur. Siquidem Latinos reprehendere audent, quod Matrimonio conjunctos, et operam liberis dantes, ad sacros Ordines merito nulla ratione admittant; præsertim cum nulla causa justa sit, cur Sacerdotes procreationi liberorum studeant.

Unde Patres Synodi Quinisextæ, seu Trullanæ, in contemptum Romanæ Ecclesiæ, tamquam dogma et præscriptum Apostolicum, Can. 13. statuunt, quod qui ad Ordines sacros promovendi sunt, uxores suas retineant: « Quoniam, *inquiunt*, in Romana Ecclesia pro canone traditum esse cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui digni existimati sunt, qui ordinentur, profiteantur se non amplius cum suis uxoribus conjungendos; nos antiquum canonem exquisitissimæ disciplinae Apostolicæ ordinisque secuti, hominum, qui sunt in sacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma et stabilia esse volumus. Nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua tempore convenienti consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hyppodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi minime prohibeatur, si cum legitima uxore cohabitet; sed neque Ordinationis tempore ab eo postuletur, ut profiteatur se a legitima conversatione uxoris paratum abstinere. Nec ex eo a Deo constitutas, et sua præsentia benedictas nuptias, injuria afficere cogemur, Evangelica voce exclamante: Quæ Deus conjunxit, homo non separet; et Apostolo docente, honorabiles esse nuptias, et torum immaculatum. Et, Alligatus es uxori? ne quæras solutionem. Scimus autem, sicut et qui Carthaginem convenerunt Ministros gravitatis, honestatisque curam gerentes, dixerunt, ut Subdiaconi, qui sacra Mysteria contrectant, et Diaconi, et Presbyteri secundum proprias definitiones a consortibus abstineant, ut et quod per Apostolos traditum est, et ab ipsa usque antiquitate servatum, nos quoque similiter observemus, tempus in omni re scientes, et maxime in jejunio, et oratione. Oportet enim eos, qui divino Altari assident, in sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, ut possint id, quod a Deo simpliciter postulant, obtinere. Si quis igitur præter Apostolicos canones incitatus aliquem eorum, qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquam, vel Diaconorum, vel Hyppodiaconorum, conjunctione, cum legitima uxore, et consuetudine ausus fuerit privare, deponatur. Similiter, et si quis Presbyter, vel Diaconus suam uxorem prætextu pietatis ejecerit, excommunicatione feriatur; si autem perseveraverit, deponatur ». Sic Patres illius Concilii. Qui etiam depositionem non obtemperantibus huic canoni minantur.

In ipso autem Canone Græci suam adversus Latinos sententiam tueri nituntur quatuor momentis. *Primo* quidem, ex illis verbis Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Secundo*, ex verbis Apostoli dicentis ad Hebræos 13. *Honorabile connubium*, hoc est, nuptias esse honorabiles, ac subinde perperam a Sacerdotibus Latinis rejici. *Tertio*, ex Canonibus Conciliorum secundi, et quinti Carthaginensium. *Postremo*, ex sexto Canone Apostolorum, quo prohibetur Episcopus, Pre-

sbyter, et Diaconus, sub specie et prætextu pietatis suam uxorem rejicere.

Verum facili negotio diluuntur omnia ista fundamenta: primo namque quod attinet ad verba Matth. 19. respondetur, illa esse intelligenda non de neglectu Matrimonii; quod utique certissime fieri potest ab iis, qui virginitatem sectantes, meliorem utique sortem, ac perfectiorem statum elegerunt.

Ad Apostolum respondeo, ipsum eo loco tradere præcepta ad mores pertinentia, quibus admonet, quid fieri debeat; unde eorum verborum sensus est, conjugium in omnibus legitime conjunctis esse honorabile et immaculatum, ac subinde graviter peccant, dum illud stupris et adulteriis dehonestant. Unde statim subjicit: *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*

Ad tertium dico, quod tantum abest, ut Canon secundus Concilii secundi Carthaginensis faveat Græcis, quinimo ipsis directe adversatur; sic enim habet: *Aurelius Episcopus dixit, Cum in præterito Concilio de continentia et castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis, per consecrationes annexi sunt: Episcopos, inquam, Presbyteros, et Diaconos, ita placuit, ut condecet sacrosanctos Antistites, et Dei Sacerdotes, necnon et Levitas, vel qui Sacramentis divinis inserviunt, continentibus esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab universim Episcopis dictum est: Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitia custodes etiam ab uxoribus se abstinere. Ab omnibus dictum: Placet, ut in omnibus, et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui Altari deserviunt. Ubi notanda sunt ea verba, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas; ut inde pateat, hallucinari Præsules Concilii Trullani, dum contrarium prætendunt.*

Idem habet Canon tertius Concilii quinti Carthaginensis; sic enim legimus: Cum de quorundam Clericorum, quomvis erga proprias uxores, incontinentia referretur, placuit Episcopos, et Presbyteros, et Diaconos, secundum propria (aliter priora, vel priorum) statuta etiam ab uxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio: cæteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesie consuetudinem observare debere. Quæ posteriora verba indicant, alicubi fuisse consuetudinem, ut etiam Lectores essent continentes, vel si essent uxorati, non haberent consuetudinem cum propriis uxoribus; unde Can. 19. Concilii tertii Carthaginensis habetur: Placuit, ut Lectores, cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri.

Ad Canonem sextum Apostolorum his verbis conceptum: *Episcopus, aut Presbyter uxorem propriam nequaquam sub obtentu Religionis abjiciat, si vero dejecerit, excommunicetur, et si perseveraverit, dejiciatur.* Dico non habere eum sensum, quem falso Trullani arbitrantur, nempe ut Sacerdotes uxores ante Presbyteratum ductas possint retinere, et eis uti; sed significant Apostoli, uxores ante Ordinationem ductas non debere abjici a cura, tenentur enim eas alere, ac eis de rebus necessariis providere, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. 5. *Si*

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

- *quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Unde Concilium Turonense II, Can. 8. dicit Episcopum conjugatum debere uxorem habere ut sororem; verum absque ulla suspicione carnalis commercii. *Adde quod*, ipsimet Græci non observant præfatum Canonem, ut ipsum interpretantur; nisi enim uxorati suas uxores abjiciant, non eos creant Episcopos: si autem Græcis licuit excipere Episcopos ab hac Canonis præscriptione, cur non Latinos Presbyteros, cum æque Canon Episcopos, atque Presbyteros comprehendat?

OBJICIUNT INSUPER GRÆCI Canonem 10. Concilii Ancyрани, ubi habetur: *Diaconi si in ipsa ordinatione protestati sunt dicentes velle se habere uxores, nec posse continere, hi postea si uxores duxerint, maneat in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit.* Igitur saltem Diaconi possunt esse uxorati. Et Concilium Gangrense, Can. 4. damnat eos, qui recusant sumere Eucharistiam, vel forte panem Eulogicum ex manibus Sacerdotis, qui uxorem habuerit: *Si quis, inquit, discrediderit ab aliquo Presbytero, qui uxorem duxerit, quod non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit: igitur approbat Presbyterorum conjugia.* — **Ad Canonem Ancyranum respondet Arcudius**, cap. 37. Patres illius Concilii Provincialis eo tempore cum nonnullis Diaconis in Matrimonio dispensasse, eo quod cœlibatus non sit de jure divino: idque vel propter penuriam Ministrorum, vel propter hominum mentem torpentem, atque languentem, inquit S. Epiphanius. Cæterum tantum abest, ut hic Canon Græcis faveat, quinimo ipsis adversatur; si enim licitum erat post susceptos Ordines eo tempore uti uxoribus, cur opus erat Diaconis protestari se non posse continere? poterant enim, prout modo faciunt Græci, prius copulari Matrimonio, deinde initiari sacris Ordinibus; neque ulla indulgentia petenda erat. Quod etiam indicant sequentia verba præfati Canonis: *Si qui vero cum manuum impositione essent ordinandi, tacuerunt, utpote qui suo silentio cœlibem vitam professi sunt, si deinde duxerint, cessent a ministerio.* Ubi Synodus clarissime significat eos tacite continentiam profiteri. — *Ad Canonem Concilii Gangrensis respondet*, eum sic posse intelligi, quod aliquis habeat uxorem, et ab ea se contineat; vel quia sit mortua ejus uxor, vel quia ex illius consensu ab ea se abstinet: qui utique Canonis sensus colligitur ex fine, propter quem editus est Canon ille, nempe adversus Eustachium Episcopum Sebastiae, qui nuptias abrogandas esse censebat; quapropter ejus sectatores renuebant accipere oblationem a Presbyteris, qui aliquando uxores duxissent; quod utique non fecissent, si passim omnes Presbyteros Matrimonio junctos esse vidissent. *Respondet secundo*, quod si hic Canon intelligatur de Sacerdotibus uxoratis, et procreantibus liberos, id factum fuisse per dispensationem, videlicet ob ministrorum penuriam. Quoniam vero illi Sacerdotes uxorati despectui habebantur, ideo hujusmodi Canonem Concilium dedit, ut signaret virtutem Eucharistiae, seu benedictionis, non pendere a sanctitate Ministri.

OBJICIUNT 3. Licitum erat Sacerdotibus veteris Legis uxoribus uti: igitur cum longe major sit libertas Legis Evangelicæ, quam Legis Mosaicæ, idipsum multo magis licere debet. — **Nego consequentiam**, et ratio disparitatis est, quod in veteri Lege ideo concessum Sacer-

dotibus fuit Matrimonium, quia soli tribui Levi et domui Aaron Sacerdotium inerat, nec aliis licebat hoc officio fungi; ne igitur Levitarum genus in paucis conclusum deficeret, propagandum erat per eorum connubia. Sed nunc non quæritur carnis successio, sed spiritus, et Sacerdotes ex quacumque stirpe possunt eligi, dummodo qui Christo in Sacerdotio succedunt casti sint, sicut et ipse castus fuit: si enim Legis Mosaicæ Sacerdotibus dictum est: Mundamini, qui fertis vasa Domini, quanto magis Sacerdotibus novæ Legis convenit mundities, quibus non solum ferre vasa Domini, sed etiam ipsum Dominum quotidie, et contrectare manibus, et ore sumere licitum est? Non solum igitur mente, sed etiam corpore, mundus esse debet, qui ad tam sacrum ministerium assumitur.

OBJICIUNT ULTIMO historiam Paphnutii, quem Socrates, lib. 1. *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 8. refert adfuisse Concilio Nicæno, et obstitisse Patribus, quominus Legem ferrent qua Presbyteri, cæterique Ordinibus sacris initiati uxoribus ante Ordinem acceptis postea uti posse prohiberentur: « videbatur, *inquit*, Episcopis Nicæni Concilii Legem novam in Ecclesiam introducere, ut qui essent sacris initiati, « videlicet Episcopi, Presbyteri, et Diaconi, cum uxoribus, quas, cum « erant Laici, in Matrimonium duxissent, minime cubarent. Et quoniam « hac de re conferendum esse proponebatur, surgens in medio « Episcoporum consessu Paphnutius vehementer vociferabatur, non « grave jugum eorum cervicibus imponendum esse, qui erant sacris « initiati, honorabile conjugium, et torum immaculatum asserens; cavere « verent, ne dum nimio plus accurati et exquisiti esse volunt, Ecclesiam « graviore incommodo afficiant. Non enim omnes disciplinam « ferre posse ab omni animi perturbatione vacuam. Neque a singulorum « uxoribus fortasse castimoniam posse servari. Castimoniam cum « uxore legitima concubitum appellabat. Illud satis esse, ut qui in « Clerum antea scripti erant, quam duxissent uxores, hi secundum « veterem Ecclesiæ traditionem deinceps a nuptiis se abstinerent. Non « tamen quemquam ab illa, quam jam pridem, cum Laicus erat, uxorem « duxisset, sejungi debere. Atque hæc dicebat Paphnutius, cum « ipse modo non nuptias, sed ne mulierem quidem, ut ita dicam, expertus « esset. Nam a puero in Monasterio, severo vitæ disciplinæque « genere enutritus fuerat, magnamque famæ celebritatem ob singularem « castimoniam, si quis alius, ipse quoque adeptus erat. Assentitur « totus sacrorum virorum conventus verbis Paphnutii. Quocirca « controversiam de hac re penitus silentio præterierunt, liberum relinquentes « cuique pro arbitrato ab uxorum consuetudinem abstinendi. Eamdem « historiam accepit a Socrate Sozomenus, et eam refert in primo libro, « *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. 23. Item Gelasius Cyzicenus recensens acta « Synodica Concilii Nicæni, ejus meminit Photius in Bibliotheca ». — **Respondet Arcudius**, cap. 38. historiam illam omnino confictam esse, quod convincitur in primis, ex eo quod rem adeo celebrem ac memorabilem, qui Concilio interfuere, ejusque æta scripsere, profecto litteris mandare non neglexissent: at Eusebius Cæsariensis unus ex Episcopis Concilii, cujus etiam historiam narrat, nihil omnino tale tradit, imo contrarium scribit. Sed neque Theodoretus, vel alius quispiam fide dignior.

Quin potius S. Epiphanius et Theodoretus Paphnutii cum meminerint, de eo tamen nihil ejusmodi referunt. *Deinde* Socrates ipse sibi manifeste contradicit. In ea siquidem historia, quam narrat de Paphnutio, dicit Patres voluisse novam Legem in Ecclesiam introducere, qua sacris initiati, dormire cum suis uxoribus vetarentur. In libro vero quinto *Ecclesiasticæ Historiæ*, cap. 22. ubi recenset varios mores ac diversos ritus antiquos Ecclesiarum, testatur in Thesalia, Macedonia, et ipsa Græcia morem fuisse ab Ecclesiasticis observatum, ut quam lege duxerat aliquis uxorem, priusquam Clericus factus esset, si postea Clericus factus cum ea dormivisset, alienus fieret et abdicaretur a munere Clericatus. — *Respondet secundo*, quod etsi Paphnutius Patribus obstiterit, ne Legem ferrent, qua prohiberentur Presbyteri concumbere cum suis uxoribus, an propterea Synodus illius rationibus ducta in arbitrio Episcoporum, atque aliorum Ecclesiasticorum reliquit, ut uxoribus pro libito uterentur, ac non potius eam Legem tulit, cujus tertius Canon sic habet: *Interdixit universe magna Synodus, neque Episcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque omnino alicui eorum, qui in Clero sunt constituti, conductam habere licere. Nisi forte matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas tantum personas, quæ omni suspicione carent. Qui contra hæc facit, de sua dignitate periclitabitur.* Similem Canonem ediderunt Patres Africani in Concilio tertio Carthaginensi, Can. 17. et hunc Nicænum videntur explicare, ut cum omnibus omnino Clericis extraneæ fœminæ non habitent, sed solæ matres, aviæ, materteræ, amitæ, sorores, et filiæ fratrum, aut sororum; et quæcumque ex familia, domestica necessitate etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant. Vel si filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut servis manentibus in domo, quas ducant, aliunde ducere necessitas fuerit. Mandat itaque Canon Nicænus, ne ulla mulier cohabitaret cum Episcopo, Presbytero, Diacono, aliisque Clericis; easque tantum excipit personas, de quibus male suspicari non potest. Sed legitime Sacerdotum uxores et filii nullam suspensionem de se præberent; et tamen harum Canon nullam facit exceptionem, sed tantum matris, sororis, et amitæ: igitur signum est, quod ad Paphnutii sententiam Patres Nicænæ Synodi non approbarint Sacerdotum conjugia. Quamobrem Siricius Pontifex, qui in Epist. 1. prohibet Sacerdotes habitare cum propriis uxoribus, multo magis cum aliis fœminis, in suæ sanctionis assertionem præsentem Canonem induxit: *Feminas, inquit, non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantum, quas propter solas necessitudinum causas habitare cum iisdem Synodus Nicæna permittit.* — *Confirmatur* hæc responsio, et tota simul assertio roboratur auctoritatē SS. Patrum tam Græcorum, quam Latinorum, qui post Concilium Nicænum scripserunt, non licere Sacerdotibus novæ Legis uxores ducere, et filios generare. Prodit in primis S. Athanasius, qui in Apologia de sua fuga, ubi mores Arianorum Episcoporum, qui eum persequabantur, describit, circa finem, de quodam Leontio, quem passim cognomine novo ἀποκόπον, hoc est exectum, et castratum appellabant, Ariano Pseudo-Episcopo ita refert: *Leontius enim cum argueretur commercium habere cum quadam muliere juvenula, cui nomen Eustolium, jussusque proinde fuisset, ut ab ejus contubernio abstineret, ejus causa seipsum castravit;*

quo libere ejus consuetudine uti posset. Neque tamen vel ita suspicionem abluere potuit, quin potius ob idipsum cum Presbyter esset, depositus fuit, quamvis Constantius hæreticus vi effecerit, ut eum Episcopum appellarent. At si Presbyteri tempore S. Athanasii poterant cum uxoribus legitime ante sacros Ordines ductis lege Matrimoniali postea commisceri; quis credat Leontium hominem fallacissimum maluisse se castrare, ut cum Eustolio securius degeret, quam ante ordinationem eam in uxorem ducere, qua Presbyter factus jure conjugali posset uti?

S. Athanasio subscribit Basilius Magnus pluribi, maxime in Epistola ad Gregorium Presbyterum, qui contra constitutiones Nicænae Synodi mulieres secum domi habebat, quem arguens S. Basilius inter cætera scribit: *Neque primi, neque soli, o Gregori! constituimus viros cum mulieribus in iisdem ædibus degere non oportere: sed lege Canonem in Nicæna Synodo a SS. Patribus nostris editum, aperte ventantem, ne qui coinductas mulieres secum haberent: cælibatus vero in eo suum habet decus, quod a mulierum familiaritate viri longius absint. Et post pauca concludit: Domo itaque eductam mulierem, in Monasterio colloca, et tu virorum servitio domi utere, ne propter nos nomen Dei blasphemetur.... Si vero non te corrigens audeas Sacerdotii munera exercendo retinere, omni populo eris anathema, et qui te domo accipient, per omnes Ecclesias excommunicati erunt.*

Ipsis etiam suffragatur Eusebius Cæsariensis, qui cælibatum Sacerdotum jam ante Concilium Nicænum in usu fuisse demonstrat; is enim lib. 1. *Evangelicæ demonstrationis*, ubi quærens quam ob causam non eadem ratione ut prisce fideles, nos quoque numerosæ soboli operam non damus, varias hujus discriminis causas profert, quarum ultima est: *Causa igitur, inquit, ob quam viri sancti prisce temporibus magno cum studio liberos suscipere, sublata est, quæ non amplius in nobis locum habere dicenda est, quando Deo favente, per Evangelicam Salvatoris nostri doctrinam innumerabiles gentes, et populos in urbibus, et regionibus, et agris licet nobis oculis intueri simul festinantes, et ad sancta Evangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes. Quibus quidem satis superque sit, SS. Doctores, ac Prædicatores divini verbi omnibus, et vitæ vinculis, et annuis curis liberati, possint sufficere. Maxime vero nunc necessario his ipsis, eo quod potioribus rebus vacent, magnum est studium abstinendi a re uxoria, veluti iis, qui divina, et incorporea sobole propaganda, occupati teneantur, et non unius, neque duorum liberorum, sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem, sanctamque disciplinam, ac reliquæ instituendæ vitæ curam susceperint. Postremum omnium, si quis majorum illorum vitas, de quibus nunc loquimur, diligenter exploret, inveniet eos initio quidem ætatis soboli procreandæ vacantes, mature autem abstinentes, atque cessantes. Et circa finem capituli, subdit: « Quod etiam novi Testamenti legibus non « omnino interdicta est liberorum procreatio, sed in hoc quoque si- « milia, quæ et antiquis Deo charis ordinata sunt; oportere enim ait « sacra Scriptura, *Episcopum unius uxoris fuisse virum*: verumtamen « consecratos, atque in Dei ministerio cultuque occupatos, ab uxoria « consuetudine seipsos continere deinceps par est. Qui vero hoc sacro « ministerio nondum digni effecti sunt, his eadem Scriptura permittit, « atque indulget, tantum non clare omnibus prædicans, honorabiles*

« esse nuptias, et torum immaculatum ». *Hactenus Eusebius, cujus proposita quæstio nullum habuisset locum, si idem mos, qui modo in Ecclesia Græcorum viget, tunc viguisset.*

Verum aliis Græcis Patribus omissis, nobis pro cæteris erit S. Epiphanius, qui aperte Græcorum illorum morem, et Canonem Concilii Trullani insectatur Hæresi 59, ubi sic ait: *Ecclesia adhuc viventem, et liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Episcopum, et Presbyterum, et Hyppodiamonem suscipit, maxime ubi sinceri sunt Canones Ecclesiastici.* Et mox subjungit: *At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, et Hyppodiamonos. At non est, inquit, juxta Canonem, sed juxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Idem Hæresi 48. *Gaudet, inquit, Deus verbum his, qui approbatum Religionis cultum præstare possunt, et virginitatem, et castitatem, et continentiam exercere diligunt: monogamiam quoque honorat, etiamsi maxime Sacerdotii dona per eos, qui post monogamiam sunt continentes, et qui in virginitate permanent, se ornasse expresserit: quemadmodum et ejus Apostoli Ecclesiasticum Sacerdotii Canonem recte et sancte ordinarunt.*

Patribus Græcis consentiunt Latini Patres, maxime S. Ambrosius, lib. 1. *De Officiis*, cap. ultimo, ubi redarguens quorundam Sacerdotum sacrilegas nuptias, ait: *Inoffensum exhibendum et immaculatum mysterium, nec ullo conjugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, aliam etiam ab ipso consortio conjugali sacri ministerii gratiam recepistis. Quod ideo non præterivi, quia in plerisque additioribus locis, cum ministerium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios susceperunt.* Idem habet lib. 10. *Epist.* 82.

Similiter S. Hieronymus, lib. 1. *Contra Vigilantium*, carpens Episcopos, qui Vigilantii errores approbabant, scribit: *Pro nefas, inquit, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes. Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius uxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam, imo ostendentes quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur, et nisi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantesque de ulnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, et Sedis Apostolicæ? Quæ aut virgines Clericos accipiant, aut continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desierunt? Hoc docuit Dormitantius, libidini frana permittens.* Et in *Epist.* 46. ad Pammachium in fine *Apologiæ pro libris Contra Jovinianum*: *Apostoli, inquit, vel virgines, vel post nuptias continentes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post Sacerdotium in-æternum pudici.* Sic ille.

S. Augustinus vero (qui vir, et quantus testis!) in lib. 2. *De Adulterinis Conjugiis*, cap. 20. *Solemus, inquit, eis proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur invitati, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.* Sic loquitur Augustinus. Non quod revera coacti sacris initiarentur, sed quia nonnulli libentius retenta, vel ducta uxore, munere Sacerdotis functi fuissent: idque nulla ratione ipsis permittebatur, propterea dicit invitos eos capi.

Viderint ergo Patres Trullani, (inquit Arcudius) quam consona canonibus Apostolicis decreverint; quam optime explanarint Canones Conciliorum Carthaginensium; et quo jure in hac re Romanam Ecclesiam reprehenderint. Non enim puto melius intellexisse Trullanos Patres illa Concilia, quam Patres citatos. Atque adeo eundem ipsum Augustinum, qui Concilio V Carthaginensi interfuit. Siquidem illi longe proximiores Apostolis, quam fuerint Trullani, melius etiam Apostolorum et Conciliorum decreta intellexerunt. Nam, ut Marcus Tullius quodam in loco ait: *Veteres quo propius ab origine absunt, eo melius verum vident.*

§ X. — UTRUM, ET QUALIS IMPOTENTIA VIM HABEAT
DIRIMENDI MATRIMONIUM.

Observandum est cum Doctore, dist. 24. « nomine *impotentiae*, hic
« intelligi aliquam inhabilitatem consummandi Matrimonii per copulam
« carnalem, quæ, ut ait num. 4. est duplex, nimirum perpetua, et
« temporalis. *Prima est*, quæ sine vitæ periculo, vel sine peccato, aut
« absque miraculo removeri non potest; *temporalis* vero ea, quæ tolli
« potest successu temporis per artem humanam, et per media conve-
« nientia. Rursum alia est naturalis, alia vero casualis, et accidentalis.
« *Naturalis* in viro est frigiditas, vel mutilatio partis necessariæ; in
« muliere arctatio. *Casualis* est per maleficium. Impossibilitas prima
« satis patet. *Secunda* fit per malignos spiritus, qui habentes pactiones
« cum hominibus, servant promissa; non quia veraces, sed ut alii eis
« adhæreant (quia si nulla pacta servarent, nulli eis servirent), et ut
« illi, quibus servant promissa, eos colant. Nam ex superbia sua præ-
« cipue appetunt honores divinos. Deus etiam permittit eos exercere
« potestatem suam ad impediendum aliquos ab aliquibus actibus, in
« quos possent, si non essent impediti; et hoc vel propter peccata
« eorum, vel propter aliam causam occultam; et hoc modo maga
« habens pactum cum dæmone, procurat ab eo, ut istum impediat a
« tali actu cum tali muliere, quamdiu tale maleficium perseverat, puta
« acus curvata, vel aliqua hujusmodi.

« Quantum ad impotentiam naturalem et perpetuam, cui, inquit
« Doctor, num. 2., subveniri non potest per naturam vel artem, si
« præcedat Matrimonium, simpliciter impedit contrahendum, et diri-
« mit jam contractum; et ad hoc est triplex ratio ex natura istius
« contractus. *Prima*, quia iste contractus est datio potestatis corporum
« ad talem actum, si petatur: sed iste non habet potestatem ad talem
« actum: ergo nihil tale potest dare, et ita nec contrahere. *Præterea*,
« in contractu isto obligat se ad actum istum, si petatur: sed hujus-
« modi actus est sibi impossibilis, etiamsi petatur: ergo obligat se ad
« impossibile: obligatio autem ad impossibile est nulla, ex Lege di-
« vina: ergo Lex divina non approbat talem obligationem: ergo nulla
« est. *Præterea*, alia persona intendit commutare potestatem sui cor-
« poris pro potestate corporis alterius: ergo credit alium e converso
« posse commutare: sed non potest: ergo hic est error pertinens ad
« aliquid, quod est per se requisitum ad contractum: talis autem error
« facit contractum nullum, sicut dictum est supra, dist. 30. qu. 1. Si
« autem talis impotentia sequitur Matrimonium consummatum, non

« dirimit; quia jam potestas est tradita vere, et ille, cui fuit tradita, « missus fuit in possessionem: ergo non potest revocari per aliquod « impedimentum superveniens. Si autem tale impedimentum veniat « inter Matrimonium ratum, et non consummatum, dubium est, an « dirimat: Quæst. 33. cap. 1. videtur dicere partem affirmativam, *conju-* « *gium confirmatur officio*, et sequitur post, antequam confirmetur, « *impossibilitas officii solvit vinculum*. Contrarium videtur, quia jam « data est potestas, et si impedimentum usus acciderat, non propter hoc « rescindi potest datio prior, licet difficile esset judicare, si non præ- « cederet ratum, an præcederet consummatum, nisi forte esset ablatio « alicujus partis necessariæ ad actum illum tempore illo superve- « niens ».

His verbis Doctor distincte et præclare explicat discrimen inter impotentiam naturalem et casualem, perpetuam et solum ad tempus, præcedentem Matrimonium et illud subsequenter; probatque luculentissime, qualiter impotentia perpetua tam naturalis, quam accidentalis, Matrimonium antecedens, revera illud dirimat. Cujus utique ratio petitur ex natura ipsa contractus; nam contractus Matrimonialis ordinatur ad filiorum procreationem, ac subinde ad carnalem copulam. si ipsa exigatur: et conjuges invicem contrahentes commutant mutuo corpora sua cum tali intentione: si autem impotentia illa sit perpetua, perit finis hujusmodi contractus; ac subinde iste nullus est; error enim in commutatione substantiali contractum irritat: igitur, etc.

DICES: Si talis finis absolute intenderetur in contractu Matrimoniali, sequeretur, quod senes essent inhabiles ad contrahendum Matrimonium: sed contrarium apparet ex praxi Ecclesiæ, quæ patitur, et approbat talia conjugia. *Deinde*, aliquis contrahere potest cum voluntate et intentione statim post initum Matrimonium intrandi in Religionem approbatam: igitur Matrimonium iniri potest absque intentione et obligatione copulæ carnalis. — **Negat consequentiam Doctor.** Et *ad primum* respondet num. 7. « Quod si senex, *inquit*, esset « omnino impotens, dicerem, quod non contraheret Matrimonium: licet « aliqua mulier posset consentire in eum contractum ad cohabitandum « sicut frater et soror; et ita forte multæ magis desponsant divitias, « quam personas ». *Ita Doctor*, cujus sententiæ etiam adstipulantur Magister sententiarum, dist. 34. et plures alii, quos refert Sanchez, lib. 7. *De Matrimonio*, disp. 97. Hæc tamen sententia sic est intelligenda, ut conjuges senes invicem contrahentes, revera intendant copulam; Matrimonium enim duobus modis contrahi potest, nimirum vel cum animo continendi, et abstinendi a copula carnali, quale fuit Matrimonium beatæ Virginis; vel cum intentione ad copulam directe vel indirecte intentam, quatenus videlicet ordinarie ex vi contractus intendi solet. Priori modo probabilius est, quod senes impotentes sic invicem contrahentes revera validum Matrimonium efficiant; si vero posteriori modo, probabilius est quod irritum fit Matrimonium, quippe non possunt esse duo in carne una, nec potest fieri mutua corporum traditio in ordine ad finem, qui ipsis naturaliter est impossibilis. *Præterea*, in materia justitiæ commutativæ requiritur, quod res subjecta sit capax permutationis. et personæ sint capaces obligationis, et juris acquirendi; alioquin contractus celebratus est inanis: sed in proposito

res, quæ permutatur, nempe corpora contrahentium in ordine ad copulam, est incapax talis permutationis, et personæ contrahentes sunt etiam incapaces talis juris acquirendi; ac subinde contractus ille esset nullus. — *Ad secundum* respondet Doctor ibidem, quod qui sic contrahit Matrimonium, licet non permutet corpus suum cum obligatione ad reddendum debitum, si petatur pro tempore determinato, quod ipsi conceditur ad deliberandum; tamen tenetur pro aliquo tempore indeterminato, nempe ex hypothesi quod non emittat vota Religionis. Secus autem est de impotente perpetuo, qui pro nullo tempore seipsum obligare potest ad copulam, quæ ipsi omnino est impossibilis; unde, inquit Doctor, num. 5. *ipse debet manere sine spe conjugii, et tutum sibi intrare Religionem: quia si post contrahat de facto, et carnaliter copuletur, cogetur redire ad priorem, quia apparet sententiam divortii processisse ex errore; et ita nullum fuisse coram Deo, et Matrimonium primum verum fuisse; quia impedimentum, quod putabatur perpetuum, non erat.* Sed quomodo, inquit Doctor, num. 6., poterit innotescere perpetuitas istius impotentiae, sive naturalis, sive casualis? Respondet, ad id cognoscendum opus esse, quod conjuges per triennium invicem comorentur, et dent operam copulæ; quod si inde appareat illam impotentiam subsistere, debent jurare invicem conjuges cum septem vicinis proximis attestantibus eorum fidelitatem, et bonam famam, ut habetur *Extra de frigidis, cap. 1.*

« Rursus, inquit Doctor, qualiter cognosci poterit discrimen inter « impotentiam perpetuam naturalem, et casualem? Respondet, id esse « judicatu difficile, nisi per inspectionem corporis, si deficiat aliqua « dispositio necessaria requisita in parte illa ad istum actum: vel per « judicium Medicorum quantum ad frigiditatem, si aliqua signa manifeste ostendant ipsum esse talis complexionis. Si vero nec sic, nec « sic, et tamen simpliciter impeditur, præsumendum est, quod sit maleficium ». Inquit tandem utrum, cum cognoscitur impedimentum esse ex maleficio, liceat illud maleficium solvere? Respondet, num. 4. hanc quæstionem esse trifaticam, idest, ridiculam. « Non enim, inquit, « solum licet, sed est meritorium destruere opera diaboli. Nec in hoc « est aliqua infidelitas, quia destruens non acquiescit operibus malignis; sed credit dæmonem posse et velle fatigare, dum tale signum « durat, et destructio talis signi imponet finem tali vexationi ».

§ XI. — UTRUM ET QUOMODO LIGAMEN, MATRIMONII
CONTRACTUM DISSOLVAT.

Nomine *ligaminis* intelligitur vinculum indissolubile Matrimonii, quo unus conjux manet obligatus alteri conjugi, durante vita ipsius, ita ut non possit cum alio contrahere. Porro hic agitur de illo ligamine, quod oritur ex Matrimonio baptizatorum, et quidem consummato; cum supra dictum sit, Matrimonium infidelium dissolvi posse, quando alter illorum ad fidem convertitur; dictum quoque sit Matrimonium illud, quod est simpliciter ratum, dissolvi posse per ingressum Religionis approbatæ. Itaque difficultas est, utrum vivente utroque conjugate Matrimonii ligamen seu vinculum ita sit indissolubile, ut neuter conjugum cum altero possit Matrimonium inire.

Affirmativam partem tuentur omnes Theologi, et sufficienter constat

ex dictis, tum de indissolubilitate Matrimonii, tum de repudiata polygamia, et abrogato libello repudii in Lege Evangelica. Unde præclare S. Augustinus, lib. 1. *De Nuptiis et Concupiscentia*, ait: *Hujus proculdubio Sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent, nec liceat, excepta causa fornicationis, a conjugè conjugem dirimi. Cujus Sacramenti tanta observatio est in Ecclesia Christi, quibusque fidelibus conjugatis, qui sine dubio membra sunt Christi, ut cum filiorum procreandorum causa, vel nubant feminae, vel ducantur uxores, nec sterilem conjugem fas sit relinquere, ut alia fecunda ducatur.*

Corollarium I. — Ex his itaque sequitur, ob nullam viri absentiam posse mulierem ad alias nuptias convolare, nisi certo constet de morte viri, ut definit Clemens III. cap. *In presentia*, de sponsalibus, ubi ait, non posse mulieres *ad aliorum consortium canonice convolare, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*. Quibus verbis significat, ne valide quidem illas posse Matrimonium contrahere, donec eis certo constet de morte virorum. Unde hoc capite correctum fuit jus civile, permittens, ut mulier possit alteri nubere, post quam quinquennio integro expectasset virum absentem, de cujus vita dubitatur, *Lex Uxores*, de divortiiis; vel toto quadriennio, ut permittebat *Lex Uxor*, Codice de repudiis. Nam Clemens III. nullum terminum præfigit, declaratque nullam absentiam sufficere absque certo nuntio.

Ut autem nuntium istud certum videatur, debet constare vel ex certis et probatis testimoniis, puta vel authenticò scripto Pastoris, qui defunctum maritum sepulturæ tradidit, vel eorum, qui ipsius morti et sepulturæ interfuerunt; vel si hæ probationes desint, nec æquivalentes haberi possint propter loci distantiam, sufficet fama de ipsius morte, cui ut fides haberi possit, non ex solo unius nuntii testimonio sumi debet, sed ex aliis etiam adminiculis, quæ arbitrio judicis plenam faciant de morte conjugis probationem. Adminicula vero, quibus fama vel unius nuntii testimonium juvari potest, hæc numerantur a Sanchez, lib. 2. disp. 46. num. 15. et sequentibus. Longitudo absentiae, et fama generalis de ipsius morte, in loco ubi contigisse dicitur; præsertim si locus est adeo remotus, ut aliæ probationes difficile possint inde haberi. Si mors narratur jampridem contigisse, et ab eo tempore nihil de illius vita auditum est. Si erat valde senex, vel infirmæ valetudinis; vel si fuit in prælio, et diu expectatus, non est reversus. Si fuit captus ab hostibus, a quibus dicatur interemptus jam a longo tempore, sine ullo nuntio contrario, saltem a persona fide digna accepto, et similia.

Si talis autem uxor non certo sciat, sed dubitet solum, an prior vir e vita excesserit, dico illam in hoc casu non posse debitum petere sine adulterii periculo, cap. *inquisitioni*, *De Sentent. Excommunic.*, sed posse ac teneri reddere debitum viro petenti. Præsertim, si dubium Matrimonio jam contracto supervenerit. Nam iste vir non tenetur credere dubitanti uxori, cum ipse sit in possessione juris ad petendum debitum, et possessio ista titulo dubii longe prævaleat, juxta hanc regulam juris in 6. *In dubio melior est conditio possidentis*, a qua possessione deturbari non debet, nisi contra ipsam habeatur titulus validior, qualis utique non censetur titulus dubii. Ita definit Lucius III.

cap. *Dominus*, *De secundis nuptiis*, ubi sic ait: *Si aliquis, vel aliqua de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non denegat postulanti; quod a se tamen, noverit nullatenus exigendum.*

Corollarium II. — *Colligitur secundo*, posteriores nuptias, prioribus dissolutis, licitas esse, ac verum Sacramentum. Quod licitæ sint, constat ex cap. 7. ad Rom. *Quæ sub viro est mulier, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et 1. Cor. 7. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat.* Quem locum expendens S. August., lib. *De bono viduali*, cap. 12. animadvertit, non dixisse S. Paulum, si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius; sed indefinite. Et 1. ad Tim. 5. loquens S. Paulus de viduis voto castitatis minime adstrictis, ait: *Volo juniores nubere.* Et Concilium Nicænum, cap. 8. petit a Novatianis redeuntibus ad Ecclesiam, ut fateantur se communicaturos cum his, qui ad secundas nuptias transiere. Et Concilium Florentinum in Armenorum instructione, secundas, et quasvis alias posteriores nuptias approbat. Et cap. 1. etc. *Vir, de secund. nupt.*, eas licitas esse supponitur, et tantum illis denegatur benedictio, quando saltem alteri conjugi in priori Matrimonio impertita est, ne repetita in vilipendium eat.

Idipsum confirmant SS. Patres, Chrysostomus, Homil. 20. super Epist. ad Ephesios, Hieronymus in *Apologia* pro suis scriptis contra Jovinianum, et in Epist. ad Ageruchiam *De Monogamia*. Sanctus Ambrosius, lib. *De Judicis*, Epiphanius in *hæresi Cataphrygum et Catharorum*, idest, Montanistarum et Novatianorum, qui secundas nuptias repudiabant, quorum errore infectus etiam fuit Tertullianus, ut constat ex libro *De Monogamia*.

Quod etiam illæ posteriores nuptiæ habeant dignitatem et efficacitatem Sacramenti, constat ex eo, quod inveniantur in eis omnia ad Sacramentum requisita, sicut in primis, nimirum personæ legitimæ, quæ sunt debita materia remota, expressiones consensuum, quæ sunt materia propinqua, et forma. Item, quia Matrimonium legitimum in nova Lege est Sacramentum, ut definit Tridentinum, Sess. 24. *De Matrim.*, Can. 1. At secundæ, et posteriores nuptiæ, primis dissolutis initæ, sunt legitimum Matrimonium novæ Legis: ergo erunt Sacramentum.

OBJICIUNTUR VARLÆ PATRUM ET CONCILIORUM AUCTORITATES: primo namque Concilium Neocæsariense, Can. 3. pœnitentiam constituit iis, qui sæpius nubunt; et Can. 7. vetat Presbyterum interesse convivio secundarum nuptiarum. Similiter sanctus Basilius, Epistola ad Amphilochem, Can. 4. pœnitentiam præscribit bigamis, eamque auget trigamis. *Insuper* bigami sunt irregulares, ut constat cap. 1. *de bigamis*; nec eis ab Ecclesia benedictio nuptialis conceditur. *Denique*, S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 37. explicans verba Apostoli ad Ephesios 5., ita scribit: *Hac enim oratione secundas nuptias deprecari mihi videtur; si enim duo Christi sunt, duo quoque viri sint, et duæ uxores; si autem unus Christus, unum Ecclesiæ caput; una etiam caro sit, secunda autem respuatur. Quod si secundam prohibeat. de*

tertia quid dicendum? Primum lex est, secundum venia, et indulgentia, tertium iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane est. Idem etiam docet S. Hieronymus, lib. 1. Contra Jovinianum, cap. 8. ubi inter cætera scribit: Quando virginibus ob fornicationis periculum Apostolus concedit nuptias, et excusabile facit quod per se non appetitur, ita ob eandem fornicationem vitandam concedit viduis secunda matrimonia. Melius est enim, licet alterum, et tertium virum nosse, quam plurimos: idest, tolerabilius est uni homini prostitutam esse quam multis; siquidem et illa in Evangelio Joannis Samaritana sextum se maritum habere dicens, arguitur a Domino quod non sit vir ejus; ubi enim numerus maritorum, ibi vir, qui proprie unus est, esse desiit. Similia habet Epist. 11. quæ est ad Agerruchiam. —

Verum respondeo, omnibus illis testimoniis non damnari secundas nuptias, quod illicitæ sint, nec eas per se reprobari, sed per accidens, ob nimiam concupiscentiam, et intemperantiam, ex quibus illarum repetitio proficiscitur, atque ob illam intemperantiam imponitur penitentia. *Ad secundum dico,* eam irregularitatem induci, non eo quod secundæ nuptiæ improbentur, aut a vera Sacramenti ratione deficient; sed quia non ita perfecte conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentant; denegatur etiam benedictio, quando alteri conjugum jam fuit concessa, ne, ut diximus, repetita in vilipendium eat. *Ad S. Gregorium dico,* eum revera paulo acrius et vehementius incontinentiam, quæ apparet in secundis et subsequentibus nuptiis, insectari; nihilominus aliud non vult significare, quam quod Apostolus dissuadeat secundas et ulteriores nuptias, tamquam intemperantis cujusdam libidinis argumentum, et eo magis, quod iis non satis expressa retineatur significatio conjunctionis Christi cum Ecclesia, scilicet unius cum una, et hanc dissuasionem improprie vocat prohibitionem. Est autem in secundo Matrimonio venia, et in tertio iniquitas, non ratione ipsius Matrimonii secundo et tertio repetiti, sed ratione personarum, quas fere non desiderium sobolis, sed explendæ libidinis affectus ad iterandas nuptias impellit. Porro S. Gregorius absolute non improbavit secundas nuptias, quippe Oratione 39. Novatum insectatur, quod contra S. Pauli sententiam prohibeat adolescentiores viduas iterum nubere. Ait enim: *Anne juvenibus quidem viduis, propter ætatis lubricum inveniendi Matrimonii potestatem facis? at Paulus hoc facere minime dubitavit.... At hæc minime post Baptismum, inquis: quo argumento id confirmas? Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes.* Quod si res dubia est, vincat humanitas. Quantum autem ad S. Hieronymum, dico ipsum in objectione laudata verba revocare in apologia ad Pammachium, ubi retractans, seu explicans quæ scripserat contra Jovinianum, ait: *Aperiant quæso aures obtretractores mei, et videant me secundas et tertias nuptias concessisse in Domino, etc.* Et cap. 7. *Non damnari in Ecclesia bigamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere: sed quomodo non damnantur illæ nuptiæ, ita nec prædicantur; solatia miseræ sunt, non laudes continentiæ.* Et paulo infra: *Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si dici potest octogamos: habeat, cui lubet, octarum maritum, et esse desinat prostituta.* Et in Epistola ad Agerruchiam præfata in objectione duriora verba sic emollit: *Quid*

igitur? damnamus secunda matrimonia? minime, sed prima laudamus. Abjicimus de Ecclesia bigamos? absit, sed monogamos ad continentiam provocamus, etc. Quibus patet, necnon ex locis supra laudatis, ipsum iteratis nuptiis non adversari.

§ XII. — DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

Affinitas (inquit Doctor dist. 41. n. 2.) *est vinculum quoddam personæ ad personam aliquam, ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum.* Quæ utique definitio eadem est cum ea, quam tradunt communiter Doctores, nempe: *Affinitas est conjunctio, seu propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, omni carens parentela.* Dicitur primo *vinculum, seu propinquitas, in quo venit cum consanguinitate.* Additur, *personæ ad personam;* « quia enim, » *inquit Doctor, persona carnaliter copulata est consanguinea alicui;* « ideo illa, cui copulatur, fit affinis illius, et e converso, et est quasi » *« expositio nominis affinis, idest, accessio ad affines; conjunctus enim »* *« carnaliter cum aliqua de consanguinitate, accedit per hoc ad affines »* *« illius consanguinitatis, et ideo habet vinculum talis accessus ad »* *« omnes de illa consanguinitate. Sequitur, ex carnali copula cum per- »* *« sona alteri consanguinea; nam, inquit Doctor ibidem num. 3., non »* *« sufficit ad affinitatem proprie dictam, quod sit uxor, sed requiritur »* *« carnalis conjunctio, ut habetur 35. quæst. ult. Fraternalitatis, dicitur »* *« de conjugibus, quod si una caro fuerint, non potest esse, quod ali- »* *« quis sit propinquus uni eorum, quin pertineat alteri. In quo datur »* *« intelligi affinitatem non contrahi, nisi mediante commixtione car- »* *« nali; extendendo tamen affinitatem, dicitur contrahi non solum cum »* *« uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita, et quod plus »* *« est, cum illa, cum qua præcise contrahuntur Sponsalia. Ubi est ad- »* *« vertendum, quod istud vinculum contractum ad aliquam propter »* *« conjunctionem ejus cum aliquo consanguineo, et hoc, sive conjun- »* *« ctionem Matrimoniale, sive concubinariam, dicitur communiter »* *« publicæ honestatis justitia ».*

Porro gradus affinitatis eodem modo numerantur, quo gradus consanguinitatis, hanc servando regulam, quam tradit ibidem Doctor, his verbis: « Quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto » *« gradu affinitatis distat ab eodem, illa, quæ est ab isto carnaliter »* *« cognita; non dico uxor, quia hoc non requiritur; non solum enim »* *« cum uxore, sed cum concubina, vel meretrice contrahitur affinitas »* *« consanguineorum ipsius viri, imo in incestu ». Ita Doctor.* Unde quo gradu quis est consanguineus mariti, in eodem gradu fit affinis uxoris, et e converso. Inter ipsos autem consanguineos mariti, et consanguineos uxoris, nulla mutuo oritur affinitas, ut constat ex cap. *Quod super his, de consang.* ubi Innocentius III, sic ait: *Licet omnes consanguinei viri, sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris, viri affines, inter consanguineos tamen uxoris, et viri, ex eorundem scilicet viri et uxoris conjugio, nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos debeat Matrimonium impediri.*

Quod autem affinitas Matrimonium dirimat, docet Doctor, nu. 4., ubi ait: « Dico, quod affinitas simpliciter impedit Matrimonium. Et » *« ratio non est, nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis affines, et in*

« eodem gradu impedit Matrimonium, in quo consanguinitas; et hoc
 « quidem de affinitate proprie dicta, patet in tit. *illo de consanguini-*
 « *tate, et affinitate, cap. Non debet.* Consimiliter de affinitate commu-
 « niter et extensive dicta, quæ vocatur publicæ honestatis justitia,
 « habetur *Extra De consang. et affinit., cap. 1.* atque ut Canones di-
 « cunt, abstinendum est a consanguineis uxoris, et propriis. De ista
 « etiam publicæ honestatis justitia multa habentur *Extra de consang.*
 « *et affinit. et in 6. lib. quod ex Sponsalibus,* quæ ipso jure sunt nulla,
 « vel qualitercumque, dum tamen non sunt nulla ex defectu consen-
 « sus, oritur istud impedimentum Matrimonii impediens contrahendum,
 « et dirimens jam contractum ».

Quibus verbis Doctor duo significat: *primum*, quod affinitas simpliciter impediatur Matrimonium, ut decernitur in variis Conciliis, Eliberitano, cap. 61. Neocæsariensi, cap. 2. Toletano II, cap. 5. Aurelianensi I, cap. 20. Lugdunensi II, cap. 4. etc.; quibus varia accedunt decreta Romanorum Pontificum, ut Vigilii, Epist. 3; Gregorii I, lib. 12. Epist. 31. et 32; Zachariæ, Epist. 1.

Secundo, docet Doctor, hoc impedimentum esse tantum juris Ecclesiastici, maxime quantum ad affinitatem in linea transversa; quod enim hæc affinitas Matrimonium non dirimat jure naturæ constat ex Scriptura sacra; nam Genesis 29. Jacob duxit duas sorores Rachelem, et Liam. Genes. 38. ex voluntate Judæ Thamar nupsit successive duobus fratribus. Et in Lege Mosayca poterat frater fratris relictam sine prole uxorem ducere, quod non fuisset licitum, si juri naturæ hoc adversaretur. Demum Levit. 18. non solum non prohibetur conjugium cum sorore uxoris defunctæ, sed etiam ista verba: *Nec revelabit turpitudinem ejus, adhuc illa vivente*, significant, mortua uxore, esse licitum.

Hinc est, quod summus Pontifex, qui dispensare non potest in Lege naturali et divina, sæpe dispensavit in primo gradu affinitatis; nam Martinus V dispensavit cum viro nobili, qui cum affine collaterali in primo gradu contraxerat, ut ex Archidiacono refert Sylvester, verbo *Papa*. Alexander VI dispensavit cum Henrico VIII Rege Angliæ, ut duceret Catharinam uxorem fratris sui Arturi demortui. Quam dispensationem Clemens VII consultis Theologis et Canonistis ex totius fere Europæ Academiis, licitam ac validam declaravit, teste Alphonso de Castro *De potest. Legis pœnal.*, lib. 1. cap. 12. Tandem Innocentius X dispensavit cum Casimiro Poloniæ Rege, ut Mariam Gonzagam, Mantuæ Principem, uxorem fratris sui demortui, Matrimonio sibi copularet.

Hæc autem licet probabilia sint de linea collaterali, nihilominus existimo, affinitatem in linea recta efficere Matrimonium omnino irritum Lege divina seu naturali: *primo* quia, inquit Hiquæus in *Commentario* ad quæst. 40. perinde dicitur non revelandam turpitudinem matris, et uxoris Patris; et dat eandem rationem, quia turpitude patris tui est: ergo simili lege comprehenditur utrumque, et eadem regulatur. *Secundo*, quia nullum omnino talis Matrimonii exemplum suppetit in divinis aut Ecclesiasticis Scripturis. *Tertio*, quia *Genes. 49.* Jacob maledicit Ruben ex eo, quod torum patris maculasset. *Quarto*, Paulus *loco citato* 1. ad Corinth. 5. tamquam abomi-

nabile persequitur tale factum Corinthii, qui uxorem patris sui polluit; et dicit, neque inter Gentes talem fornicationem fuisse; tum quarto, quia reverentiæ paternæ id plurimum repugnat, cui Lex Matrimonii non debuit præjudicare, quæ minus obligat, quia reverentia paterna est stricti juris naturalis; non ita Lex Matrimonii, aut libertas, etabilitas data ad Matrimonium. *Quinto*, quia noverca fit caro patris, et magis gradus hic affinitatis contingit stipitem, quam Matrimonium cum uxore fratris; hoc autem non licuit nisi in casu, quo necessarium erat suscitare semen defuncto, qui sine prole discederet, alias non fuit concessum; et ideo S. Joannes Baptista recte reprehendit Herodem propter Herodiam, quam tulit fratri suo Philippo uxorem: ergo a fortiori in proposito, Matrimonium illud erat irritum, quia cessat finis etiam successionis, cum filius ducens novercam sit patri superstes. *Sexto*, quia Salomon Rex sapientissimus severe vindicavit in Adoniam fratrem, quod sollicitarit nuptias cum Sunamitide, quæ erat uxor sui patris, quamvis eam non cognoverit. Accedit præterea septimo exemplum David, qui numquam ingressus est ad eas, quas Absalon filius polluit. *Octavo*, quia cap. *Gaudemus*, etc. *De divortiiis*, etc. ubi permittitur infidelibus conversis permanere in Matrimonio ante conversionem inito cum uxoribus conjunctis alias, non fit mentio, nisi de conjunctis in secundo, aut tertio gradu, non autem in primo gradu, de quo numquam alias videtur fuisse dubitatio.

Quod si dicas sermonem esse de consanguinitate, et non de affinitate, textus id non exprimit; et patet in Lege illa Levitici affinitatem in aliquo gradu fuisse vetitam ex Lege Matrimonii, non solum Judæis, sed etiam anterioribus Chananæis, et pro Lege naturæ consequenter, quando majus bonum non præferebatur. Tenendo itaque hanc sententiam, quæ probabilis est, *Respondeo* Doctorem agere de affinitate juxta præscriptum Canonum, quos citat, ut est propinquitas ex copula carnali duorum ad invicem quia, ut dictum est, affinitas sequitur regulam consanguinitatis, in qua non numeratur stipes, sed qui uniuntur ad stipitem propinquitate sanguinis. Unde et affinitas etiam non comprehendit in supputatione truncum, sed personas descendentes et collaterales, ut ad se invicem appropinquant in stipite. Ideoque conclusio ejus de his intelligenda est, de quibus agunt Canones, non vero de Matrimonio cum ipso stipite; nam filius descendens, sicut est ipsa caro patris, ita non constituit gradum respective ad patrem, sed ad alios descendentes, juxta supputationem Canonicam, quæ requirit duas generationes ad unum gradum. *Ita Hiquæus*.

§ XIII. — QUODNAM SIT IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

Nomine publicæ honestatis, hic intelligitur propinquitas aliqua proveniens ex Sponsalibus valide et licite contractis, vel ex Matrimonio rato quidem, sed non consummato, quæ efficit, ut alter sponsus cum alterius consanguineis Matrimonium contrahere non possit; æquum enim et honestati congruum est, ut, quia in Sponsalibus Matrimonium inchoatur, is, qui cum aliqua Sponsalia contraxit, non possit cum illius consanguineis Matrimonio copulari. Talis autem propinquitas inducitur tantum jure Ecclesiastico; censuit enim Ecclesia esse contra publicam honestatem, quod Matrimonium inter consanguineos

ipsius, cum qua Sponsalia fuerant inita, contraheretur, ut patet ex cap. *Si quis uxorem*, necnon ex cap. *Si quis desponsaverit*.

Quod autem hæc propinquitas ex publica honestate Matrimonium impediatur, constat in 6. cap. *litteras*, *De Dispensatione impuberum*, necnon et cap. *Juvenis*, maxime autem in Concilio Tridentino, Sess. 24. cap. 3. ubi impedimentum hoc valde restringitur, jure enim antiquo hoc impedimentum oriebatur ex quibuscumque Sponsalibus, sive invalidis, ut patet ex cap. unico *De Sponsalibus*, ubi Bonifacius VIII decernit Sponsalia omnia, quæ non fiunt sub conditione suspendente, sed ineuntur per verba de præsentibus, impedire, et dirimere sequentia Sponsalia, et Matrimonia. Concilium vero Tridentinum præfato, Can. 3. duo statuit: *primum*, quod præfatum impedimentum non oriatur ex Sponsalibus quomodocumque initis, sed tantum ex licitis et validis. *Secundum*, quod cum jure antiquo hoc impedimentum protenderetur usque ad quartum gradum consanguinitatis, Concilium illud restringit ad primum gradum; ait enim: *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi Sponsalia quacumque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.*

Ex his sequitur, impedimentum publicæ honestatis non oriri ex illis Sponsalibus, quæ contrahentium mutuo consensu dissolvuntur, ex eo quod ista Sponsalia invalida sint, ut determinavit Congregatio Cardinalium ad citatum tertium caput Concilii Tridentini. *Sequitur secundo*, impedimentum publicæ honestatis non oriri ex secundis Sponsalibus, quæ contracta sunt post priora Sponsalia contracta valide. Hujus rei ratio est, quia ista secunda Sponsalia invalida sunt, et subsistunt priora, ut ex cap. unic. *De Sponsalibus*, in 6. colligitur.

Ultimum impedimentum jure antiquo est amentia, seu carentia usus rationis, proveniens ex defectu naturali. Hæc autem considerari potest sub duplici respectu, nempe vel ut illud præcedens, vel subsequens; insuper vel ut perpetua, vel dumtaxat ad tempus. Conveniunt autem Theologi, quod amentia antecedens, sive ut perpetua, sive ut dumtaxat temporalis attendatur, Matrimonium ea durante contractum dirimit, et quidem jure naturali. *Probatum*, quia tollit consensum liberum in contractu Matrimonii necessario requisitum; inde nihil mirum si contractus, qui fit ab amente, aut ebrio, vel dormiente, pro nullo habeatur.

Quantum autem ad amentiam, quæ Matrimonio jam contracto supervenit, certum est, quod illa non habeat vim dissolvendi Matrimonium; quippe cum, ut diximus, vinculum illius omnino sit indissolubile, quamdiu conjuges vivunt, nisi ex alterius consensu unus conjugum in Religione approbata profiteatur.

§ XIV. — DE IMPEDIMENTIS RAPTUS, ET CLANDESTINITATIS.

Præter assignata antiquo jure impedimenta Matrimonium irritantia, duo alia addita fuerunt a Concilio Tridentino, nempe *raptus*, et *clandestinitas*. Nomine autem *raptus* intelligitur violenta abductio uxoris ductendæ de loco in locum, ita ut raptor eam habeat in sua potestate: in hoc enim rapina a furto distinguitur, quod per illam vis inferatur

rei dominis, vel iis, quorum curæ erat commissa, ut nempe eam traducat in sui dominium, et potestatem; furtum autem sit tantum ablatio rei a proprio domino absque ulla vi, sive interim illa cedat in utilitatem furantis, sive non. Quod autem talis raptus dirimat contractum inter raptorem et raptam, nisi illa constituatur in loco tuto, ita ut compos suæ libertatis et personæ voluntarie ac libere consentiat in Matrimonium, definit Concil. Trident., Sess. 24. cap. 6., his verbis: *Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptoe separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

Quantum autem ad clandestinitatem certum est, quod etsi Matrimonia clandestina fuerint semper ab Ecclesia prohibita, adeoque illicita inter Christianos, nihilominus ante Concilium Tridentinum non erant invalida. Quod fuerint prohibita, constat ex decreto Hormisdæ Papæ, relata causa 30. qu. 5., his verbis: *Nullus fidelis, cujuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in Domino.* Et Innocentius III, cap. 3. *De Clandest. Desponsat. Prædecessorum*, inquit, *nostrorum vestigiis inhærendo, clandestina conjugia pænitus inhibemus, prohibentes etiam, ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat.*

Quod autem rata fuerint et valida, declarat Tridentina Synodus, Sess. 24. cap. 1., his verbis: *Tametsi dubitandum non est, clandestina Matrimonia libero contrahentium consensu facta, et rata et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo, cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, etc.*

Paulo infra statuit: *Qui aliter, quam præsentem Parocho, vel Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsentem decreto irritos facit et annullat.* Ex quibus liquet, Tridentinum Matrimonia clandestina irritare, et nomine clandestini Matrimonii illud intelligere, cui non interest proprius Parochus, aut alius Sacerdos de ejus licentia, cum

duobus saltem testibus; unde licet publice coram aliis multis Matrimonium contrahatur, si tamen fiat sine præsentia Parochi et testium, clandestinum censetur ab Ecclesia.

DICES: Ecclesia non habet potestatem in materias et formas Sacramentorum: sed materia et forma Sacramenti Matrimonii sunt consensus conjugum verbis aut signis expressus, sive interim ille sit publicus, sive clandestinus: igitur Ecclesia efficere non potest, quod consensus clandestinus, qui ante Concilium Tridentinum erat sufficiens ad validum Matrimonium, post Concilium sit insufficiens. — **Distinguo majorem:** Ecclesia nihil mutare potest circa materiam et formam Sacramentorum, quatenus præcisè sunt ipsorum materia et forma a Christo physice et in specie determinatæ, *concedo*: quando dumtaxat moraliter et in genere determinatæ sunt, *nego*. Porro, ut diximus, materia et forma Sacramenti Matrimonii non sunt a Christo determinatæ in specie; sed Christus omnem legitimum contractum Matrimoniale sublimavit ac promovit ad dignitatem et efficacitatem Sacramenti; ac subinde Matrimonium eatenus tantum habet rationem Sacramenti, quatenus est legitimus contractus omnibus debitis circumstantiis ac partibus constans. Cum autem Matrimonium ordinetur non solum ad conjugum sanctificationem, sed etiam sit in officium naturæ, et in bonum commune totius Reipublicæ, atque adeo triplici contractu constare debeat, nempe naturali, civili, et sacramentali; in quantum est contractus naturalis, præscribitur jure naturæ; in quantum civilis, subjacet legibus civilibus; in quantum autem Sacramentum, statuitur jure divino; inde fit quod ex quolibet dictarum legum præscripto una persona fieri potest inhabilis ad Matrimonium; si enim habeat impotentiam ad copulam carnalem, inhabilis est ad illud Lege naturæ; si sit consanguinea, vel affinis alicui, non potest cum ipso contrahere ex Lege civili, et Ecclesiastica; si vero non sit baptizata, jure divino incapax est Matrimonii, quatenus Sacramentum est, quamvis ejus sit capax, prout est contractus naturalis, vel civilis.

Itaque Ecclesia duobus modis potuit irritare Matrimonia clandestina: *primo* quidem, indirecte, reddendo personas fideles sibi subditas inhabiles ad contrahendum: *secundo*, directe et immediate, irritando contractum Matrimoniale consensu clandestino initum. Quem utrumque modum observat Tridentina Synodus, cum ait: *Eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit*. In hoc autem edicto Ecclesia non mutavit materiam et formam Sacramenti Matrimonii, formaliter acceptas: siquidem contractus legitimus, qui erat sufficiens ante Tridentinum, est etiam nunc sufficiens; sed mutavit tantum materialiter, efficiendo nempe, quod contractus clandestinus, qui ante erat legitimus et validus, talis amplius non sit, nec subinde possit habere rationem Sacramenti, quippe cum Christus Dominus, ut jam pluries observavimus, solum contractum legitimum ad Sacramenti dignitatem et efficacitatem elevaverit.

Ad hoc autem, ut consensus ille mutuus licite detur coram Parocho et duobus testibus in celebratione Sacramenti Matrimonii, debet nunc regulariter loquendo populo prænuntiari per trinam proclamationem bannorum, eo modo quo statuit Concilium Trident., præfato cap., ubi

ait: *Cum sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugis ortum habent, præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhærendo præcipit, ut in posterum antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnias publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum, quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur.*

Illarum tamen proclamationum omissio non redderet Matrimonium invalidum, etiam post decretum Concilii Tridentini, ut expresse declaravit Congregatio Cardinalium ad caput primum decreti *De Reformatione*, num. 2., his verbis: *Congregatio censuit, Matrimonium contractum, non præmissis denuntiationibus, nisi aliud obstet, irritum non esse.* Unde ad antiquum jus sancitum in Concilio Lateran., quo Matrimonium sine præviis denuntiationibus celebratum, subiciebatur pœnis Matrimonii clandestini, emendatum fuit et irritatum per Concilium Tridentinum, quod irritat solum Matrimonia clandestina, quæ fiunt in absentia proprii Parochi, et testium; non autem irritat ea, quæ fiunt ex defectu proclamationum. Nihilominus peccarent graviter, qui non præmissis præfatis denuntiationibus Matrimonium inirent; quippe cum adversarentur constitutioni Concilii Tridentini, hujusmodi proclamationes districte præcipientis.

Hic agere solent nonnulli Theologi de dispensatione impedimento- rum Matrimonii, a quibus videlicet, et quas ob causas concedi possit. Verum quoniam hujus quæstionis solutio facili negotio colligi potest ex his, quæ diximus de dispensatione in tractatu de Legibus, idcirco, ne hoc volumen justam et æquam magnitudinem excedat, a jam dictorum repetitione censemus abstinendum.

Solent etiam plurimi hic agere de *debito conjugali*, necnon et de variis peccandi modis, quibus in hoc debito reddendo inquinari solent conjuges. Verum ab ejusmodi sordium ventilatione censui rationabilius esse abstinendum, quam pios ac religiosos animos hisce spurci- tiis labefactare. Quapropter solum juvat hic ad præsentis Tractatus coronidem attexere, quæ de conjugum debitis, et officiis mutuis præ- clare scripsit Catechismus Romanus, cap. *De Matrimonio*, n. 31. ubi scribit: « Primum viri munus est, uxorem liberaliter et honorifice
« tractare; qua in re meminisse oportet, Evam ab Adamo sociam ap-
« pellatam esse, cum *inquit*, Mulier, quam dedisti mihi sociam; cujus
« rei causa aliqui Patres factum esse docuerunt, ut ea non ex pedibus,
« sed ex latere viri formaretur; quemadmodum etiam ex capite condita
« non est, ut se viri dominam non esse intelligeret, sed viro potius
« subjectam. Decet præterea virum in alicujus honestæ rei studio
« semper occupatum esse: tum ut ea suppeditet, quæ ad familiam su-
« stentandam necessaria sunt: tum ne inertis otio languescat, a quo

« vitia fere omnia fluxerunt. *Deinde* vero familiam recte constituere, « omnium mores corrigere, singulos in officio continere.

« Rursus autem uxoris partes sunt, quas Apostolorum princeps « enumerat, cum, *inquit*, Mulieres subditæ sint viris suis, ut, et si « qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo « lucrifiant, considerantes in timore sanctam conversationem vestram; « quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut « indumenti vestimentorum cultus; sed qui absconditus est cordis, « homo in incorruptibilitate quieti, et modesti spiritus, qui est in con- « spectu Dei locuples: sic enim aliquando, et sanctæ mulieres spe- « rantes in Deo ornabant se subjectæ propriis viris, sicut Sara obe- « diebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Earum quoque præcipuum « studium sit, filios in Religionis cultu educare, domesticas res dili- « genter curare. Domi vero libenter se contineant, nisi necessitas exire « cogat; idque sine viri permissu facere numquam audeant. *Deinde*, « in quo maxime maritalis conjunctio sita est, meminerit semper se- « cundum Deum magis, quam virum, neminem diligendum, eove « pluris faciendum esse neminem, cui etiam omnibus rebus quæ Chri- « stianæ pietati non adversantur, morem gerere, et obtemperare summa « cum alacritate animi oporteat ». *Ita Catechismus.*

Concludo itaque præsentem Tractatum, imo et universum nostrum Theologicum opus, his verbis quibus Doct r Subtilis coronidem imponit suis de Matrimonio dissertationibus, nempe, *Non esse admirandum, si sollicitudinem tantam ponit Ecclesia in ordinando Matrimonio, quia communitas Christianorum utitur Matrimonio, per cujus usum multiplicatur populus Christianus: et ideo sic ordinari debet, ut in ejus contractu et usu vitentur ea, quæ obviant, sive in Deum, sive in proximum: et servanda sunt, quæ congruunt honestati, ut sic honestum Matrimonium Christianum congrue significet illam benedictam conjunctionem Christi, et Ecclesiæ; de qua dicit Apostolus: Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, et in Ecclesia: quæ conjunctio nunc est per fidem, et aliqualem dilectionem: sed in patria erit per visionem, et perfectam fruitionem sponsæ non habentis maculam, neque rugam, ad Sponsum speciosum præ filiis hominum; cui sit honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

IMPRIMATUR:

Fr. ALBERTUS LEPIDI O. P. S. P. A. *Magister.*

IMPRIMATUR:

JOSEPH CEPPETELLI, Archiepiscopus Myrensis, *Vicesgerens.*

INDEX

DISPUTATIONUM, ARTICULORUM, SECTIONUM, ET QUÆSTIONUM

quæ in hoc duodecimo Tomo continentur.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
TRACTATUS TERTIUS.		ARTICULUS III. De Mini- stro, et Subjecto Sacramenti Ordinis	111
<i>De duobus postremis Sacra- mentis, Ordine videlicet, et Matrimonio, quibus homi- num sanctitas propagatur.</i>		§ I. Quis sit Minister Sacra- menti Ordinis	ib.
PRÆFATIO	5	§ II. Quinam sint capaces suscipiendi Sacramenti Or- dinis	114
DISPUTATIO PRIMA.		§ III. Quænam ætas requi- ratur ad debitam Ordinum susceptionem	119
<i>De Sacramento Ordinis.</i>	7	DISPUTATIO ULTIMA.	
ARTICULUS I. De Sacra- mento Ordinis in communi.	8	<i>De Sacramento Matrimonii.</i>	126
QUÆSTIO I. Utrum in Ecce- lesia sit aliquis Ordo, virtute, et ratione cujus Clerici a Laicis distinguantur.	9	ARTICULUS I. De Matrimo- nio secundum se	127
QUÆSTIO II. Utrum Ordo sit unum ex septem Sacramen- tis novæ Legis.	19	QUÆSTIO I. Quid sit Matrimo- nium generatim spectatum, et in quo præcise, ac for- maliter consistat	ib.
QUÆSTIO III. Utrum, et quæ- nam sit Sacramenti Ordinis materia, et forma.	27	QUÆSTIO II. Utrum, et quando Matrimonium hubuerit vim, et efficacitatem Sacramenti.	142
QUÆSTIO IV. Quot, et qui sint Ordines Ecclesiastici proprie dicti.	37	QUÆSTIO III. Quinam sit Mi- nister, quæve materia, et forma hujus Sacramenti	154
§ I. Utrum Cantorum, et Psal- mistarum institutio sit ve- rus Ordo Ecclesiasticus.	53	QUÆSTIO IV. Utrum, et qua- liter Matrimonium sit indis- solubile	166
§ II. Utrum Tonsura Cleri- calis sit Ordinibus Eccelesia- sticis accensenda	56	ARTICULUS II. De disposi- tionibus prærequisitis ad le- gitimum Matrimonium.	191
§ III. Utrum Episcopatus sit Ordo, isque distinctus a Sa- cerdotio	59	§ I. Quid sint Sponsalia.	ib.
ARTICULUS II. De singulis Ordinibus sigillatim, et in specie	73	§ II. Utrum, et quomodo sponsus, et sponsa tenean- tur ad contrahendum Ma- trimonium	194
§ I. De Ostiariis.	ib.	§ III. Quibus de causis Spon- salia licite dissolvi possint.	196
§ II. De Lectoribus	76	ARTICULUS III. De impedi- mentis Matrimonii	199
§ III. De Exorcistis	78	§ I. Quid sit Matrimonii im- pedimentum.	200
§ IV. De Acolythis.	80	§ II. Quotuplex sit impedi- mentum	ib.
§ V. De Subdiaconis	83		
§ VI. De Diaconatu.	92		
§ VII. De Sacerdotio, seu Presbyteratu	98		

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
§ III. De impedimentis dirimentibus.	202	§ IX. Utrum, et qualis Ordo Matrimonium dirimat . . .	223
§ IV. De impedimento erroris, et conditionis.	204.	§ X. Utrum, et qualis impotentia vim habeat dirimendi Matrimonium	233
§ V. An, et quale votum Matrimonii contractum dirimat.	208	§ XI. Utrum et quomodo ligamen matrimonii contractum dissolvat	235
§ VI. Quænam cognatio Matrimonium dirimat	212	§ XII. De impedimento affinitatis	239
§ VII. An, et quale crimen vim habeat dirimendi Matrimonium	218	§ XIII. Quodnam sit impedimentum publicæ honestatis.	241
§ VIII. An, et quæ disparitas cultus Matrimonium dirimat	219	§ XIV. De impedimentis raptus et clandestinitatis	242

INDEX

RERUM ET SENTENTIARUM, QUÆ IN HOC DUODECIMO VOLUMINE

CONTINENTUR.

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
A			
<i>Acolythus.</i>			
Quid sit Acolythatus, et unde dictus	80	Quæ fuerit Tertulliani sententia de distinctione Clericorum a Laicis	19
Cur etiam appelletur Ceroferrarius	81	D	
Quæ sint Acolythorum munia, et quænam eorum Ordinis dignitas	ib.	<i>Diaconus.</i>	
Controvertitur apud Theologos de materia hujus Ordinis, probabilior sententia declaratur	82	Quid significet Diaconi vocabulum	92
Christus prohibet dominationis abusum, non autem usum	18	A quo hic Ordo fuerit initiatum	ib.
C			
<i>Chorepiscopus.</i>			
Quid significet nomen Chorepiscopi	70	Quare primo 7. Diaconi fuerint Ordinati	93
Duplex erat genus Chorepiscoporum, plurimi erant simplices Sacerdotes, unde eis erant interdicta munia Episcopalia	ib.	Primum, Diaconi munus est adesse Sacerdoti celebranti, secundum, est Evangelium in Missa publice legere	ib.
<i>Clerici.</i>			
Quinam sint dicendi Clerici, et unde	9	Tertium munus erat calicem fidelibus sub utraque specie communicantibus porrigere: quartum, est baptizare; quintum, verbum Dei prædicare; sextum, Ecclesiæ eleemosynas pauperibus erogare, confessoribus Christi nominis necessaria subministrare, et infidelibus regendis adesse Episcopis, et Presbyteris	95
Clerici nomine non significatur tota Ecclesia, nisi dumtaxat analogice, et improprie	16	Quod munus Diaconis fuit ambitionis ansa	97
Nihilominus eos a laicis absolute non distinguunt, et Clerici nomen insectantur	11	Quænam sit materia, et forma Diaconalis ordinis, controvertitur apud Theologos	98
Clerici a Laicis statu, et gradu distinguuntur, ut colligitur ex Scriptura Sacra, 1. quia indicat aliquos esse constitutos divini cultus ministros: 2. alios fuisse solemniter consecratos	ib.	<i>Divisio Ordinum.</i>	
Differentia Clericorum a laicis est divinitus sancita	18	Triplex est Ordinum Divisio: 1. In Hierarchicos, et non Hierarchicos: 2. In sacros, et non sacros: 3. In majores, et minores	39
E			
<i>Ecclesia.</i>			
		In Ecclesiæ corpore esse membrorum distinctionem, et subordinationem significat Apostolus	12

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Idem constat ex receptissima apud omnes nationes constitutione.	13	F	
Ab Ecclesiæ nascentis exordio sacra mysteria laicis fuerunt interdicta.	14	<i>Fideles.</i>	
Qualis erat antiquitus quorundam Ecclesiæ templorum distributio.	89	Qualis inter Fideles sit distinctio	17
<i>Electio.</i>		I	
Antiquitus Electiones Magistratus, et Ecclesiæ magistrorum fiebant per manuum porrectionem, et extensionem	26	<i>Impedimentum.</i>	
<i>Episcopus.</i>		Quid sit Impedimentum	200
Chorepiscopi erant duplicis generis	111	Duo sunt Impedimentorum genera.	ib.
Solus Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Ordinis	ib.	Tria tantum sunt Impedimenta impediencia, quæ nunc vim habeant	201
Episcopatus conferri potest cum Sacerdotio duobus modis	59	L	
Qualiter Episcopatus specialem respectum habeat ad Eucharistiam	64	<i>Lectoris Ordo.</i>	
Quare conferatur tantum die solemni	ib.	Quænam sint Lectorum munia ex Magistro sententiarum	76
Aperitur quæ fuerit sententia S. Hieronymi de distinctione Episcoporum a Sacerdotibus.	65	Eorum officia fuerunt adumbrata in veteri Testamento, et in nascente Ecclesia commendata	ib.
Quare nimium Presbyteros extollere videatur.	66	Primum eorum munus est legere libros sacros in publico fidelium cætu: secundum docere Catechismum: tertium est legere coram Episcopo: quartum munus est cantare	ib.
Licet Episcopatus sit ordo, non tamen sunt plures ordines quam septem, quia ille Sacerdotium essentialiter involvit	ib.	M	
Unde Sacerdotes Episcopi vocantur, et vice versa	67	<i>Materia.</i>	
Qualiter Episcopatus a Sacerdotio præcise distinguatur.	68	Materia Sacramentorum fuit determinata a Christo in specie, vel in genere	29
Quare Patres dicant Episcopatum esse primum gradum inter Ordines Ecclesiasticos.	69	Omnes Ordines constant Materia, et Forma	30
<i>Exorcista.</i>		Christus Dominus non determinavit Materiam Ordinum in specie infima	ib.
Quid sit Ordo Exorcistarum; quodnam sit eorum munus.	78	Siquidem Ecclesia Orientalis, et Occidentalis, diversa Materia, et forma utuntur.	ib.
Quare in Ecclesiæ primordiis omnes fideles Exorcizabant.	79	Non solum Ordinum, sed etiam aliquorum aliorum Materiarum sunt tantum determinatæ in specie	32
Quænam dispositiones in Exorcizante prærequirantur	80	Omni tamen ordinum divinæ institutionis Materia est saltem determinata in genere a Christo	33
		Ecclesia per potestatem sibi a Christo concessam posset efficere, quod aliquid sit	

<i>pag.</i>	<i>pag.</i>
alicubi Materia essentialis alicujus Sacramenti, quam- vis alibi ita non esset . . . 34	Matrimonium tantum fuit Sa- cramentum in Lege Evan- gelica 152
<i>Matrimonium.</i>	Matrimonium legitime initum inter fidelem, et infidelem, posset esse Sacramentum ex parte fidelis 153
Quare Matrimonium ultimum locum inter Sacramenta obtineat 126	Matrimonium infidelium non fit Sacramentum dum bapti- zantur. ib.
Qualis, et quanta sit illius dignitas ib.	Quamquam contractus fiat sacer 154
Quam arcta esse debeat inter conjuges animorum, et cor- porum unio ib.	Variæ sententiæ circa mate- riam, et formam Matrimonii. 155
Unde petatur Matrimonii no- men 127	Materia remota Matrimonii sunt corpora contrahentium. 156
Pluribus modis accipitur . . 128	Proxima est illa actualis tra- ditio 157
Triplex distingui potest . . 129	Circa formam Matrimonii nihil resolvit Doctor. ib.
Matrimonium est res bona, et honesta ib.	Conjuges sunt ministri Matri- monii. 158
Matrimonium fieri potest va- riis de causis 134	Non est tamen improbabile Sacerdotem esse ejusdem Sacramenti ministrum . . 159
Ejus ratio formalis consistit in vinculo 139	Matrimonium per procurato- res est validum in ratione contractus 161
Duplex est illud vinculum . 140	Quot, et quæ conditiones ad id requirantur 162
Sacramentum, et res Sacra- menti Matrimonii consistunt in esse permanente ib.	Matrimonium per procurato- res est etiam validum in ratione Sacramenti ib.
Traditur, et expenditur tri- plex definitio Matrimonii . 141	Quare potius conferri possit absenti quam cætera Sacra- menta 163
Quinam hæretici Matrimonii Sacramentum impugnave- rint. 142	Consensus Matrimonialis de- bet esse liber 164
Matrimonium considerari po- test in triplici statu . . . 143	Consensus ex gravi metu inva- lidum reddit Matrimonium. 165
Est Sacramentum proprie di- ctum 144	Sicut et consensus factus ver- bis de futuro ib.
Quomodo Matrimonium pu- gnet cum Ordine 148	Matrimonii indissolubilitas o- riri potest ex triplici lege. 166
Quare sine labe simoniæ dari possit pecunia pro Matri- monio ib.	Queritur utrum ei adversetur libellus repudii, et fornicatio Matrimonii indissolubilitas est de Lege naturæ 167
Copula carnalis non est pars essentialis Matrimonii . . 149	Divinitus declarata in para- diso terrestri ib.
Significatio unionis Christi cum Ecclesia non constituit adæquatam rationem Matri- monii 150	Nec non ex Lege divina posi- tiva. 168
Matrimonium potest esse per- fectum, quamvis absit co- pula ib.	Consensus conjugum qui suf- ficit ad ineundum Matri- monium, non sufficit ad illud dissolvendum ib
Canonistæ aliqui interdum hallucinantur in doctrina Matrimonii 151	
Licet Matrimonium sit Sacra- mentum, tamen status Matri- monialis non est. perfe- ctior virginali ib.	

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Qua ratione Summus Pontifex dispensare possit in Matrimonio rato	169	tudine unius rei ad aliam: 2. pro methodo tradendæ scientiæ: 3. pro more, et consuetudine: 4. pro justa rerum ordinatione: 5. pro gradu eminenti quo unus alteri præest: 6. pro consecratione, et destinatione ministrorum Ecclesiæ	7
Per libellum repudii non solvatur vinculum Matrimonii	ib.	Ordinis nomen sumitur tribus modis	37
Matrimonii vinculum non solvitur per adulterium unius, aut utriusque conjugis	173	Non convenit inter hæreticos de numero Ordinum, nec inter Catholicos	38
Per fornicationem non licet transire ad alias nuptias	178	Revera est Ordo in Ecclesia quatenus justam rerum dispositionem significat	9
Explicantur verba Christi, <i>nisi ob fornicationem</i>	179	Traditur, et expenditur Ordinis definitio	26
Quare stante Matrimonio vir non possit aliam uxorem ducere	182	Ordo considerari potest duobus modis; nempe vel pro Ordine, vel pro Ordinatione	19
Quomodo differant Matrimonium ratum, et legitimum	183	Quinam hæretici Sacramentum Ordinis directe impugnaverint	20
Separatio quoad torum fieri potest multis de causis	ib.	Ordinem esse Sacramentum definitur in Conciliis, et probatur ratione Theologica	21
Matrimonii rati vinculum solvitur per professionem religionis	184	Forte etiam Christus instituit Sacerdotes per Ritus externum	25
Non auctoritate Ecclesiastica, sed ex dispensatione divina	185	Ordo saltem secundo tendit in sanctificationem suscipientium	ib.
Quare potius Matrimonium ratum quam consummatum dissolvatur	ib.	Triples est modus suscipiendi Ordines	119
Tria sunt bona Matrimonii	190	Puer ante adultam ætatem valide ordinari potest	120
Dispositiones ad Matrimonium	191	Quænam sit legitima ætas ad Ordines	122
<i>Minister.</i>		De minoribus nihil apparet expresse sancitum	ib.
Statum, ac gradum Ecclesiæ Ministrorum aperte non insectantur hæretici	10	Secus de sacris	ib.
<i>Mulier.</i>		Quare servi non sint ordinandi, et filii illegitimi	123
Mulier a viro repudiata non poterat alteri nubere absque peccato	172	Et corpore deformes, et homicidæ	ib.
Quare non poterat ultra priori viro sociari	ib.	Tria sunt genera homicidii	ib.
Mulieres arcendæ sunt ab ordinibus	114	Bigami cur ab Ordinibus arceantur	124
Mulieres aliquæ olim dicebantur Diaconissæ, quare	115	Qui Ordinatur debet sibi porrecta instrumenta tangere, et qui Ordinatur, ea per se porrigere	105
Alebantur ex bonis Ecclesiæ	117	Probabilius est, quod septem Ordines sint Sacramenta	107
Qualiter instituebantur	ib.		
Quando desierint	118		
Qualia erant earum munia, et officia	ib.		
O			
<i>De Ordine.</i>			
Præclara Ordinis commendatio	7		
Varie usurpatur: 1. pro habi-			

<i>pag.</i>	<i>pag.</i>		
Quo sensu S. Anacletus dixerit duos tantum Ordines ab Apostolis, et Christo Domino esse traditos.	109	Adumbrati fuerunt in veteri Testamento	73
Et S. Cyprianus Christum Dominum nullum Diaconum instituisse	ib.	Quæ sit illius Ordinis materia, et forma	74
Quare aliqui Ordines dicantur sacri	110	Primum Ostiariorum munus est claudere, et aperire januas templi.	75
In Ecclesia sunt plures Ordines	40	Secundum, est laicos ab altari arcere: tertium pulsare campanas: quartum est servare Ecclesiæ thesauros	ib.
Sunt tantum septem Ordines proprie dicti.	42	P	
Cur sacra Scriptura trium tantum Ordinum meminerit	46	<i>Presbyter.</i>	
Quare tres tantum Ordines aliquando assignaverit S. Dionysius, cum plures alibi nominaverit.	47	Unde Presbyterorum ordo, et appellatio.	98
Quo sensu S. Hieronymus asseruerit tres tantum esse Ordines	48	Funguntur munere Christi	99
Omnes Ordines per se, et directe non referuntur ad actus Hierarchicos.	ib.	Manus impositio est materia partialis Presbyteratus	100
Græci recentiores quatuor tantum Ordines agnoscunt.	ib.	Nec contrarium docent Concilium Florentinum, Gregorius IX, et Innocentius III.	103
Aliqui Patres videntur plures Ordines numerare quam septem; eis adjungendo Ordines, <i>laborantium, fossariorum, confessorum, martyrum, custodum, notariorum, et defensorum</i> . Verum hi omnes Ordines sunt improprie dicti.	51	<i>Poligamia.</i>	
Cantoratus non est Ordo proprie dictus	53	Poligamia adversatur Legi divinæ	185
Quo sensu ab aliquibus inter Ordines recenseatur	55	Non fuerunt usi SS. Patriarchæ ante diluvium	186
Quot sint Ordinum gradus, et unde colligantur	60	Poligamia ex parte viri non est contra primarium finem Matrimonii, sed contra secundarium	187
Probabilius est, quod Episcopus latinus valide non ordinaret ritu Græcorum, secus de Græcis ordinantibus more Latino.	35	Deus dispensavit circa Poligamiam cum nonnullis.	ib.
Non est improbable simplicem Sacerdotem posse fieri Ministrum extraordinarium Sacramenti Ordinis	112	Quomodo Poligamia sit contra jus naturæ	189
<i>Ostiarium.</i>		Potius dispensatur in Poligamia, quam in biviria	190
Unde, et quare Ostiarii ita sint appellati	73	S	
		<i>Sacerdos.</i>	
		Quanta sit Sacerdotum dignitas	104
		Quænam sint Sacerdotum præcipua ministeria	100
		Duplex est partialis eorum inauguratio	ib.
		<i>Subdiaconus.</i>	
		Unde oriatur, et quid significet Subdiaconi nomen.	83
		Hic Ordo fuit in usu ab Ecclesiæ primordiis	ib.
		Varia eorum munia referuntur	84
		Licebat eis etiam antiquitus sacra vasa tangere	85

	<i>pag.</i>		<i>pag.</i>
Quare hic ordo olim inter sacros non habebatur	85	Eorum etiam munus est obserare fores sanctuarii	88
Facultas tangendi vasa Sacra concedi potest etiam aliis ministris a summo Pontifice	86	Quæ sit materia Ordinis Subdiaconalis	90
Oblationes a populo Subdiaconi excipiunt, et in altari deponunt	87	Quænam sint præcipuæ Subdiaconorum obligationes	ib.
Eorum etiam munus est Epistolam in Missa solemniter legere	ib.	Primo tenentur ad servandam continentiam, cui tamen legi non semper, nec ubique subjacuerunt	ib.
		Tenantur 2. ad recitandas horas Canonicas	92



nicus
102

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

102.

